7.6.188

7 G 6.188

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

IOANNIS HEVMANNI

IVR. PROF. IN ACADEMIA ALTORFINA

APPARATVS IVRISPRVDENTIAE LITERARIVS.



NORIMBERGAE

IMPENSA IOANNIS GEORGII LOCHNERI

CIↃ IↃ CC LII.

Digitized by Google

4

Digitized by Google

IVVENTVTI POLITIORI
S.

Si tenuis huius libelli, quem commodis ueſtris proprium dicaui, cauſſa apud peregrinos iudices mihi dicenda eſſet; eum ſane luce publica numquam donaſſem. Lectoris equidem candidi iudicium ſemper magni facio; ſed nunc omnia ad ueſtrae, amici, conſcientiae teſtimonium refero. Vos non ignoratis, omnem curam atque cogitationem me

in decoribus ueſtris, quibus nihil antiquius habeo, amplificandis collocare; Vos mea exquiritis conſilia; Vos me ducem deligitis. Inter nos facile transigitur; ſed aliis, qui in tanta huius generis librorum copia mea non indigent inſtitutione, operam fortaſſe ac oleum uidebor perdidiſſe. Nullius luminibus me officere, nullius laudes me interuertere, nullius ſtudium me conuiciis conſectari, Vobis non eſt obſcurum. Nihil igitur, ut et alii optimam meam fidem perſpectam habeant, laboro, nihil contendo; Vobis, o ſuauiſſima mea ſolatia, uobis munera mea non ſordent; ad uos induſtriae meae fructus qualescumque pertinere uolo. Agite ergo, acres et erecti animi, immenſum aggrediamur opus; nihil nos timor caecus, nihil inueteratus error, nihil ignaua αυταρκεια, nihil uoluptatum crepundia tardent. Paucorum eſt, non diffiteor, tam laborioſum iter et difficile obire; ſed uos ex paucis iſtis, quibus nihil arduum, eſſe exiſtimo. Si non omnem

legum

legum doctrinae maieſtatem, amplitudinem et praeſtantiam aſſequi poſſumus; eamdem tamen reuereri diſcamus et admirari. Par eſt, omnes omnia experiri, Romanae eloquentiae parens ait, qui res magnas et magnopere expetendas concupiuerunt. Nec ſolum ab optimis ſtudiis excellentes uiri deterriti non ſunt, ſed ne opifices quidem ſe artibus ſuis remouerunt, qui aut Hyaliſi non potuerunt, aut Coae Veneris pulchritudinem imitari. Nam neque illud ipſum, quod eſt optimum, deſperandum, et in praeſtantibus rebus magna ſunt ea, quae ſunt optimis proxima. Atque ego in ſummo iurisconſulto fingendo talem informabo, qualis fortaſſe nemo fuit. Non enim quaero, quis fuerit, ſed quid illud, quo nihil poſſit eſſe praeſtantius. Non omnis ſchola profert Solones, Lycurgos et Papinianos; idcircone omnes in glande legenda, in trium capellarum cauſſis orandis, in formulis inanibus decantandis aetatem conſumemus? Ad maiora ii, quos non

omne ſtudium in paſtum abiicere iuuat, mentem excitabunt. Non negligent ea, quae omnes ſcire decet; ſed et reipublicae gubernandae rationem et populorum ſcita indagabunt, neque ſibi praeclare artem ſuam excoluiſſe uidebuntur, niſi philoſophiae intimae ac hiſtoriarum fontes adierint. Tam late legum diſciplinae campus hodie patet, tam multa principes, Maecenates, parentes a Vobis, amici, requirunt, ut, etiamſi ornamenta, omnium literatorum communia, nacti fueritis, ingens tamen officiorum laborumque Vobis relinquatur moles. Quare deſperatione quosdam fractos de recto, quem ingreſſi ſunt, tramite deflectere animaduertimus, cum non ſit minus negotii, ineptias uitare, quam diſcere utilia. Indigne ferant alii, me iurisprudentiae, qua nihil ſanctius, ineptiarum maculas adſpergere; at nihil muto; utinam ſcirem nullas. Pro eo, quo teneor integritatis ſtudio, Vobis latere nolo, uaria me docere, uos diſcere non ad utilitatem certam

ac

ac definitam, ſed ad animi oblectationem et φαντασίαν. Saeculo tantulum cedimus, ne imperiti uideamur. Nonne inuenta optima rixis leuiſſimis miſere lacerari ſolent? Quid ad nos, inquitis, iſtae nugae? Bona uerba quaeſo! non nugas has eruditorum controuerſias, ſed flores putetis notitiae literariae. GROTII ac PVFFENDORFFII, immortalis gloriae uirorum, in iuris artem merita nulla aetas obliterabit. Legis enim ex hominis ipſius natura hauſtae, mentibusque noſtris inſitae praecepta exponere tentarunt perſpicue. Quis rem planam ac manifeſtam in diſceptationem ueniſſe crediderit? at nusquam acrius dimicatum fuit. Non eſt tanti, naturae ſanctiones paucas, easque perbreues cognoſcere, quas uel rudis plebecula et impolita perſpicit; ſed opinionum enarrare monſtra, pugnas, commentariorum argutias, librorum et auctorum fata, id artis eſſe arbitrantur. Etſi effrenata ſcribendi licentia reipublicae ualde ſit perniciosa: malum tamen

adeo non coercetur, ut quotidie ſerpat latius. Falluntur, qui calamos omnes ac typos ſalutis publicae cura impelli credunt. Quieſcant operae multae, et literarum ſtudiis rectius conſuletur. Optimum ſibi quisque librum componere uidetur; et dabo, plures in uno genere optime poſſe ſcribere; at non pauci aliena patrimonia audacter expilant, nihilque uel ingenio uel induſtria ad ueritatem roborandam ornandamue conferunt. Sic animi noſtri in diuerſas partes diſtrahuntur, tempusque libris legendis tribuendum propemodum perit. Quare non dubito, quin gratiam a uobis, chariſſimi, initurus ſim, ſi, quantum quidem in me erit, ueſtros labores leuem. Iam noſtis ſcholarum mearum inſtituta. Quemadmodum in ciuitate literata nonnulli ſcrutantur, multi coaceruant, alii fabricantur, caeteri exornant: ſic id mihi negotii impono, ut non ſolum originum, antiquitatum ac uiciſſitudinum artium ſcriptores recenſeam, ſed et, theſauris apertis locupletioribus,

ribus, oculis manibusque ueſtris exhibeam ſyſtemata, compendia, commentarios. Non diſſimulo, quos, meo quidem iudicio, ſcientia quaeuis optimos habeat auctores; optimos, inquam, non optimum unum omnium, quem tot, tamque excelſis mentibus ad eamdem metam, ſed uario itinere, tendentibus definire non audeo. Addo, quam methodum ſequi, quae accuratius inueſtigare, quae diligentius excolere debeamus. Haec exſpectate, non arcana, quae mihi non ſunt in promtu. Frequentiorem unius rei mentionem interdum poſtulat encyclopaediae indoles. Si qua Vobis ſtrictim, preſſius ac ieiunius ſcripta uidentur: ea ſibi reſeruat plenius explicanda ludus meus literarius, in quem me non ſine multa iucunditate abdo, coniicioque ex ſignis certiſſimis, uos etiam, lectiſſimi iuuenes, his congreſſionibus maxime delectari. Reficite igitur animos, et conquieſcite mecum in ſtudiis hiſce mitioribus; haec aleam noſtram, haec comiſſationes, haec ſpe-

ctacula, haec colloquia exiſtimemus. Tametſi multa, ut res humanae ſunt imperfectae, poſſint in conatibus noſtris honeſtiſſimis deſiderari: eos tamen, ſcitote, nos ab inertia ſenſim abducere, uiamque ad ſapientiam munire, qua uera uirtus, omnium rerum expetendarum caput, nititur. Valete, optimi, et ſpem melioris, ſi quod futurum eſt, aeui uiriliter fulcite. Scr. Altorfii Cal. Nouembr. cIↄ Iↄ CCLI.

SERIES

SERIES CAPITVM.

CAP. I de eruditione comparanda pag. 1.
CAP. II de literis humanioribus p. 43.
CAP. III de linguarum ſtudio p. 50.
CAP. IIII de lingua germanica p. 64.
CAP. V de lingua latina p. 69.
CAP. VI de lingua graeca p. 74.
CAP. VII de linguis occidentis p. 76.
CAP. VIII de linguis orientis p. 80.
CAP. VIIII de Stilo p. 82.
CAP. X de Rhetorica p. 87.
CAP. XI de Poetica p. 94.
CAP. XII de Hiſtoria p. 100.
CAP. XIII de Chronologia p. 106.
CAP. XIIII de Genealogia p. 111.
CAP. XV de Heraldica p. 114.
CAP. XVI de Geographia p. 118.
CAP. XVII de Diplomatica p. 123.
CAP. XVIII de Sphragiſtica p. 127.
CAP. XVIIII de Antiquitatum ſtudio p. 130.
CAP. XX de Numiſmatica p. 136.
CAP. XXI de Hiſtoria Romana et Italica p. 141.
CAP. XXII de Hiſtoria Germanica p. 145.
CAP. XXIII de Hiſtoria aliarum gentium, praeſertim Europae p. 153.
CAP. XXIIII de Hiſtoria eccleſiaſtica p. 160.
CAP. XXV de Hiſtoria literaria p. 170.
CAP. XXVI de Philoſophia p. 195.
CAP. XXVII de Logica p. 206.
CAP. XXVIII de Critica et Hermeneutica p. 215.
CAP. XXVIIII de Metaphyſica p. 220.
CAP. XXX de Phyſica p. 226.

CAP.

CAP. XXXI de diſciplinis mathematicis p. 231.
CAP. XXXII de philoſophia practica ſiue morali p. 242.
CAP. XXXIII de iure naturae p. 253.
CAP. XXXIIII de iure gentium p. 260.
CAP. XXXV de decoro p. 264.
CAP. XXXVI de Politica p. 267.
CAP. XXXVII de Statiſtica ſiue notitia rerumpublicarum ſingularium p. 273.
CAP. XXXVIII de Oeconomica p. 280.
CAP. XXXVIIII de iure ciuili generatim p. 284.
CAP. XXXX de iuribus populorum antiquorum et exterorum p. 295.
CAP. XXXXI de iure Romano p. 299.
CAP. XXXXII de iure Germanico p. 311.
CAP. XXXXIII de iure Criminali p. 324.
CAP. XXXXIIII de iure Canonico p. 328.
CAP. XXXXV de iure publico Imperii R. G. p. 336.
CAP. XXXXVI de iure feudali p. 346.
CAP. XXXXVII de iurisprudentia practica p. 351.
CAP. XXXXVIII de iurisprudentia particulari p. 358.
CAP. XXXXVIIII de ſtudio Theologico p. 369.
CAP. L de ſtudio Medico p. 377.
CAP. LI de exercitationibus humanitatis politioris p. 380.

CAPUT I.

CAPUT I.

DE ERUDITIONE COMPARANDA.

§. I.

SI iurisprudentia non temere rerum diuinarum atque humanarum notitia, iuſti atque iniuſti ſcientia dicitur: multarum diſciplinarum ope eamdem indigere, intelligent omnes.

An ideo, ut cel. GUNDLINGIO in Prot. ff. tit. de Iuſt. et Iur. §. 14 uiſum eſt, inſaniuerint permulti, quod in explicatione huius definitionis, ob rerum diuinarum mentionem, res ſacras reſpexerint, non disquiram; nec ſcommata, quibus MURATOR. in libr. dei difetti della giurisprudenza c. 1 iuris artem confectatur, moror. Iurisprudentiae definitionem latiſſime patere, ſatis conſtat.

§. II.

Quum itaque ars longa ſit, uita breuis: facilis occaſio utiliſſima quaeque diſcendi iuris cultoribus offeratur. Opus eſt inſtitutione, libris, exercitatione.

Fruſtra nituntur, qui ſola natura atque experientia duce hodie ad eruditionem ſolidam ac praeſertim ad iuris doctrinam adſpirant. *Αυτοδιδακτος* non eſt, quem libri docent et exempla. uid. cel. FEUERLINI diſſ. de eruditis ſine praeceptore. Iter *αυτομαθων* dubium eſt et difficile et, uia planiſſima hodie undique patente, ineptum. Selectam bibliothecam *αυτοδιδακτων* ſiue recenſum uirorum eruditionem aliquam ſine uiua doctoris uoce propria induſtria conſecutorum exhibuit GEOR. LVD. GOLDNER. Ingenio, uera uirtute ac induſtria munito, non deerunt adiumenta doctrinae. Si ſuperari nequeant impedimenta, ſatius eſt, aliud uitae genus eligi, quam improbo labore in literis parum proficere. In artibus quoque mechanicis, aliisque rebus utiliter tractandis ſolertia requiritur.

§. III.

Quo maiora ex literis optimis incrementa capit reipublicae ſalus: eo impenſius iisdem prouideant populorum rectores, ipſique artibus ad rempublicam prudenter gubernandam pertinentibus inſtituantur.

1) Non reſpondemus iis, qui eruditionem rei communi pernicioſam exiſtimant, nec diſceptamus, an, eiectis literis, reſpublica euertatur. Talia diſputat fanatica turba et otioſa. In ciuitatibus bene moratis ſine literis nec diuinioris ſapientiae praecepta exponi, nec ius dici poſſe, obſcurum eſt nemini. Sacrorum autem et iuſtitiae cura maximum ſalutis publicae praeſidium, conf. BARBEYRAC *diſcours ſur l'utilité des lettres et*

des ſciences par raport au bien de l'etat. 2) Mundum exigua regi ſapientia, inconſiderate dicunt, quamcumque interpretationem adiungant. uid. ADAM. RECHENBERG. diſſ. an mundus exigua ſapientia gubernetur? Nonnullae quidem res publicae etiam nunc immanitate quadam, non prudentia, uigent; at generi noſtro ſunt dedecori; nam ciues ſuos ad belluarum ſortem deprimunt, atque adeo nec lege, nec ratione, ſed metu coercentur. 3) Literarum ſtudia principi diſſuadent aſſentatores, peruerſo ſane conſilio ac deteſtabili, quo id agunt, ut domino uitiorum illecebris uel rebus nauci noxae quaſi dedito quadrata rotundis impune miſceant. Nullius diſciplinae lineamenta princeps ignoret; at utiliores artes noſcat penitus, ut non dignitate tantum, quam fortuna praeſtat, ſed et ſapientia, diuino iſto regis inſigni, inter reliquos eminere uideatur. Principe Muſagete regnante, opus Muſarum feruet, ac ciuitas politiorem faciem induit. Multi de paedagogia regia commentati ſunt, quos recenſet MORHOF. Polyhiſt. t. I, L. II c. 12. Tam arduum negotium regulis perpetuis ſubiicere, non cuiusuis eſt magiſtri. conf. IACOBI, Regis Angl. donum regium. BOECLERI hiſtoria ſchola principum. LOCK. *de l'education des enfans et principalement des princes.* Inſtitution d'un Prince, ou traité des qualitez, des vertus et des devoirs d'un ſouverain. Leide 1739. 4) Si qui reges literati fortaſſis non ex uoto ciuitatem moderati ſint, id non literis generatim, ſed ſtudiis rege non ſatis dignis uel reipublicæ exitioſis tribuendum eſt. uid. §. CCLXXIV. LUDEWIG. in comment. ad Aur.

Bull P. II p. 1450 ſq. BARTHOLDI philoſophia principis paedantiſmo oppoſita. LOESCHER. bibliotheca purpurata.

§ IIII.

Numquam ſingulae reipublicae partes recte adminiſtrabuntur, niſi ingeniorum delectus habeatur.

1) Decantata querela, uiros rebus gerendis idoneos rarius prodire, perinde quaſi natura nunc eſſet effoeta. Ingenia pulcra, ſingulari Dei diſpenſatione, non ſemper in ſplendidis palatiis reperiuntur, ſed ſaepius ſub ſordido latent tugurio. Heroum filii noxae. Explorentur igitur ingenia, et nulla natalium habita ratione, in lucem producantur. Aſt tam moleſta huic inſtituto laudabili obiiciuntur impedimenta, ut conqueri, quam remedium malo certiſſimum afferre, malimus. 2) Parentes ſibi liberorum ſtudia dirigendi, eorumque uitae genus definiendi poteſtatem iure propitio uindicant; ſed rarius ſalutis publicae, plerumque uel commodorum ſuorum uel uanae gloriae cura ipſos ſolicitat. Nec puer aut iuuenis fragilis conſilii fortunae ſuae arbiter eſſe poteſt. Si perconteris, cur tot homines ſorte ſua non ſint contenti; illum iam in utero ſtudiis infauſto omine deſtinatum fuiſſe, hunc craſſioris indolis tironem, ab opifice magiſtro dimiſſum, aliorum auctoritate ad literas, tamquam in metallum, abiiſſe, multos denique ſemet ipſos miſere decepiſſe, animaduertes. conf. LEYSER. medit. ſpec. XVII n. 5. 3) Quare princeps ipſe ingeniis deligendis conſtituat inueſtigatorem

gatorem et grauitate et fide et eruditione ſumma praeditum. Si nobiliſſimus quisque principis equis et canibus proſpicit; quidni cordi habeat ciues egregios? Vt hominum characteres recte ſtatuantur, non ſolum mentis perſpicaciam, ſed et ſedatos mores ac diligentiam reſpici oportet. Nemo neſcit, ingenia acerrima, ſed immanſueta, et monitoribus aſpera, ineptiis facile indulgere, atque adeo ciuitati plus nocere, quam prodeſſe Nonnullorum genius auerſatur literas, at mirifica dabunt artis alicuius mechanicae ſpecimina. Sic multo plures ad ſtudia, quam ad rem pictoriam, et muſicam aptos deprehendimus. Aſſiduus uſus uni rei deditus naturam ſaepe, ſed non ſemper, uincit. IO. HUART. examen de ingenios para las ſciencias. MORHOF. t. I L. II c. I et 2, VOGLER. diſſ. de delectu ingeniorum; BUDDEI diſſ. de cultura ingenii. LANGII protheoria eruditionis c. IV §. 40. HEINECCII diſſ. de iure principis circa ciuium ſtudia.

§. V.

Induſtria conſiliis ſanis, beneficiis ac praemiis adiuuetur.

1) Literis operam daturus prudentiores audiat. Etſi enim uarii libri iſagogici conſuli poſſint; iidem tamen diuerſitati ingeniorum, locorum, temporum non ſatis commode reſpondent. 2) Non facile emergunt, quorum uirtutibus obſtat res anguſta domi. Honeſtis conatibus hodie ſubſidia numquam defutura uiderentur, ſi multorum mentes non eſſent laeuae. Modo beneficia in alios uſus conuertuntur, modo in-

dignis, modo locupletioribus ſubminiſtrantur; hinc, ingeniis praeſtantiſſimis ſaepius cum paupertate luctantibus, inertiſſimos ad quoduis nequitiae genus allicit multitudo beneficiorum. 3) Exploratoribus igitur ingeniorum cura quoque ſubſidiorum commendetur, quibus literarum cultorum, quantumuis dignorum, anguſtias ita ſolari ſtudebunt, ne deſinant egere. Nam pauperum animi, rebus ſecundis, plerumque luxuriant, multisque egeſtate nihil ſalutarius. Deinde diuinioris doctrinae ſtudioſis ita ſuccurratur, ne reliquae diſciplinae maxime neceſſariae negligi uideantur. AHASV. FRITSCH. tr. de ſtipendiis et ſtipendiatis ſcholaribus. HOFFMANN. REINHART. ZAVNSCHLIFFER. de iure ſtipendiorum. IO. SCHULZ. de obligatione ſtudioſi ſtipendiarii. Vt familiis ſtipendia aſſignentur, haud iniquum eſt; dummodo Minerua familiae ſemper ſit propitia. CLAPROTH. de ſtipendiis familiae.

§. VI.

Scholae atque gymnaſia ita adornentur, ut uerae uirtutis ac doctrinae officinae dici poſſint.

1) Quae in *Obſeruat. ſelect. Hal.* t. I obſ. 10 contra ſcholarum neceſſitatem et utilitatem diſputantur, ieiuna putamus; refutauit eadem PHIL. BALTH. GERDES. in progr. ſingulari. Ineptus ſemper ſuaſor fuit, qui, ubi perfecta conſequi non poſſumus, ad barbariem redire, quam imperfecta tolerare, maluit. Tam laetos ſcholis fructus debemus, ut ne ruſticus quidem hodie ſine probro literarum rudimenta ignoret, quae olim multis uiris illuſtribus obſcura fuere. Et enim per

omnes

omnes pagos in ſcholis, quas inferioris etiam iurisdictionis praeſidi inſtituere conuenit, religionis chriſtianae et grammatices patriae principia tradantur. conf. MORHOF. t. I L. II c. 2. KOELER. diſſ. de ueterum recentiorumque Germanorum ſcholis ſolitis et ſolidis. 2) Boni praeceptoris partes laudabiliter ſuſtinere, arduum eſt. Ab huius generis homine ſaepius commoda maiora, quam a uiris longa titulorum ſerie fulgentibus, exſpectare poteſt reſpublica. Lautiora igitur paedagogis fidelibus decernantur ſtipendia; tantum abſit, ut deſpiciantur, ut ornentur honoribus; nec uiliores homines tam graui muneri, quod pueros ad humanitatem informat, praeficiantur. Cum pauci in puluere ſcholaſtico uerſari cupiant: princeps ex iis, quibus Muſa fauet, ſeminarium in ſcholarum uſum et incrementum colligat, ne magiſtrorum exquiſitorum copia umquam deſit. 3) Quisquis in erudienda iuuentute feliciter progredi contendit, is pietate ac uirtute haud fucata nihil prius habeat, nihil antiquius; praecepta ſua non uerbis tantum explicet, ſed et exemplo ſuo roboret; dum cultum urget, caueat ipſe, ne ſordidus et inurbanus uideatur. Vix dici poteſt, quantum interſit, praeceptorem ſe ſemper pium, probum, diligentem, grauem et ſanctum exhibere, nec umquam ſatis inculcari poteſt iuuentuti, timorem domini initium eſſe ſapientiae. Quae ſi negligantur, non altius repetenda eſt ratio, cur in multis ſcholis infelix lolium dominetur. 4) Methodum docendi expoſuere quidem uiri integerrimi, nonnihil tamen magiſtri cuiusuis iudicio relinquendum erit.

MORHOF. c. I. laudat in primis conſilia ſcholaſtica IO. STURMII, quae L. II c. 10 latius enarrat. Libellos huius argumenti uarios uarii collegerunt; nimirum HENR. STROBAND THOM. CRENIUS, ALBERT. MOLLNAR. ut Baſileenſem, Belgicasque duas collectiones tranſeam. EDMUNDI RICHERII obſtetrix animorum multis olim placuit. Inter recentiores iure ſuo commendatur CAROL. ROLLIN *de la maniere d'enſeigner et d'etudier les belles lettres par rapport à l'eſprit et au coeur.* Accedunt CLERC. *penſées ſur la neceſſité et ſur la maniere d'etudier pour les perſonnes, qui ne ſont pas profeſſion de lettres*, in t. II Parrhaſ. IO. MATTH. GESNERI inſtitutiones rei ſcholaſticae. GOTHOFR. VOCKERODT. conſultationes de litterarum ſtudiis. GEORG. VENZCKY *Vnterricht für Schüler zur wahren Weisheit.* Agenda ſcholaſtica *oder Vorſchläge guter Schul-Anſtalten.* Plures indicat WALCH. *im Entwurff der allgemeinen Gelehrſamkeit* L. I c. 4. STRUVII praefat. ad Guarini libellum de ordine docendi et diſcendi. SCHMEIZEL. *im rechtſchaff. Lehr- und Hofmeiſter* c. I. Via, ad ſolidam rerum cognitionem ducens, eo melior eſt, quo facilior. Aſperrima uero iſta, quae diſcipulorum memoriam ſemper affligit. Male dictum illud: tantum ſcimus, quantum memoria tenemus, in rem ſuam uertunt praeceptores nonnulli, qui praeclare partes ſuas ſibi explere uidentur, cum penſa definiunt. Multa ſunt omnino memoriae mandanda, ſed ita, ut huic rei ſi non plus, certe non minus operae impendat magiſter, quam diſcipulus. Vtiliter autem haec opera impenditur, ſi methodum erotematicam adhibeamus, quam excitandae menti acuen-

Digitized by Google

acuendaeque aptiſſimam arbitramur. 5) Ludi literarii uulgaris moderator ſanctioris diſciplinae ac grammaticis ſermonis patrii elementis iuuentutem imbuat; doceat calligraphiam, artem epiſtolas ſcribendi, arithmeticam; addo, ſi fieri poſſit, muſicam. Nec decori praecepta parui pendat. Decorum innuo, plebe dignum. Inter agricolas etiam alii ſunt decori, alii indecori. Si catecheſis iuris, ex ſtatutis patriis praecipue compoſita, iam ſcholis inferioribus diſcenda proponeretur; uaria paroramata non admitterent ciues, liteſque multas uitarent.

§. VII.

Diuerſa ciuium ſtudia diuerſas ſibi depoſcunt ſcholas, earumque claſſes uarias.

1) Germania ſcholas gradatim inſtituit, triuiales, gymnaſia, academias; nec tamen abundat ſcholis bene conſtitutis. Quid in quauis ſchola tradendum ſit, nec praeceptorum, nec parentum, ſed publica auctoritate ſtatuatur. Si in ſcholis inferioris generis literas humaniores h. e. linguae patriae, latinae, graecae rudimenta, ſtili, rhetorices, dialectices, poetices praecepta, mathematicas diſciplinas, hiſtoriam uniuerſalem accuratius diſcamus, quid deſiderabimus amplius? Omnes eiusdem claſſis diſcipuli easdem quoque leges ſeruent. Nec audiendi ſunt iuuenes quidam rudes et ſtulti, eorumue parentes imperiti, qui nonnullas exercitationes ſibi minus neceſſarias ducunt. Nolint uereri, ne quid nimis; habebunt ſemper, quod in academiis expoliant; quamquam hodie iſta, teſte cel. HEUMANNO in

uia ad hiſtor. literar. c. IV §. 56, ita tractantur in gymnaſiis, ut academici profeſſores graecae et latinae linguae, itemque poeſeos ac rhetorices, fere κωφα πρoσωπα eſſe cogantur. 2) Gymnaſia nonnulla, quae academica dicunt, ſtudiis propaedeuticis non terminantur, ſed et in primarias excurrunt artes. Vt initia u. c. iurisprudentiae *praeguſtanda* exhibeantur adoleſcentibus, eorum commodis conuenire uidetur; ſed prouideamus, ne hac ratione ſemidoctorum agmina nimis augeantur. Multi enim, artibus liberalibus leuiter tincti, illotis manibus εργον moliuntur, nihilque ſibi in academiis, niſi ut praelibata repetant, agendum eſſe credunt. 3) Sicut legum doctrinae habitus atque uſus uarius eſt: ita iuris cultorum multiplex inſtitutio. Alia nimirum curat legislator, alia conſiliarius, alia iudex, alia cauſſarum patronus: at horum nullus partes ſuas ſine ſcientia ſolida tueri poteſt. Multorum, quos ſecretarios, actuarios, practicos, notarios, ſcribas etc. appellant, ars plerumque uſu tyranno ac re formularia nititur, quam, ut accepere, ita ſuis tradunt amanuenſibus, magiſtro ſaepius peioribus. (§. CCCLXII) Si huiusmodi homines uera artis ſuae fundamenta numquam cognouerunt, quid mirum, ſi per errorem labantur quotidie, ciuibusque ſuis, nequitia praeſertim accedente, mille damna inferant. Quum hodie non poſtuletur, ut omnes adeant academias, etſi a permultis poſtulari poſſet: eo tamen adigi deberent rei forenſis ſtudioſi, ut in urbibus ſaltem praeſtantioribus iurisconſulto alicui ſatis exercitato aſſiduam darent operam.

BAUDIS.

BAUDIS. de ſcholis iuridicis Romanor. SCHWENDENDOERFFER. de urbe Roma, communi et praecipua legum ſchola. NIC. REUSNERI oratio de academiis et ſcholis praeſertim iurisperitorum. IO. FRID. FREIESLEBEN. meditatio de iurisprudentia ſcholaſtica ſeu praeparando iuris ſtudioſo in ſcholis.

§. VIII.

Quum academiae omnis doctrinae emporia cenſeantur: in promtu habeant, quidquid hominem reddere poteſt meliorem, doctiorem, politiorem.

1) An et quomodo ab academiis differant ſcholae, disquirunt *Obſeruat. Sel. Hal.* t. I obſ. 2. Veram eruditionem etiam extra academiam acquiri poſſe, non diffiteor; interdum tamen lex ſedes Heliconias aliquamdiu coli iubet, iudiciumque benignius, licet fallax aliquando, pro academicis fertur, immo ii prope ſoli, qui auram academicam hauſere, hodie eruditorum ordini adnumerantur. De academiis commentati ſunt LANSIUS et LIMNAEUS. CONRING. antiquitates academicas expoſuit. cel. HEUMANN. ad quaeſtionem: *zu vvelcher Zeit und vvarum man die Vniuerſitaeten Academien tiulirt habe?* reſpondet *in der neuen Biblioth.* P. XLV p. 363 ſq. C. I. VVIDEBURG de origine iuris praelaturae academiis Germanicis competentis. Politica tradit STOCKHAUSEN. de iure et cura principis circa academias. HENR. BOCER. de dignitate et utilitate academiarum. add. CASP. THURMANNI bibliotheca academica. AUGUST. BALTHASAR. rituale academicum. BAUER. de fanaticis acade-

mia-

miarum hoſtibus. 2) Quando ſtudiorum uniuerſitas florere dicatur, forſan non una omnium ſententia erit. Vulgo eam academiam beatam praedicant, quae aliquot millia ſtudioſorum complectitur. Iuuenum uero multitudinem congregat locus opportunus, annonae uilitas, doctorum copia intra tempora ſtata, eaque perbreuia, ſyſtemata ſua explicantium, paullo laxior morum diſciplina, edictum principis *bannarum*. Sed prudentiores probe diſcernunt fucum a uera reipublicae literariae felicitate. Barbaris moribus nihil indulgendum, ne academica tempora lubricae iuuentuti aeterno ſint exitio. In humanitatis ſtudiorum cultura praecipuum academiae ornamentum poſitum exiſtimetur; ſed quam paucos ex ingenti quodam exercitu ſtudioſorum huius rei cura attingit! quam illiberaliter, quam craſſa Minerua tractantur omnia. Magiſter currit, currunt diſcipuli, ad exitum praecipites feruntur. Si farraginem chartarum notulas quasdam doctoris feſtinanter calamo exceptas continentium tollas, tota perit ſapientia, mens manet, quae fuerat antea, tabula raſa. Sed quid iuuat naeuos arguere? praeſtat audire conſilia prudentum. CHRISTOPH. HEGENDORFFINI orat. de rationibus reſtaurandi collapſas academias. POLYC. LEYSER. de flore academiarum promouendo. AUG. LEYSER. de errore Germanorum exteras academias patriis praeferentium. MEVSCHENS *Bedencken von der Verbeſſerung der Vniuerſitaeten und Schulen.*

§. VIIII.

§. VIIII.

In Germania academiae, inſignibus priuilegiis ornatae, procerum auctoritate ac beneficio, Caeſariſque auſpiciis condi ſolent.

Academiarum ortus et fata proſpera a liberalitate principis pendent, nec tam eximiae immunitates ab alio, quam a ſuperiore terrae domino concedi poſſunt. Honores, quos hae ciuitates literatae induſtriae impertiunt, e nobilitatis fonte h. e. ex Caeſaris maieſtate manant; quamobrem academiae maximum decus ſuum Imperatoris priuilegiis debent. ZIEGLER. de iure maieſt. L. I c. 23. IAC. FRID. MOLLER et CHR. ROEHRENSEE diſſ. de iure maieſt. in academias et circa rem literariam. RINK. diſſ. Imperatores primi, perpetui ac ſoli academiarum in Germania auctores. CASP. HENR. HORN. progr. de iure uicariorum academias erigendi et in iisdem dignitates conferendi. TREUER. diſſ. de officiis academiarum Germaniae in Caeſarem et imperium. Ordines imperii nulla lex ad ſtudiorum uniuerſitates condendas adigit, ſed iam conditas ſeruare, ſcholasque inferiores potiſſimum cordi habere, boni principis eſt. TREUER. diſſ. S. R. I. electores nulla lege Imperatoris adſtringi ad academiam condendam. Hodie plura quidem diſcimus, ſed olim plus diſcebant, ac multo maiora commoda a gymnaſiis exſpectanda erant, quam hodie ab academiis nonnullis, neſcio ex quibus rationibus politicis, conflatis. Forſan literarum ſaluti rectius conſuleretur, ſi, ſuo gymnaſiis reſtituto honore, nonnullae diſſoluerentur academiae. CONR. THEOD. LINCKER. orat. II de uſu et abuſu academiar.

§. X.

§. X.

Iurisdictio academica ex omni parte definiatur, neque ulla ratione turbetur.

Quum limites iurisdictionis academicae ſint diuerſi, ad normam aliquam perpetuam confugere non licet, quamquam ſemper priuilegio huiusmodi iurisdictio nitatur. Quanta mala ex litibus uel cum magiſtratu oppidano uel cum aliis tribunalibus ſuſcipiendis in academias redundent, quam uellem ignorare! Nonnulli coetus literati inter ordines prouinciales locum occupant, alii iure gladii muniti ſunt, atque in fundis ſuis ius dicunt, multi adſtrictiore poteſtate utuntur. Illuſtrant haec COTHMANNI conſultat. academicae, CASP. ACHAT. BECK. progr. de exemtione academiarum a iurisdictione curiarum prouincial. CARLIER. de iure academico. GIESENIUS de iure, regimine atque fatis academiar. LUDEVVIG *gelehrte Anzeig.* P. III p. 320. TREUER. diſſ. de iurisdictione academiarum priuilegiata in cauſſis criminalibus. De officio ac dignitate Rectoris academici uid. THOM. BARTHOLINI, IO. CASELII, IO. VVOLFG. a RECHENBERG orationes, et DAV. VVENDELERI diſſ. De origine, dignitate et officio Cancellariorum academicorum oratio HENR. MEIBOMII in VVENCKERI collect. archiu. exſtat.

§. XI.

In Profeſſorum collegia princeps cooptet uiros probos, eosque honeſtis inuitet conditionibus.

1) Quisquis hoc ſaxum uoluere auet, is perquirat, quid ualeant humeri, antequam hoc

uitae

uitae genus ualde difficile obeat. Multi, qui aliam ſpartam praeclare ornaſſent, huic oneri ſuccumbunt inglorii. In his ſolidior deſideratur eruditio et elegantior, in illis aſſiduitas; aliis deeſt donum didacticum, nonnullos premit inopia, quidam moribus praediti ſunt durioribus. Ad alia munia obtinenda ualeant maiorum merita, ualeat amicorum et fautorum commendatio, ualeat denique pecunia; ſed haec omnia nihil momenti habent ad ueram doctoris laudem, quae, multo ſudore parata, iuſtis, licet haud petitis, praemiis numquam deſtituitur. conf. l. un. C. de profeſſor. qui in urbe Conſtantinop. IO. GOTFR. KRAUS. progr. de dotibus atque uirtutibus boni profeſſoris. 2) Parcas manus ac tenaces auerſabitur, quem, quanti hodie eruditionis conſtet apparatus, non fugit. Itaque nolint committere Maecenates, ut induſtria rei familiaris tenuitate oppreſſa langueſcat; nolint literarum luminibus obſcuram nubem obducere; nolint immunitates moribus antiquis ac legibus confirmatas imminuere; quamquam poſtulandum non eſt, ut ſchola in ſaginam mutetur; magiſtros enim, rebus in obeſis, uentri ſaepius obedire comperimus. PETR. REBUFF. de priuilegiis ſcholarium. ZAUNSCHLIFFER. de profeſſorum priuilegiis.

§. XII.

Vt anteceſſoris munus ſemper habitum fuit arduum: ita hodie, in Germania praeſertim, eodem nihil laborioſius, nihil moleſtius, nihil, in quo rarius ex omni parte placeas.

Nimium

Nimium ne crede colori; quam multos, cum et ſibimet ipſis et aliis deeſſe ſe animaduerterent, conſilii poenituit. Doctores academicos artibus liberalibus ad humanitatem informatos eſſe neceſſe eſt; ſed ICti quidam, aliis rebus gerendis praefecti, haud uulgarem laudem, etiamſi ab elegantiore doctrina commendari non poſſent, adepti ſunt. Iurisprudentiae campus hodie mirum in modum dilatatur; nullam illius partem praeterire poteſt anteceſſor. Etenim totam legum ſcientiam licet non unus doceat: tamen totam noſſe debet de iure reſponſurus. Sed ſatius eſt haec ex aliis diſcere. conf. HUG. DONELL. orat. de recta iuris docendi ratione, deque anteceſſorum delectu. EVERH. OTTO de arduo anteceſſoris munere. REIZ. de requiſitis in iuris doctore ſeu anteceſſore uirtutibus. ENGELBRECHT. de eo, quod intereſt imperantis, ut in academiis collegia ICtorum floreant in praefat. Conſultat. Collegii ICtorum Acad. Gryph. MOSERS *Gedancken, wie Univerſitaeten beſonders in der Iuriſtiſchen Facultaet ſo wohl in einen guten Ruff und Aufnahme zu bringen, und darinnen zu erhalten, als auch recht nüzlich und brauchbar zu machen ſeyn möchten.* HEINECC. progr. de iurisconſultis ſemidoctis, cauſisque, cur tam pauci hodie ad ueram iurisprudentiae laudem perueniant. THOMAS. *von den Mängeln der heutigen Academien, abſonderlich aber in der Iurisprudenz; in den kleinen Schriften* p. 195. VLRICI HUBERI dialogus de ratione iuris docendi et diſcendi in BUDERI collect. pag. 35. LUDEVVIGS *gelehrte Anzeigen* P. I p. 109.

§. XIII.

§. XIII.

Iuuentus nullam cum in uirtutis, tum in literarum ſtudiis feliciter progrediendi opportunitatem praetermittat, temporisque iacturam irreparabilem eſſe cogitet.

1) Academiae culpae multiplicis inſimulantur, ſed ab iis maxime, quos academias umquam adiiſſe pudeat. Etſi natura prudentiam non ſemper annis metitur: aetati tamen tenerae in academiis uaria pericula inſidiasque parari nouimus; proinde pueri caute admittendi. Prouectior aetas uerum et falſum rectius internoſcit; ſed de memoria, cuſtode perfida, conqueritur. KORTHOLT. diſſ. de ſtudio ſenili. MOLLER. de ὀψιμαθεία. Quamdiu in artium ſtudiis, praeſertim in iurisprudentia, elaborandum ſit, rite definiri non poteſt, tempora tamen magis proferri, quam arctari debent. PETR. MULLER. diſſ. de quinquennio ſtudii iuris. STEPH. CHRIST. HARPPRECHT. progr. an ille, qui ſupremos in iure honores ambit, integro aliquo quinquennio extra patriam ſuam in academia una uel altera ſtudiis incubuiſſe debeat, an uero ICti homini alias erudito in patria literis ſuis imbuto, quinquennio Iuſtinianeo nullibi exacto, doctoratum iure conferre queant? 2) Opera omnis in artibus reipublicae utilibus collocetur; aſt de utilitate nec doctores iudicent, nec diſcipuli; ſed principis eſt, quid expediat ſtatuere. Magiſtri ſaepius uanitati, aliisque uitiis dediti; unde monſtra ciuitati literariae ualde perniciosa nata ſunt charlataneriae, paedantiſmi, machiauelliſmi etc. quorum

rum primum exagitat MENCK. et STUDELIUS, alterum HUBER. et HÜBNER. tertium LILIENTHAL. add. HIERON. HIRNHAIM. tr. de typho generis humani ſiue de peruerſo ſcientiarum ſtudio, cuius epitomen exhibent *Obſeru. Hal.* t. VII n. 8. HENR. CORNEL. AGRIPPA de incertitud. et uanitate ſcientiarum. FR. BACO de VERULAM. de augment. ſcient. L. I. POIRET de triplici eruditione ſolida, ſuperficiaria et falſa. VOCKERODT de uera et falſa eruditione. IO. GOTHOFR. BÜCHNER. ſchediaſma de uitiorum inter eruditos occurrentium ſcriptor. AUG. LEYSER. oratio de uitiis et erroribus doctorum academic. Adoleſcentium turba leuior ita in literarum ſtudia incumbendum eſſe exiſtimat, ne quid mollitiae, ne quid oblectamentis, ne quid aleae dematur. Primoribus labris guſtant ea, quibus imbui oportebat; in nugis, quas neſcire ſatius fuerit, uitam terunt omnem. Si qui ad ſolidam eruditionem contendant (ſed perpauci contendunt) eos uel animi conſtantia deficit uel peruerſo ordine negotia ſua tractant. GOTFR. POLYC. MULLER. *academiſche Klugheit*. VALENT. HENR. VOGLER. diſſ. II de ſtudiorum hodiernis corruptelis, earumque cauſſis. CONRING. oratio de iis, quae in ſtudioſo quouis reperiantur, qui in academia uelit ſtudiorum fructum capere. FRITSCH. ſcholaris peccans. DAN. PEUCER. progr. de dotibus iuris cultoris ex mente Petri Baldi. HEIDEN. or. de officio ſtudioſi iuris. HEINE. de idea boni ſtudioſi iurisprudentiae. CHRISTOPH. VVILHELM. LOEBERI *vernünfftiger Student*. De impedimentis eruditionis commentationes uarias ſuppeditat Catal. bibl. BUNAU. t. I p. 449. 3) Multis ue-

ſana

ſana libertatis opinione captis academia ingens detrimentum attulit; alii, ſi acroaſes non plane negligunt, ſibi omne tuliſſe punctum uidentur; pauci expendunt, fortunam cuiusque proſperam uel aduerſam ſaepiſſime ab academicae uitae rationibus pendere. Moderatoris reipublicae officium eſt, ſcholas et academias interdum uiſitare, earumque oeconomiam ſeuerius excutere. Varia ſtudioſis parata ſunt priuilegia, ſed faceſſant indigni. VVERLHOF. SLEVOGT. FUNCC. de libertate academica. CONRADI or. de ſtudioſorum in academiis dignitate. RICHTER. de ſtatu, iure et priuilegiis literatorum. BECHMANN, aliique de priuilegiis ſtudioſorum. CHR. SHOETTGENS *hiſtorie des ehedem auf Vniverſitaeten gebräuchlich gewefenen Pennal-Weſens.*

§. XIIII.

Quum academiae uirtutem induſtriamque honoribus ornandi facultatem habeant: prouidebunt, ne dignitates iſtae in contemtionem adducantur.

Etenim ex eodem fonte, unde et nobilitas, manant honores academici. (§ VIIII) In Germania non niſi Imperatoris auſpiciis illi digniſſimis quibusque, doctrinae ſpeciminibus exhibitis, deferuntur. Quare principibus interdum et excelſis uiris huiuscemodi ornamentis condecorari placuit, quibus uariae immunitates atque emolumenta aſſignari ſueuerunt. FRANC. ALB. AEPINI diſſ. de moralitate graduum academicor. ex iur. nat. principiis contra fanaticos praeſertim aſſerta.

ITTER. de honoribus et gradibus academicis. VVALTHER. de ſtatu, iuribus et priuilegiis doctorum omnium facultatum. PETR. MULLERI diſſ. de gradu doctoris. KEMMERICH. progr. an et quousque doctores iuris immunitate gaudeant a muneribus ciuilibus, illis praeſertim, quae operis et ſeruitiis praeſtandis abſoluuntur? GRUNING. oratio: utrum gradus ac titulus doctoris hominem nobilem dedeceat, nec ne? KIRCHNERI oratio de ducibus, principibus, comitibus, et equitibus nobilibus Germanis, publice magiſtris, licentiatis et doctoribus promotis. GEBAUER. progr. de principibus, comitibus, baronibus et nobilibus, qui I. V. doctores creati fuerunt. GUIL. LEYSER. progr. quo animaduerſionibus illuſtratur decantatiſſima Friderici III conſtitutio de a. 1441 art. V de doctoribus iuris ab omnibus muneribus publicis penitus arcendis. MENCKEN. progr. de origine tituli I. V. D. HERTEL. progr. de utriusque iuris publ. doctoribus. *Obſeruat. Hallenſ.* T. VI obſ. 7 de ritu poetas laureatos creandi. SCHULZ. de poetis rituque eos coronandi. TH. SAGITTAR. orat. de priuilegiis magiſtrorum. IAC. THOMAS. progr. de uetuſto ritu creandi baccalaureos. Cauendum, ne imperiti haec ſurripiant decora, horumque praeſidio grauius noceant, quod cum doctoribus a comitibus Palatinis creatis interdum obiiciatur, bullis iſtis ſiue diplomatibus minus pretii decernitur. HOERNIGK. et SIMON. de doctoribus bullatis MARBACH. de doctore iuris bullato. IAC. BORN. progr. an facultas iuridica, quae doctorem rudem et imperitum creauit, a clientibus, quorum cauſas per imperitiam

et

et inſcitiam perdidit, ſi alio remedio illis ſuccurri nequeat, actione pulſari queat?

§. XV.

Ab academiis, quas uulgo uniuerſitates ſtudiorum appellant, aliae ſocietates literariae differunt, etſi nonnullae academiarum titulum prae ſe ferunt; quae ſi ſibi finem bonis artibus ſalutarem ſtatuant, principis uel magiſtratus auctoritate merito fulciuntur.

IO. CHPH. KOECHER. diſſ. de uera academiae notione in Parerg. Goetting. t. I, L. I p. 194. Non adſtipulamur THOMASIO in Cautel. cap. IX §. 29, ſocietates eruditorum ſcientiarum incremento obeſſe, exiſtimanti; quamquam negari nequit, ſodalitates quasdam temere iunctas mox tenebris ſepultas fuiſſe. Italia praeſertim huius generis collegiis ſemper abundauit, ſed nonnulla ad rei literariae commoda parum contulerunt. conf. MORHOF. Lib. I cap. 13 et 14 de collegiis ſecretis et aliis eruditorum ſocietatibus. STRUV. introd. ad notitiam rei literariae cap. 10. GOTHOFR. VOCKERODT. commentat. de eruditor. ſocietatibus et uaria re literaria. IO. IARK. ſpecim. hiſtoriae academiar. erudit. Ital. GIMMA hiſtoria literaria Italiae; at hodie cum Caeſaris, tum aliorum regum ac principum Europae auſpiciis praeclarae uigent ſocietates ad linguas, antiquitates, eloquentiam, ſtudia phyſica et mathematica excolenda inſtitutae. Fundus opimus, director prudens, potens defenſor, induſtria concors et liberalis, non menſibus aut nundinis obnoxia, ſocietati gloriam ſtabilem conciliabit.

§. XVI.

Multi uiri ſapientes merces ſuas in cathedra nequeunt exponere; eorum tamen conuerſatio diſcendi cupidis erit utiliſſima.

Quo plenius, quo accuratius iſti de theoria ſtatuere poſſunt, eo maioris ponderis illorum erunt ſententiae ac conſilia; ſed rarius conuerſatio fructus praeſtat exoptatos. Viros enim nominis fama clariſſimos plerumque ἐν παρόδῳ adire ſolemus, neque arduis negotiis diſtracti multum otii aliis tribuere poſſunt, nec omnibus ſapientiae theſauros aperire expedit. Quam ob rem multae peregrinationes fruſtra inſtituuntur, ſi praeſertim iuuenes nec doctrina, nec prudentia praediti iſtas obeunt. Regulae conuerſationis eruditae a MORHOF. P. I, L. I c. 14 ſuppeditatae caute adhiberi debent, quia nonnullae uix doctore ſcholaſtico, multo minus uiro polito dignae ſunt. *In Obſeruat. Selectis Hallenſ.* T. VII obſeru. 4 de conuerſationibus literariis hiſtorice disquiritur. conf. RUDIGER. inſtit. erud. p. 772. MÜLLERS *Anmerckungen über Grac. Orac. Max.* 77 p. 608. *Max.* 147 p. 278. THOMAS. *Entw. der polit. Klugheit* c. 5, 6. ROHR *Klugheit zu leben* c. 21, 22. HEUMANNS *politiſch. Philoſoph.* c. 2. SITTENFREUNDS *Klugheit zu leben*, MENANTES *Manier höflich und wohl zu reden und zu leben.* Plures infra ſiſtent cap. de decoro et politica. Scriptores artis peregrinandi appellat STRUV. in biblioth. philoſoph. tom II cap. 2, §. 32, ex quibus notetur IACOB. de peregrinat. erudit. ortu, progreſſu et fine. MATTH. BERNEGGER. de peregrinatione ſtudioſo-

dioſorum. IO. CASP. LOESCHER. diſſ. de peregrinat. litterar. GE. NIC. KRIEGK. de peregrinat. Romanor. academic. Antequam uir doctus adeatur, illius characterem ex aliis ſciſciteris, tum ſermonem ita flectas, ut ea, quae tua ſcire maxime intereſt, pernoſcas. Commercia literaria ſaepius utiliora uidentur. RECHENBERG. de epiſtolar. clar. uiror. et illuſtr. uſu.

§. XVII.

An ſcholae priuatae publicis praeferendae ſint, adhuc ſub iudice lis eſt. Scholae publicae naeuos ſuos celare nequeunt; ſed unde paedagogus ad omnia aptus paratusque?

Praeceptores ſuffragiis publicis longoque rerum uſu approbatos non cedere magiſtris iſtis domeſticis ac mercenariis, quos dura quaedam necesſitas in hoc uitae genus, tamquam in piſtrinum coniecit, quis mirabitur? Qui ruri degunt, pueros ſuos tenellos domi ſuae aliquamdiu erudiendos curare ſolent; ſed adultos in gymnaſiorum uel academiarum diſciplinam tradere nemo dubitet, cum ne principes quidem iuuentutis olim academias praeterierint; ſed hodie ſaepiſſime ſpes omnis (fallax ſane) in moderatore morum et ſtudiorum (*Hofmeiſter*) reponitur, quem ipſum plerumque doctrina cultuque indigere conſtat. Hic docet unus omnia; ſchola lectiones ſapienter diſtribuit pluribus; hic multa peruerſe tradit et ad beneuolentiam captandam; ſchola ſolide ac ſine partium ſtudio; hic diſcipulos exemplis excitare nequit, quibus abundat ſchola. Quorum, quibus artibus moderatorem inſtru-

ctum eſſe oporteat, ſcire intereſt : ii euoluant MART. SCHMEIZELII *rechtſchaffenen Lehr-und Hofmeiſter*, cuius c. I ſcriptores huius argumenti recenſet e. c. TALANDERS *Hofmeiſter bürgerlicher und adelicher Jugend*, HOFMEISTERI diſſ. de ephoris iuuenum; AENEAE CAPRARAE *reiſenden Chiron*, et cel. de HARDT epiſtolam : praeceptores priuati unde ? affert SCHMEIZELIUS p. 91. add. CHRIST. SCHRÖDERS *kurze Anweiſung zur Information der adelichen Jugend*, KEMMERICHS *neueröffnete Acad. der Wiſſenſchafften* L. I c. 4 et 5. IO. IAC. RAMBACHS *wohlunterwieſener Informator*.

§. XVIII.

Quum alterum eruditionis adiumentum ex libris quaeratur; huius quoque rei, multis corruptelis implicatae, curam princeps ſuſcipiat.

1) Qui libros omnes damnant, illis ὑγιαίνειν. Bonus liber optima conuerſatio. Nullus amicus certior, conſtantior, integrior, officioſior, placabilior libro egregio: ſed tam incredibili librorum multitudine hodie orbis literatus obruitur, ut uires unius hominis iſtis cognoſcendis, nedum legendis, impares ſint, quamuis maxima eorum parte tuto carere poſſimus. Profuſa diligentia ſaepius auctoris laudem imminuit. SALDEN. de libris uarioque eorum uſu et abuſu. PAGANIN. GAUDENTII obſtetrix literaria ſiue de comparandis et euulgandis libris. CHRIST. LIBERII βιβλιοφιλία ſeu de ſcribendis, legendis et aeſtimandis libris. Vltrai. 1681. 12. IO. CHPH. KRUSIKE uindemiar. literar. ſpec. I, quo de re libraria uniuerſe agitur; ſpec. II exhibet indicem ſcriptorum, qui de

de libris, illorumque ſcriptione, lectione, cenſione, abuſu, fatis atque poenis &c. commentati ſunt. *Obſ. Hal.* t. II de intempeſtiuo libros conſcribendi pruritu. 2) Publica auctoritate euellantur iſti ſtimuli, qui tot homines ad dulce auctoris nomen captandum dies noctesque incitant. Quisque hodie ſcribendi licentiam ſibi ſumit, quia facile quemquam inuenit, chartulas ſuas typorum ope cum omnibus communicaturum. Neuter enim lege prohibetur; prohibeantur igitur. At reipublicae intereſſe ais, diſciplinas omnes ſemper noua luce colluſtrari; libertatem ſcribendi praecipuum literatorum praeſidium eſſe ac ornamentum. Libertatem ſentiendi puto, non ſcribendi. Et quotusquisque noua lumina ſpargit? Nonne permultos deprehendis uetuſtorum inuentorum ignaros, plagiarios, conſarcinatores ineptos? Nonne ſingulae nundinae noua pariunt ſyſtemata logices, metaphyſices, &c. quae nemo deſiderauit, nemo exſpectauit. Regeris: uix ullum librum prodire, qui nihil noui ferat; noua forſan ac faciliore uel iucundiore res tradi methodo. Sed, pace tua, literarum rationibus non conducit, ſi in horas quaſi ſcientiae nouam, at non meliorem, faciem induant, nouoque ſermone tironum animos turbent. Si quid noui tibi ilia rumpat, id breuiore libello aut in diariis eruditorum docere poteris. Ob ingeniorum diuerſitatem diuerſa ratione idem argumentum tractandum eſſe, exiſtimat CLERICUS in praefat. biblioth. uniuerſal. ſed ideo non cuiuis erroni uim literis inferre fas erit. Occinis antiquum: nullus liber tam malus, quin

 ex

ex aliqua parte proſit; delectabit forte. Non ignoro haec effugia, quibus uiro docto nihil indignius, quibus ad literarum honorem contaminandum, ad uerae eruditionis guſtum corrumpendum nihil accommodatius. Viliora huiusmodi opera aliquando inhoneſto quidem funere efferuntur, aut, ſi mitius agamus, meliorum tegumenta fiunt; interdum tamen, cenſore corrupto, latius uagantur, laudantur ab imperitis, doctiores etiam eadem inſpicere coguntur, ut fatuorum hominum notam uitent, mox auctor eximius iterum typis exſcribendus eſt. Quae gloria! quid magis ad libri commendationem pertinet, quam ſi in fronte legamus: editio tertia, quarta auctior, emendatior. Sed quid conſilii? ſcribendum eſt omnino. Nam principes ipſi ſaepius ſpecimina doctrinae publica poſtulant, poſtulant ab adoleſcentibus iudicii nondum limati. Nullus rerum aequus arbiter diffitebitur, uitium iſtud ſaeculi noſtri, quo procerum indulgentia, immo culpa, permulti inficiuntur, niſi funditus exterminetur, non poſſe priſtinam optimarum artium reſtitui dignitatem. Exuamus peruerſam eorum ſententiam, qui ſapientiam librorum mole metiuntur. Socrates unus omnium ſapientiſſimus nihil literis mandauit; multis aliis rationibus ingeniorum uis, ſtudium ac prudentia in rebus agendis adhibenda declaratur aut certe poteſt explorari. Quodſi uero documentum literarium requiratur, uiros artis ſuae bene peritos conſulas, quid faciundum ſit, deinde ſat eſto, ſpecimina iſthaec ſuaſoribus ſuis approbari, ſed maiorem cultum exigit lux publica.

§. XVIIII.

§. XVIIII.

Cenſuram librorum reipublicae moderator uiris probis, prudentibus, multaque eruditione claris committat.

1) Cenſoris librorum partes grauiores ſunt, quam uulgo putantur. Scriptorum iam editorum cenſura fere inutilis, quia uel in uetitum acrius nitimur, uel iis, qui in annalibus literariis libros percenſent, nulla eſt auctoritas publica, nulla concordia. Itaque ſeuerius excutiantur uolumina, antequam diuulgentur. Quid legibus ac moribus Imperii R. G. cautum ſit, uberius docet MOSER. in praecognit. iur. publ. c. 3. Si qua religioni, inſtitutis publicis, bonisque moribus aduerſentur: ea maxime redargui ſolent; quam quidem cenſuram laxiorem eſſe exiſtimamus, ſed ne huius quidem ſemper ratio habetur. Quam foedi ad diuina Chriſti praecepta uel turbanda uel affligenda uel euertenda quotidie, ſed impune, diſſeminantur libelli! Quam multis, Deum uiuere, Deum res hominum curare, moleſtum eſt! quos usque eo (tanta uis eſt amentiae) ſortis humanae taedet, ut hominem infra omnes beſtias amandare laborent. Nulla flamma uindex, nullum piſtrinum, nullum eleborum paratur iſtis περικαθάρμασι; placent delirae chartae non paucis, ut exquiſitioris guſtus opus. Aliorum labori tantae quidem infamiae nota non haeret; ſed nihilominus is ſupprimendus eſt, ſi prauas artes tradit, ſi libidines fouet, ſi diſciplinas praeter neceſſitatem uariis difficultatibus illaqueat, easue dedecorat.

uid.

uid. SCHUFFNER. de multitudine librorum NEVIZAN. de librorum multitudine reſecanda. IAC. GRETSER. de iure et more prohibendi, expurgandi et abolendi libros haereticos et noxios. CHR. GOTFR. HOFFMANN. *Vorrede von dem Vrſprung, Fortgang und Nuzen der Bücher-Cenſur*, P. XIV *der aufrichtigen und unpartheyiſchen Gedancken über die Journale*. BOEHMER. diſſ. de iure circa libros improbatae lectionis. RECHENBERG. diſſ. de libris obſcoenis. MORHOF. Polyh. L. I c. 8 de libris damnatis, magicis, haereticis etc. *Obſeru. Hal.* t. X obſ. 8 et 9.

§. XX.

Prouideat praeterea magiſtratus, ne quid per typographos ac bibliopolas detrimenti capiat reſpublica.

Etſi typographiae beneficium, Germanorum ſolertia, orbi diuinitus conceſſum magni aeſtimandum ſit: ad perniciem tamen literarum eodem iam dudum abuti coeperunt homines rudes ac ſordidi, qui, quae temporum noſtrorum tetra labes, de literatorum ac totius eruditionis fortuna pro commodis ſuis ſtatuere non dubitant. Non deſunt inſtituta optima, leges iuſtae, poenae grauiores: ſed malo nullum remedium par eſt, niſi principibus praecipuum hoc *regale* maxime cordi ſit. De legibus publicis imperii noſtri librariis uid. MOSER. in praecognit. iur. publ. c. I. LUDEWIG. *in gelehrten Anzeigen* P. III p. 78 differit de artis typographicae *cenſore et ſuperattendente generali* ab Imperatore olim conſtitui ſolito; hodie huius generis munia gerit Caeſaris

com-

commiſſarius librorum, qui Francofurti ad Moenum cenſuram exercet. add. FRITSCH. tr. de abuſibus typographiae tollendis. DEINLINI diſſ. de regali erigendi typographias. STEGER. de publica rei librariae tutela. Maximum librorum ornamentum in eo conſiſtere putamus, ſi ſine mendis prodeant; qua de re ueteres admodum erant ſoliciti. uid. SCHÖTTGEN. de librariis et bibliopolis ueterum; hodie uel ſplendido operi Augiae ſtabuli indicem annectere, probrum non eſt; nec cultum externum codicum ueterum aſſequuntur noſtri. De technis inhoneſtis, quibus res libraria uexatur ac paene peſſumdatur, iam ſilere praeſtat. conf. BOEHMER. *Send - Schreiben über allerhand Misbräuche, ſo bey dem Verlag und Drucken der Bücher vorgeben in der abgeſonderten Bibliothec* P. VII p. 661 ſq. GUNDLING. *rechtliches Bedencken vom ſchändlichen Nachdruck andern gehöriger Bücher in Gundlingianis* P. XLV. *Unpartheyiſches Bedencken über den unbefugten Nachdruck priviligirter und unprivilegirter Bücher. Cöln.* 1742. 8, quo Reſponſum quoddam ICtorum Ienenſium refutatur. ADR. BEIER. *Bericht von Buchhändlern*, THURNISII diſſ. de recuſione librorum furtiua.

§. XXI.

Bibliothecae publicae comparandae cura non ſit poſtrema.

Quum ſumtuoſus librorum apparatus priuatorum patrimonia facile exhauriat, neque illi, quibus inſignem in aliquo ſaltem ſtudiorum genere ſupellectilem conquirere contigit, aliorum precibus

cibus ſe ſemper faciles praebeant: publica eruditorum indigentiae auxilia praeſtentur. Huius uero generis theſauri coaceruantur uel integris bibliothecis coemtis, uel donationis, legati, auctionis, belli uictoriaeue titulo codicibus acquiſitis. Volumina in primis manuſcripta, doctorumque uirorum anecdota colligat magiſtratus, ne plagiariorum nequitiae exponantur; nec libellos fugaces negligat et epiſtolas. Omnibus concinne diſpoſitis bibliothecarium conſtituat et eruditionis et humanitatis laude conſpicuum. Hunc locum plures cum ex prudentiae literariae, tum ex hiſtoriarum fontibus tractarunt. uid. MORHOF. Polyh. P. I, L. I, c. 17. STRUV. introd. ad notit. rei liter. c. 2-5. LUD. IACOB. et LOMEIER. de bibliothec. NAUDAEUS de biblioth. inſtruenda. IO. IOACH. MADER. ſyntagma libellorum et commentationum de bibliothecis atque archiuis, cum noua de bibliothec. acceſſione 1703. KOELER. ſylloge aliquot ſcriptor, de bene ordinanda et ornanda bibliotheca. ENGELBRECHT. et STRUV. de iure bibliothec. BERGER. de cautionibus circa bibliothecas. KORTHOLT. de bibliothecis maxime publicis utiliter adeundis.

§. XXII.

Qui libri legendi ſint, quo ordine, quaeritur ſaepius; ſed quot capita, tot conſilia.

1) Bonos libros legendos eſſe, quis ambigit? at quis bonos in tam immenſa multitudine dignoſcet? Librorum haud ſecus ac ſcientiarum fortuna fluxa. Quod modo ſummis laudibus iure

iure ſuo efferebatur: id repente, nouo ſidere oriente, ſpernitur. Sapiens hos luſus infra ſe ducens ueritatem, non tempora, non auctores, non cenſores reſpicit. Interea conf. CAROL. FRID. BUDDEI ſchediaſma de criteriis boni libri, quod et ANCHERSEN. collect. de criteriis boni libri inſeruit. Falluntur interdum, qui ex libro quodam auctoris, in fronte poſiti, eruditionem diiudicant; multi libelli reticent uerum auctorem; multi dominis ſurrepti in alienam ſeruitutem detruduntur. SCHWARZ. de plagio literario; cap. ult. conſilia de plagio ex republica literaria funditus tollendo ſuppeditat. IAC. THOMAS. de plagio literario. STOLL. hiſt. liter. p. 55 ſq. ubi de libris quoque ſuppoſititiis nonnihil diſſeritur. 2) Non multa, ſed multum legi oportet. Ad ſcientiam compendiariam, ſyſtematicam, fontes ſemper reſpicientem, atque adeo ſolidam omni ſtudio contendamus. Deinde grandiora commentariorum uolumina, ſi libet ac licet, euoluamus; nonnulla, artium fundamentis probe perſpectis, perbreui tempore perlegi poſſunt; quaedam rarius adeuntur. Elegantior doctrina nullo pacto retardabit eos, qui ad praxin auream uelis paſſis perueuntur. Quos autem uel dicendo uel ſcribendo ingenium decet prodere: his librorum optimorum adminicula diligenter conquirenda ſunt. Nec locorum communium excerptorumque labor inanis uidetur, dum ne ſemper mens aliena ſpiret in nobis, noſtra obſoleſcat. THOM. BARTHOLIN. de libris legendis; iterum a. 1711 curante MEUSCHEN. prodiit. SACCHIN. de ratione libros cum profectu legendi. Vberius hac

hac de re expoſuit perill. WOLFF. in Logica ſua. GUIL. MECHOV. diſſ. de ſtudiis literarum et lectione profanorum ſcriptorum. Artem excerpendi docet MORHOF. in Polyhiſt. lit. L. III c. I; item PLACC. STUBEL. et MEZLER. add. LOCK. *oeuvres diverſes* p. 373.

§. XXIII.

Studio legendi adiungatur meditatio et exercitatio.

Non quid alii dixerint, noſſe ſufficit; ſed quam bene, quam recte dixerint, indagandum. Eiiciantur igitur omnia uana iudicia ac praepoſtera; reuocentur, quae legimus, ad trutinam, qua falſa, uera, certa, probabilia internoſcuntur. Nonnullos ui iudicandi, alios ingenio, quosdam memoria excellere, cognoſcemus. Nec omnia omnem poſſunt meditationem. Ingens hominum turba, ne nihil agere uideantur, legendo uitam tranſigit; ſed animum oblectare uolunt, nemini prodeſſe; ad hos potiſſimum pertinent crebra iſta ingenii gaudia et delectamenta, quae hodie typos uehementer uexant. Vita fabula eſt, non diffiteor. Num igitur ſpectatores erimus omnes, actor nemo? Vana ſunt omnia, ſcio. Sed ad ſtabilem felicitatem maxima animi contentione enitendum eſt. Numquam enituntur, qui ceſſatione torpent perpetua, nec hominis dignitatem intelligere, nec ſymbola ſua in rem communem conferre ſtudent.

§. XXIIII.

§. XXIIII.

Diſciplinae omnes amicis uinculis coniunctae ſunt, quamquam nexus iſte uario modo explicatur.

Quatuor facultates notae, ſed multis haec diſtributio diſplicet. conf. *Obſ. Hall.* t. VI obſ. 15. THOMAS. caut. circa praecogn. iurisprud. c. 3 §. 6. DIETERIC. de non adaequata eruditionis in quatuor facultates diuiſione. Eruditionis diſtinguendae multae ſunt rationes; modo in uniuerſalem et particularem, modo in principalem et inſtrumentalem, modo in theoreticam et practicam ea diuiditur; alii ſecernunt diuinam ab humana; ſolidam a ſuperficiaria; neceſſariam ab utili, eleganti, curioſa, inani. ROETENBECC. diſſ. de diſtinct. ſcient. in theoret. et pract. Artes certis terminis definiri noluit FR. BAC. de VERULAMIO, ne earum incrementa impediantur.

§. XXV.

Viam ad ἐγκυκλοπαιδείαν et πολυμαθείαν monſtrarunt multi; ſed paucorum eſt, eamdem ſequi; ſuo ſe quisque modulo ac pede, ſocordia tamen omni propulſa, metiatur.

Literarum fatorum mira uiciſſitudo, quae olim omnium diligentiam exercebant, ea nunc negliguntur, mox priſtinum honorem recuperatura. Noſtrorum igitur temporum mores intueamur. Vetuſtiorum auctorum, ſcientiarum orbem explanantium, conſilia ſpernenda quidem non uidentur; ſed non omnia cum ſaeculi noſtri genio

congruunt. COMENIO, KECKERMANNO, MARTINIO, RINGELBERGIO, RATICHIO, RANGONI, aliisque encyclopaedias debemus; ſed omnibus excellit IO. HENR. ALSTEDII encyclopaedia ſeptem tomis diſtincta. Exhibentur 1) praecognita diſciplinarum libris quatuor, 2) philologia libris ſex, 3) philoſophia theoretica libris decem, 4) philoſophia practica libris quatuor, 5) tres ſuperiores facultates libris tribus, 6) artes mechanicae libris tribus, 7) farragines diſciplinarum libris quinque ſerie praeceptorum, regularum et commentariorum perpetua. Herborn. Naſſouior. 1630 f. Opus incredibilis diligentiae, in quo nihil fere, quod ſciri poſſit, fruſtra quaeritur usque ad Tabacologiam. Si illud ad noſtrum ſaeculum aptaretur, uerum eruditionis theſaurum haberemus. MICH. HAVEMANN. in Amuſio ſiue cynoſura ſtudiorum rationem ſtudiorum omnium explanauit. LUDOVICUS VIVES de diſciplinis libros XX compoſuit, ſicut IAN. CAECIL. FREY uiam ad uarias ſcientias monſtrauit. IOH. WOWERII polymathia, quae curante IAC. THOMAS. 1665 recuſa fuit, potiſſimum ad rem grammaticam et criticam pertinet; cap. XXIII de encyclopaedia diſſeritur. GERH. IOH. VOSSIUS, uir incomparabilis, omnia e graecis et latinis egregie repetit illuſtratque, nec ullam diſciplinam ſicco pede tranſit, ſed maiore ſtudio grammaticam, rhetoricam et poeticam pertractauit. Primus omnium laudandus erat FRANCISC. BACO de VERULAMIO, qui in libris ſuis praeſertim de dignitate et augmentis ſcientiarum fecunda

cunda ſparſit lumina, aliorum ſtudiis feliciter praelucentia. Recentiorum agmen iure ſuo ducit GE. DAN. MORHOF. cuius polyhiſtor eruditis omnibus ualde carus eſt. ADAM. RECHENBERG. de ſtudiis Academicis praeclare expoſuit, aliorumque epiſtolas libello ſuo inſeruit, in percenſendis graecis auctoribus prolixus. IO. CHRIST. WAGENSEIL. Peram iuuenilem in uſum filii adornauit, ſed non omni, ut ipſe fatetur, cura tanto uiro digna. Docet linguam latinam per uaria excerpta, item rhetoricam, poeſin germanicam et latinam, ſtilum, geographiam, hiſtoriam, logicam, ethicam, oeconomiam, politicam, phyſicam, artem ualetudinis, metaphyſicam, quibus addit ſynopſin Inſtitut. iur. ciu. feud. canonici, ritus romanae eccleſiae. GEORG. PASCHII tract. de nouis inuentis a. 1700. 4 recuſus, uberius explicat inuenta medica et phyſico-mathematico-mechanica; reliquae diſciplinae, praeſertim iurisprudentia, leuiter attinguntur. SAM. GROSSERS *gründliche Einleitung zur wahren Erudition* Part. II per dialogos tradit artes philologicas et philoſophicas, matheſin, phyſicam, ſingulisque diſciplinis notitiam literariam ſubiungit. IO. CHRIST. LANG. in protheoria eruditionis de uarietate ingeniorum operoſe diſquirit. Vrget in primis, ut par eſt, pietatis ſtudium, ſed myſticis deditus fuiſſe uidetur. Nonnulla ieiunius proponit ac methodo cauſſarum inhaeret. FRID. WILH. BIERLING. lineamenta methodi ſtudiorum ad expeditius diſcendas literas elegantiores philoſophiam et hiſtoriam. Rintelii 1711 edidit. Breuiter,

uiter, ſed neruoſe praecipit, optimosque appellat auctores. CHRISTIAN. IUNCKER. in lineis primis eruditionis uniuerſæ, Altenburg. 1714 diuulgatis, artes philologicas, philoſophicas et hiſtoricas in tabulas ſingulari ſtudio coegit, quibus hiſtoria ſcientiae cuiusque praemittitur. Coronidis loco et librorum meliorum indices et regulae cautionesque afferuntur; rem quoque heraldicam, numariam et antiquariam tabulis repraeſentat; maximae uero induſtriae teſtes ſunt lineae primae iuris publici, ſed reliquas iurisprudentiae formas non tangit. IO. MATTH. GESNER. in inſtitutionibus rei ſcholaſticae. Ien. 1715. 8 editis regulas diſcendi et inſtituendi utiles, easque practicas exhibet. Linguarum ſtudium tractat fuſius. IO. GE. WALCH. *im Entvvurff der allgemeinen Gelehrſamkeit und Klugheit zu ſtudiren* de eruditione generatim ac philoſophicis artibus commentatur pulchre; logicam præſertim et ius naturae plenius illuſtrat. IO. IUST. FAHSII atrium eruditionis *oder Vorgemach der Gelehrſamkeit. Goslar.* 1718 luce donatum erotematice agit de eruditione uniuerſa, et ſigillatim de linguarum, matheſeos, logices, oratoriae ſtudio; ſingularem uero operam ponit in arte poetica. GOTFR. POLYC. MULLERS *Academiſche Klugheit in Erkenntnus und Erlernung nützlicher Wiſſenſchafften, Francf. et Leipz.* 1725 prodiit. Pars I complectitur philologica, hiſtorica et philoſophica; pars II medicinam, iurisprudentiam et theologiam. Remedia uaria ad ſcopum feliciter conſequendum facientia, librique melioris notae paſſim commendantur. MART. SCHMEIZELS *Verſuch zu einer Hiſtorie der Gelahrheit. Jenae*

Jenae 1728 *in* 8 publice exhibitus omnem eruditionis, atque adeo theologiae, iurisprudentiae ac medicinae campum emetiri conatur; nec hiſtoriam tantum diſciplinarum, ſed et earum coniunctionem, conſtitutionem, utilitatem, methodum exponit, uariasque affert tabulas. IO. NIC. FROBESII breuis et dilucida ſyſtematis philoſophiae Wolffianae delineatio; panſophiae uel ſapientiae humanae generatim ſpectatae delineatione locupletata. Helmſtad. 1734. 4. Encyclopaediarum ſcriptores recenſentur p. 38 ſq. DIETER. HERM. KEMMERICHS *neu eröffnete Academie der Wiſſenſchafften, zu welchen fürnemlich Standes-Perſonen nützlich können angeführt und zu einer vernünfftigen und wohlanſtändigen Conduite geſchickt gemacht werden, in drey Eröffnungen*: a. 1739 tertia editio lucem adſpexit. Per quaeſtiones in parte prima omnis eruditionis literariam notitiam et uaria conſilia et monita proponit auctor, et uberius de rebus politicis exercitiis et arte peregrinandi differit; in parte ſecunda docet logicam et rhetoricam, quam exemplis, illuſtrioribus diſcipulis dignis, dilucidat; partem tertiam dicauit doctrinae morum ac iuri naturae et gentium. Nec plane ſilentio praetereundus eſt GOTTL. STOLLE *von der ganzen Gelahrheit überhaupt*. Hamb. 1712. 8. IEREM. CRÜGER conſpectus inſtitutionum eruditionis uniuerſae. Ien. 1720. 4. CPH. CRUSII *kurz entworffenes Portrait aller Wiſſenſchafften. Dresden* 1728. 8. Auctor anonymus *des kurzen Begriffs aller Wiſſenſchafften, worinnen die natürliche Verbindung aller Theile der Gelahrheit gezeiget, auch ein ieder ins beſondere nach ſeinem Innhalt, Nutzen und Vollkom-*

menheit kürzlich beſchrieben wird. Leipz. 1745 *in* 8. His omnibus accedant Gallorum ſtudia. CLAUDE FLEURY *traité du choix et de la methode des etudes.* BERNARD LAMY *Entretiens ſur les ſciences.* BUFFIER *Cours de toutes les ſciences.* Item *la ſcience des perſonnes de Cour, d'epée et de robe du Sieur de* CHEVIGNI, *dans la quelle, outre les matieres contenues dans les editions precedentes on trouve une inſtruction plus ample ſur la religion, l'aſtronomie, la chronologie, la geographie, la guerre, les fortifications, le blaſon, les fables, ouvrage tout nouveau augmenté de divers traitez d'hiſtoire, tant generale que particuliere, de logique, de l'interet des princes, du droit privé, public et feodal, du manege, de maximes de cour et de pluſieurs tables chronologiques; le tout amené jusques à preſent VII edition par M. de* LIMIERS, *Docteur en Droit, membre de l'academie des ſciences et des arts de Bologne.* Tom. IV *Amſterd.* 1729. 12. Rationem docendi ζητητικὴν ſequitur, multasque tabulas in aere inciſas inſerit operi. Suauitate pariter ac utilitate aliis excellit ROLLIN *de la maniere d'enſeigner et d'etudier les belles lettres.* Breuitate mira multa dicit IO. PALAIRET. epitome artium, erotematice propoſita. Orationis exitum non inuenirem, ſi locorum communium, collectaneorum, lexicorum uniuerſalium auctores producere inſtituerem; producit multos MORHOF. in polyh. P. I, L. I, c. 21 et 22, ſed pauci noſtro ſaeculo approbantur. Prae ceteris nota ſunt VINCENTII BELLOVAC. epiſc. ſpecula; THEOD. ZWINGERI et LAUR. BEIERLING. theatrum uitae humanae. Nunc omnibus praeſtare perhibetur *Encyclopedie ou dictionaire raiſonné des ſciences, arts,*

arts, metiers, manufactures par une ſocieté des gens des lettres, mis en ordre et publiée par Mr. DALEMBERT.

§. XXVI.

Etſi ex omni fere diſciplina fructus quidam ad iurisprudentiam referri poſſit; orbem tamen ſcientiarum pro ſuis commodis ſingulari ſtudio Iureconſulti fingere ſolent.

Veteres ad ſolidiorem cognitionem contendebant, hodie affectamus ampliorem. Iam in STROBANDI collectione Tom. III pag. 783 ſqq. reperitur LEOP. DICKII Iurisconſulti peculiaris methodus compendio perueniendi ad exactam et ſolidam iurisprudentiae cognitionem. IO. SCHILTERI curſum ſtudiorum ciuilium cel. BUDER. in opuſcul. de ratione ac methodo ſtudiorum iuris part. I pag. 127 reddidit. Arcana doctrinae perquam refertum putabatur inſtructorium forenſe LYNCKERIANUM *iuſtis de cauſſis cum amicis interioris admiſſionis communicatum, poſtea ex neceſſitate plurium deſideriis expoſitum* 1698 in fol. Methodo dichotomica utitur, multaque eruditione curriculum iuris inſtruit Auctor illuſtris. THOMASII cautelae circa praecognita Iurisprudentiae notiſſimae ſunt, palmamque reliquis huius generis hodegis praeripiunt. Quibus iungi poteſt eiusdem *Beriche von einem zwveyjährigen Curſu Iuris. Hall.* 1714. Nec illuſtr. LUDEWIG. *ἀσυμβολος* eſſe uoluit. In commentar. ad A. B. P. II p. 1415 ſq. late diſceptat, quibus diſciplinis opus ſit principi Germaniae. In *den Hall. gelehrten Anzeigen* P. II p. 734 ſq. exhibetur *Einrichtung der Collegien eines Stu-*

dioſi iuris auf der Hall. Vniverſität um in 2 Jahren fertig zu werden. IO. IAC. MOSERUS expoſuit *aufrichtige Gedancken von dem Studio iuris iunger Standes- und anderer Perſonen. Franckf.* 1736 et 1743. 8. De iis ſtudiis praecipue diſſerit uir perinduſtrius, quae cum praxi arctius coniuncta ſunt. Nec ſilentio praetermitti poteſt PET. MULLERI de ſtudio iuris tractandi diatribe, annexis 1) tribus centuriis regularum iuridicarum, 2) legibus in ff. concordantibus, 3) legibus in ff. et C. geminatis, 4) ſcriptorum in iure priuato et 5) ſcriptorum in iure publico ſylloge. Ienae 1678. 4. Oſtendit breuiter, qua ratione ſtudium iuris quadriennio ad finem perduci poſſit. HENR. ERN. KESTNERI *prudentia ſtudendi iura, in qua, praeter methodum in ſingulis iurium partibus obſeruandam, praecipui iuris naturalis, ciuilis, publici, feudalis, eccleſiaſtici et qui in praxi ſolidi quid ſcripſerunt Doctores, quin et ornamenta ſtudii iuridici adiectis in calce uitae regulis recenſentur. Rintel.* 1699. 4. Eiusd. introductio ulterior ad ſtudium iuriſprudentiae. Francof. 1707. 4. VLR. MARBACH. introitus ad Iurisprudentiam apertus, ſiue de genuinis iurium fontibus diſcendique ordine ſuccincta commentatio. Ienae 1717. 8. Excurrit in hiſtoriam iuris, ac teſtimonia more Struuiano adnectit. IO. ADAM. L. B. de ICKSTATT Meditationes praeliminares de ſtudio iuris ordine atque methodo ſcientifica inſtituendo. GOTTL. STURMS *Unterricht wie ein Studioſus iuris mit Nutzen die Rechts-Gelahrheit unter ſich, und zugleich mit der Weltweisheit verbinden ſoll, nebſt Anzeigung der nöthigſten und nützlichſten Bücher.* Iena 1734. 8. PHIL. BECKERI *Vorbereitung zur*

zur Rechts-Gelahrheit. Rintel. 1745. 8. DAN. NETTELBLADT praecognita uniuerſae eruditionis generalia et in ſpecie Iuriſprudentiae naturalis et poſitiuae. Hal. 1747. 8. Tradit cognationem diſciplinarum, earumque definitiones, methodum docendi et diſcendi iuriſprudentiam, itemque ſciagraphiam uniuerſae iuriſprudentiae poſitiuae; adde eiusd. *unvorgreifliche Gedancken von dem heutigen Zuſtand der bürgerlichen Rechts-Gelahrheit in Teutſchland, der nöthigen Verbeſſerung und darzu dienlichen Mitteln.* Item *Politiſche Vorſchläge zu der Verbeſſerung der Juriſtiſchen Vorleſungen auf hohen Schulen.* Quam late legum campus ad alias artes proferatur, oſtendit liber nuper Neapoli in lucem productus: *delle arti e ſcienze tutte diviſate nella giurisprudenza, opera di* ANTONIO D'ORIMINI, *Neapolitana, Patrizio Brindeſino, in tre parte diſtinta. Nella prima delle quali ſi tratta delli arti liberali ed ingegnoſe. Nella ſeconda delle arti fabrili e meccaniche. Nella terza di tutte le ſcienze nella Legale contenute.*

§. XXVII.

Permultis hodie eruditio ardua curae non eſt; non nihil tamen ex eo, quod ipſis in bonis artibus iucundum commodumue uidetur, decerpunt.

Apud ueteres orator et philoſophus idem erat et conſul, et dux, et regis amicus; ſed hodie literati ſingulare hominum genus conſtituere putantur, cui nobiles intereſſe ſibi propemodum dedecori ducunt. IO. STURM. in libello de nobilitate literata diſcipulos literis graecis et latinis,

nis, item et rhetorica iubet imbui; hodie uir iſte bonus paedantiſmi argueretur. conf. BIERLING. diſſ. de eruditione politica *oder wie man cavallierement ſtudiren ſolle*, SULPIC. de ſtudiis academicis iuuenis nobilis recte inſtituendis. S. von PUFFENDORFF *unvorgreifſliches Bedencken wegen Information eines Knaben von Condition.* HUBNER. obſ. de paedantiſmo et galantiſmo in Miſcell. Lipſ. t. IV n. 77. KEMMERICHIO, CHEVIGNI, aliisque auctoribus §. III et XXVI excitatis addimus de la CHETARDYE *inſtructions pour un jeune Seigneur; den geöffneten Ritterplatz, worinnen die vornehmſten ritterlichen Wiſſenſchafften und Ubungen ſonderlich was bey der Fortification, Civil-Baukunſt, Schiffahrt, Fechten, Reiten, Jagen, Antiquen und Modernen Münzen und Medailles, Machinen, Arſenalen, Antiquitäten, Bibliothequen, Raritäten und Naturalien-Kammern, Bergwercken, Kauffmannſchafft und Handlungen, Manufacturen, Künſten und Handwercken &c. zu bemercken vorfället.* ORONTIS *unpartheyiſche Gedancken von der alt und neuen Gelehrſamkeit nebſt einer unvorgreifflichen Anweiſung zu den nötbigſt- und nützlichſten Wiſſenſchafften vor junge Edelleute.* Iam a. 1651 Pariſ. prodiit la Geographie, la morale, la rhetorique, l'oeconomique, la politique du Prince.

CAPUT II.

CAPUT II.

DE LITERIS HUMANIORIBUS.

§. XXVIII.

IUris cultores humanitatis ſtudiis, me quidem ſuaſore, nihil prius, nihil antiquius habeant; genti muſis inimicae noſtra non obtrudimus conſilia.

Panem primum omnium quaerendum eſſe, clamitant; multorumque uirorum honores ſummos ſine literis conſecutorum oſtendunt exempla; nec nobis iſta ſunt ignota, ſed an ad ueram eruditionis laudem aliquis ſine literis peruenire queat, disquiritur. Si ullius rei, certe bonarum literarum deſpicientia ſui uindex eſt ſeueriſſima. Dum exoptatiſſima ridet occaſio, multi neſcio quibus intemperiis abrepti in alia omnia ruunt; admoniti deinde: hic Rhodus, hic ſalta, erubeſcunt, temporisque iacturam lamentantur. CELLAR. diſſ. de utilit. propaedeumatum et orat. de melioribus literis reſtituendis. CLERICUS in Parrhaſ. t. I p. 225 ſq. utilitatem humanitatis ſtudiorum itidem docet. IO. HENR. KROMAYER, breues commentationes de literarum elegantiorum cultura in academia diligentiſſime continuanda exhibuit. IAC. FACCIOLATI orat. X de optimis ſtudiis. Plures de literarum laudibus ſcriptores memorat Catal. bibl. BUNAU. t. I p. 443 ſq. Alii literarum humaniorum et iurisprudentiae

cogna-

cognationem, diuerſa quidem ratione, monſtrarunt. LAUR. ANDR. HAMBERGERI commentatio de utilitate ex humanioribus literis in iurisprudentiae ſtudio capienda. Proponit exempla legum ſcite emendatarum. IAC. PERIZON. orat. de uſu atque utilitate Graecae Romanaeque linguae, eloquentiae, hiſtoriae et antiquitatis in grauioribus diſciplinis. VLR. HUBERI orationes III de ſtudiis iuris rite prudenterque inſtituendis et cum elegantioribus literis coniungendis. IAC. FRIDR. AESCHARDI orat. de artium et philoſophiae in iurisprudentia neceſſitate. ARNOLD. DRAKENBORCH. de utilitate et fructu, qui ex humanioribus diſciplinis in omne hominum et doctrinae genus redundat. EPHR. GERHARDI progr. de neceſſaria iurisprudentiae cum philoſophia et humaniori literatura coniunctione. GEORG. HENR. AYRER. de illuſtratione iuris ciuilis antiqui ex lectione claſſicorum auctorum in praef. ANTON. SCHULTING. iurisprud. Anteiuſtin. praemiſſa. SIGISM. GOTTL. HILLIGERI progr. de futuris iurium cultoribus iuſta auctorum claſſicorum lectione ad iurisprudentiam rite praeparandis. MENSON. ISINGK. orat. de uinculo inter literas humaniores et iurisprudentiam. CAR. CHR. SCHRAMMII ſchediaſma de indiſſolubili uinculo elegantioris literaturae cum aliis grauioribus diſciplinis, in primis de uſu et neceſſitate humaniorum in iurisprudentia. IAC. CARMON de ſcientiis, quae iurisprudentiae ſtudium potiſſimum adiuuant atque exornant. ERN. MART. CHLADENII orat. de ambitu elegantioris iurisprudentiae. HIER. ELENI orat. quibus ſtudiis inten-

intendere debeat, qui iurisprudentiae bonam operam nauare uolet. IO. PETERSTORP. orat. II de iurisprud. et eloquent. coniunctione et de ſtudii iuridici et philologici combinatione. IO. GVIL. ENGELBRECHT. orat. de iurisprudentiae uaſto ambitu et nomine ICti. IO. GEORG. PERTSCH. de ſcientiis a iureconſulto in primis Germano addiſcendis. AVG. BALTHASAR. orat. de uſu et neceſſitate aliarum ſcientiarum in iurisprudentia et quatenus ICtus iis inſtructus eſſe debet in Rituali acad. p. 96-140. IO. SAL. BRVNQVELL. diſſ. praeliminaris de linguarum, philoſophiae, antiquitatis, et hiſtoriarum ſtudio cum iurisprudentia iungendo; praemiſſa hiſtor. iur. CHR. FRID. WILISCH. de ICtis egregia literarum elegantiorum laude illuſtribus.

§. XXVIIII.

Nec elegantiores litterae, nec humanitatis ſtudia hodie certo numero definiuntur.

Litterae dicuntur, quia eruditio litterarum auxilio nititur, quamquam ſcientiae quaedam ſine litteris, ſed non ſine multa difficultate propagari poſſent. Elegantiorum litterarum (*der galanten Studien*, *belles lettres*) nomen ſibi ideo uindicant, quod diſciplinis primariis lucem et decus et gratiam conciliant ſingularem; ut cultores ſuos non ſemper reddunt elegantiores; multis enim humanitatis doctoribus nihil inhumanius, nihil agreſtius. Quare hodie eruditionem interdum a ſapientia diſtinguere cogimur. Nonnulli minutias tamquam elegantias uenditant,

quos

quos nemo temere imitabitur. Quid Galli, bellariorum artifices, de litteris hisce ſentiant, docet ROLLIN *dans la maniere d'enſeigner et d'etudier les belles lettres.* CROUSAZ *dans le traité du beau.* IUVENEL de CARLENCAS *eſſais ſur l'hiſtoire des belles lettres, des ſciences et des arts.* Germanice uertit et notis locupletauit IO. ERH. KAPP. BATTEUX elegantias ex uno principio repetere conatus eſt. Studiorum humanitatis ideam nunc latiorem, nunc anguſtiorem formant magiſtri. Humanitas, teſte A. GELLIO noct. Att. L. XIII c. 16, id propemodum appellatur, quod Graeci παιδείαν uocant. Multis literae humaniores linguae latinae, graecae, eloquentiae, criticae, antiquitatum et hiſtoriarum notitia contineri uidentur. Alii addunt philoſophiam, quidam artes mathematicas. Saepius eleganter docti perhibentur, qui paullo nitidius latine ſcribunt, quamuis ab eruditione uera longe ſint alieni. WALCH. diatribe de literis humanioribus hiſtor. linguae lat. adiecta. C. F. STAPPENII diſſ. de communi artium humanitatis uinculo et cognatione.

§. XXX.

Etſi hodie non adeo uerendum ſit, ne adoleſcentes nimis magnum ſtudium in res haſce conferant: nonnulli tamen earum amoenitate capti metam quaſi praeteruehuntur.

Vterque errat; et is, qui ſemper barbariei literis imminentis cogitatione angitur, et is, qui manſuetiores muſas plane ſpernit. Recte GRACIAN. in Orac. c. 1: *mas ſe requiere oy para un ſabio, que anti-*

antiguamente para ſiete. Olim plus otii humanioribus literis tribui poterat, quia diſciplinae non paucae, quae hodie immenſa ceperunt incrementa, uel incultae iacebant, uel minus ſolicite colebantur, ueluti philoſophiae et hiſtoriarum ſtudia; nec iurisprudentia tam late diffundebatur. Itaque nonnullis ingenio mediocri praeditis ſuadendum non eſt, ut omnem operam in literis iſtis ſuauioribus, quae inſtrumenta tantum eruditionis ſunt et ornamenta, conſumant; quantumuis enim ſint eruditi, nec ad rempublicam adminiſtrandam, nec ad cauſſas diiudicandas ſatis erunt idonei. COLERI oratio de multiplici humaniorum literarum abuſu. BURMANNI orat. in humanitatis ſtudia.

§ XXXI.

Artes liberales uulgo ſeptem numerantur. Scil. Grammatica, Dialectica, Rhetorica, Muſica, Arithmetica, Geometria et Aſtronomia.

MARTIAN. CAPELLA de nuptiis philologiae et Mercurii item de ſeptem artibus liberalibus. In *Obſeru. Hal.* t. I obſ. 4 uariae de artibus hisce ſententiae enarrantur; quarum ſynonyma plusquam LXXX obſeruauit IAC. THOMASIUS. Alii ſeptem iſtas artes aliter enumerant; modo philoſophiae opponuntur, modo eam complectuntur, modo ſeiunguntur a fabrilibus. VOSS. de artium et ſcientiarum natura ac conſtitutione artes illiberales dicendas eſſe putat uulgares; a quibus diuerſae IIII artes populares Grammatiſtice, Gymnaſtice, Muſice et Graphice ſiue pictoria. Scho-

Scholaſticis placebat triuium et quadriuium; illud comprehendebat Grammaticam, Logicam et Rhetoricam; hoc diſciplinas mathematicas, Arithmeticam, Geometriam, Aſtronomiam et Muſicam.

§. XXXII.

Grammatici in iure a ludimagiſtris diſcernuntur et cum criticis, quos hodie uocant, h. e. cum humaniorum literarum doctoribus comparari poſſunt.

Grammatici, ut aliarum artium profeſſores, immunitates conſecuti ſunt. l. ult. in fin. de muner. et honor. *magiſtris, qui ciuilium munerum uacationem habent, id eſt, grammaticis et oratoribus et medicis et philoſophis, ne hoſpitem reciperent, a principibus fuiſſe immunitatem indultam, et D. Veſpaſianus et D. Hadrianus reſcripſerunt.* Docebant initio priuatim, poſtea publicis ſtipendiis inuitabantur; immo et annona iis quotannis coepit diſtribui. AEL. SPARTIAN. uit. Hadr. c. XVII. l. 11 C. Theod. de medic. et profeſſor. L. XIII tit. III. SUETON. de illuſtr. Grammat. Omnes etiam norunt §. 15 Inſtit. de excuſat. tut. *Romae grammatici, rhetores, et medici et qui in patria ſua has artes exercent et intra numerum ſunt, a tutela et cura habent uacationem.* conf. HEINECCII antiquit. ad dict. tit. Inſtit. §. 16 alioſque comment. iſtius tit. Inſtit. et Pand. VOSS. de arte grammat. c. 3. WOWER. de polymath. c. 15. SCIP. GENTIL. Parerg. L. I, c. 1. Itaque ICtus, qui leges rite interpretari ſtudet, Grammatici laudem ſibi non ducet probro, ſed bella fugiet et arma Grammaticorum.

§. XXXIII.

§. XXXIII.

Philologia arctioribus limitibus, quam elegantiora ſtudia, circumſcribi uidetur.

Conf. AYRMANNI idea philologiae et ſtudii philologici. GRISCHOV. in introductione in philologiam generalem exponit praecipue ſermonis originem, naturam, diuerſitatem, culturam. VOSSIUS de philologia cap. III polymathiam diuidit in philologiam, matheſin et logicam. Philologia occupatur circa ſermonem et hiſtoriam; illa iterum diuiditur in grammaticam, rhetoricam artem et metricam; Grammatica in methodicam et exegeticam. HEDERICH. in introductione ad ſcientias philologicas tradit in primis grammaticam, rhetoricam et poeticam; alii addunt criticam.

§. XXXIIII.

Quod in artibus pulchrum, magnificum, acutum, dignum, lucidum, mirabile eſt, id *boni guſtus* dicitur. Sed eam rem facilius ſenſibus percipi, quam uerbis explicari poſſe, aiunt.

De guſtu eleganter commentatur ROLLIN. in diſc. prelim. de la maniere d'etudier les belles lettres P. II p. 57: *le gout, tel que nous le conſiderons ici, c'eſt à dire par raport à la lecture des auteurs et à la compoſition, eſt un diſcernement delicat, vif, net et precis de toute la beauté, la verité et la juſteſſe des penſées et des expreſſions, qui entrent dans un diſcours. Il diſtingue ce qu' il y a de conforme aux plus exactes bienſeances, de propre à chaque caractere, de convenable aux differentes circonſtances &c.* Quo ſtudioſius id,

 quod

quod in natura rerum perfectum eſt, imitabimur: eo magis conatus noſtri ad palatum erunt. Pictorem eximium putamus, qui naturam arte ſua ſcite exprimit; ſic et oratorem et poetam. Naturam belle imitari, exquiſiti iudicii eſt et exercitati, tametſi, an opus naturae reſpondeat, uel imperitus interdum poſſit iudicare. Guſtus deprauatur, quotiescumque naturam quaſi perfectiorem reddere, aut, inuita eadem, fingere quicquam laboramus. Vim iſtam ſenſuum ope perſpiciendi internoſcendique pulchrum et ineptum ad artis formam, quam aeſtheticam dicunt, redigere ſtudent cel. ALEX. GOTTL. BAUMGARTEN et IO. FRID. MEYER. At elegantia ſenſibus grata non artium tantum liberalium propria eſt, ſed et omnia uitae noſtrae inſtituta et mores comitari debet.

CAPUT III.
DE
LINGUARUM STUDIO.

§. XXXV.

Quum linguarum cognitio ad diſciplinas multas Iurisconſulto dignas aditum paret: ea non ſatis poteſt omnibus ſolidam legum ſcientiam ſectantibus commendari. Linguis quibusdam, praeſertim in Germania, illi carere nequeunt, quarum eſt uel leges uel literarum documenta explicare. Quo quis plures callet linguas, eo clariore luce circumfundetur.

I. C.

I. C. CLODIUS de ICto philologo ſiue de ſtudio iuris et linguarum iungendo. Vit. 1713.

§. XXXVI.

Non omnes linguae eodem ſtudio excolendae ſunt. Summam in hac palaeſtra laudem adepti uidentur, qui linguam aliquam non critice tantum ſciunt, ſed etiam literis et ore efferunt.

De linguarum origine, natura, diuerſitate, perfectione, uſu alii plenius expoſuere, quos, ſi noſſe iuuet, nominat bibliotheca noſtra glottica in opuſc. p. 481. Multi rerum non ſatis gnari ingenio nimis abutebantur. Noti ſunt luſus ERICI, GAFFARELLI, HELMONTII &c. uid. MOSHEIM. orat. de eo quod nimium eſt in ſtudiis linguarum et critices. CARPOV. de lingua eiusque perfectione. *Neueröffnetes in 100 Sprachen beſtehendes A B C Buch. Leipz.* 1743. *Orientaliſch - und Occidentaliſcher Sprachmeiſter &c. mit* 100 *Alphabet, und ihrer Ausſprache, ſamt dem Gebet des Herrn in* 200 *Sprachen. Leipz.* 1748. 8.

§. XXXVII.

De lingua naturali ac prima ſubtilis quaeſtio, at inutilis. Vniuerſalis lingua utiliſſima foret, ſi qua poſſet omnibus perſuaderi.

Specimina exhibuerunt WILKINS, DALGARN, SOLBRIG, LEIBNIT. STURM. conf. opuſc. p. 472. LESSERS *Verſuch über die natürliche Sprache.*

§. XXXVIII.

Methodum diſcendi linguas docent Grammatici. Breuiorem uiam, facilioremque laudant omnes, ſed pauci eam oſtendunt.

Non errant, qui linguas uſu diſcendas eſſe arbitrantur. Vix enim dici poteſt, quantum temporis huic ſtudio demi et grauioribus negotiis impendi poſſet. Multi mercatores in hoc genere literatis praeſtant. MORH. in Polyhiſt. L. II, c. 9 Galli alicuius inſtitutum recenſet, qui regi Galliae latinam ciuitatem ſuaſit. Similia legimus apud LUDEWIG. in comment. ad A. B. p. 1427. Enarrat etiam MORHOF. methodum TANAQUIL. FABRI ex libello: *methode pour commencer les humanités Grecques et Latines.* Add. IO. WITTE diſſ. philolog. de linguis tradend.

§. XXXVIIII.

Quemadmodum linguae tacito populi uſu naſcuntur: ita nec princeps ſibi, nec priuatis licentiam uoces et loquendi formulas inconcinne fingendi indulgere poteſt; ſed multum intereſt, ut omnes rectum ac purum ſermonem cuſtodiant.

Caeſar ciuitatem dare poteſt hominibus, uerbis non poteſt, CAPITO aiebat apud SUETON. de illuſtr. Grammat. Dionyſius Siculus noua procreabat uocabula, item Auguſtus Imp. ſed Tiberius ne peregrina quidem tolerabat. SUETON. in Tib. c. 71 et in Aug. c. 87. De Sigiſmundo Imp. in concilio Conſtant. legem Grammatices

offen-

offendente nota hiſtoria. conf. LUDOVICI diſſ. de grammatica mala §. VIII. Multo minus priuatis condonandum eſt, ſi linguam patriam peregrinis laciniis dehoneſtare audeant. Eruditi hodie mira flagrant uocabula noua formandi libidine, antiquorum ac fortaſſis meliorum ignari. Veteres ſane iudices ac iurisperitos inter Germanos de rebus forenſibus theotiſce loqui potuiſſe, ex documentis plurimis conſtat; hodie non poſſumus. Interdum neceſſitati cedendum eſſe, quis infitietur? Philoſophorum, qui prima artium praecepta, eaque firma tradere conantur, ſermo mox turbarum Babelis ſimulacrum erit. Quam bene rei ſacrae conſultum eſſet, ſi myſtae a quibusdam dicendi formulis ſe abſtinerent, quas non ueritatis, ſed rixandi ſtudium protulit! Nec iuris publici praeſertim atque gentium interpretibus ſua deſunt λογια κατ' επιϛημην, quae neſciſſe rectius fuiſſet. Ecquis artis ſalutaris linguam uariantem caperet? Taceo, quam puerilibus inuentis, quam infinitis plantarum nominibus ad faſtum excogitatis res herbaria hoc ſaeculo fatigetur. Auſus ſane quam digni, quos ſuperiores ſeuere cohibeant.

§. XL.

Seruetur una eademque orthographia.

Regalibus principum parum abeſt, quin adnumerem, certam ſcribendi normam imperare, ut Rex Galliae huius rei curam ſuſcepit. Difficilius hoc inſtitutum in Germania tot dominis parente, ADR. BEIER. de orthographia et proſodia iuris. IAC. CLAUDER. de occaſionibus uitiorum

ſcripturae. Ex uitiis grammaticis non ſolum inter Grammaticos, ſed etiam inter Iureconſultos, imo inter principes, diſſidia oriri poſſe, declarat FRID. CARL. MOSER. *im Verſuch einer Staats - Grammatic.* Ab orthographia diſtinguatur orthoepeia. Ex diuerſa pronunciatione criticus quidam uſus et etymologicus repeti ſolet, ſed abſurdum esſet, cuiusque prouinciae pronunciandi rationem, normam ſcribendi, ſtatuere.

§. XLI.

Nec calligraphia negligatur.

Quantum in literis male pictis ſit faſtidii, illi intelligunt potiſſimum, qui tribunalibus uel collegiis ICtorum adſcripti litium uolumina undique aduolantia perluſtrare neceſſe habent. Quanto grauius ferent principes, quibus libelli ſupplices tam incondite exarati offeruntur. Laudanda igitur eſt eorum opera, qui exempla diſtinctae ac uenuſtae ſcriptionis praebent. Haec ciuitatum moderatores curiis imitanda, adiectis poenis, proponant; quod electorem Bauariae olim feciſſe legimus in LUDEWIGII *gelehrten Anzeigen* P. I, p. 902. Copioſe de calligraphia disſerit FRID. CARL. MOSER. c. l. P. I, c. 6. BOEHMER. de ſcripturis non legibilibus. Optime ſibi conſulunt qui cum calligraphia tachygraphiam coniungunt. uid. IO. ALB. STEPHANI diſſ. de ταχυγραφία eiusdemque uſu in genere. Reg. 1717. IO. NICOLAI liber de ſiglis ueterum, item WALTHERI Gloſſarium diplomaticum et BARING. clauis diplomatica iis adiumento erunt, qui uetuſta literarum monimenta enodare ſtudent.

§. XLII.

§. XLII.

Etymologia legum ſcientiae magno uſui eſſe poteſt, ſi non illotis tractetur manibus.

Multi titulo de uerborum ſignificationibus omni iurisprudentiae neceſſario lucem adſpergere tentarunt, ſed pauci aequa Minerua. In uocum origines inquirere, earumque fata euoluere interdum plus utilitatis habet, quam uirorum obſcurorum ſtemmata indagare, aut fingere. conf. IO. GEORG. ECCARD. diſſ. de uſu et praeſtantia ſtudii etymol. in hiſtor. CAROL. OTT. RECHENBERG. progr. de profeſſione de uerborum ſignificationibus in Academia Lipſienſi, eiusdemque profeſſoribus Lipſ. 1715. CHR. GOTTFR. HOFFMANN. progr. de inueſtigandis uerborum in iure ſignificationibus. Id. de uerborum in iure Germanico ac Saxonico ſignificatione, nec non antiquis eorum iurium regulis. Quid ingenii luxuria audeat, oſtendunt uariae diſquiſitiones de origine uocis feudi, quas enarrat LUDEWIG. in iure feudor. Sicut in quauis lingua magna uis eſt particularum: ita operam illi non perdunt, qui eam in hac re tenui quidem, ſed fructuoſa collocant. Vid. STRAUCHII Lexicon particularum iuris. Vocabulariis quidem, dictionariis, lexicis, repertoriis iuris non deſtituimur, qualia compoſuerunt SCOTUS, BRISSON. CALVINUS, SPEIDELIUS, BECHTOLDUS, BERTOCH. BESOLD. SCHARD. BARBOSA; ſed multo maiori ſtudio immenſus hic labor tractandus eſt. (uid. §. LXII.)

§. XXXXIII.

Adagia licet non ſint axiomata omni exceptione maiora; ſaepius tamen regulas iuris illuſtrant et antiquitates.

Quamobrem nonnulli laudabili ſtudio collegere prouerbia ad iurisprudentiam ſpectantia, ueluti CANTERUS, GENTIUS, VLPIUS, quos ERASMI adagiis adiectos eſſe nouimus. Inter recentiores ICtos IO. NIC. HERTIUS paroemiarum iuris Germanicarum libros tres; GEORG. TOB. PISTORIUS theſaurum paroemiarum iuridicar. conſcripſere. Alii paroemiis ſingulares diſſertationes deſtinarunt.

§. XXXXIIII.

Publicam linguam dicunt, quae in legibus ferendis et in iudiciis et ſacris procurandis adhibetur.

Sic imperium Romano-Germanicum publicas habet linguas Teutonicam et Latinam, quamquam iisdem non licet uti promiſcue, ſed lex et mos certos limites poſuerunt; conf. CAPITUL. FRANCISCI Aug. art. XXIII, §. 3. AHASV. FRITSCH. de iure idiomatis in imperio R. G. cumprimis recepto. IO. CHRISTOPH. BECMANN. de iure idiomatis. LYNCKER. de idiomate Imper. LUDOLPH. P. I, obſeru. 3 de idiomate in iudicis imperii uſitato. MOSERS *Abhandlung vom Recht der teutſchen Sprache in vermiſchten Schrifften*, c. 1. Catholici in rebus ſacris obeundis latinam linguam tamquam publicam frequenter uſurpant; Euangelici non item. In negotiis cum exteris gerendis mores et pacta ſpectentur.

§. XXXXV.

§. XXXXV.

Publica lingua non ſemper eſt *aulica*.

Sic olim Caeſaris aula amabat linguam Italicam. Hodie in multis principum palatiis Gallico ſermone utuntur; imo lingua Gallica gentium Europae propemodum publica putatur. De linguis publicis et aulicis principum Europae multo ſtudio expoſuit FRIEDR. CAROLUS MOSER. *in der Abhandlung von den Europ. Hof-und Staats-Sprachen.*

§. XXXXVI.

Principem linguarum in prouincia quadam approbatarum uel toleratarum uocamus *dominam*.

Lingua domina a publica non differre debet, tametſi interdum differat. Moderatorem prouinciae, alieno idiomati aſſuetum, publicam linguam turbare non decet.

§. XXXXVII.

Vulgaris lingua omnibus terrae cuiusdam uel ciuitatis incolis nota eſſe cenſetur.

Linguam Gallicam ex Romana ruſtica, h. e. uulgari, ortam eſſe, inter omnes conſtat. Nonnumquam alia lingua publica eſt, alia uulgaris. Sic Turcae, linguae ſuae admodum dediti, admittunt tamen in quibusdam regionibus *uulgarem* Slauonicam, ut multae Orientis nationes Malaicam. Apud Sinas uulgaris diuerſa eſt ab aulica ſiue Mandarina. In Saxonia inferiore uulgaris ualde diſcrepat a publica. Vocabulum *uulgariter* in annalibus et diplomatibus ſaepius innuit linguam theotiſcam.

§. XXXXVIII.

Vernacula, gentis uel ciuitatis propria, linguae opponitur adſcitae et peregrinae.

Vernacula non ſemper eſt domina uel publica. Comprobat hoc lingua Venedorum in quibusdam Germaniae prouinciis conſeruata. Recordemur etiam Gallorum exulum in Germania degentium. Nec Iudaei ſingularem ſuum ac ueluti patrium ſermonem deſerunt.

§. XXXXVIIII.

Authenticam linguam dicimus, quae tamquam uera ac primaria in certis negotiis conſideratur.

Sacri codicis lingua authentica eſt Hebraica, Chaldaica et Graeca. Num et Latina? diſputatur. uid. BECMANN. c. I. p. 67. SCHEIDII diſſ. de linguis, Argent. 1656. BECHT. de iure linguae. De lingua Aureae Bullae authentica nonnulli fruſtra diſceptarunt. De lingua authentica Nouellarum uid. §. CCCX. I. G. MÜLLER. or. de lingua Auguſt. Confeſſ. authentica. Lingua publica etiam authentica eſſe ſolet; ſed pactionibus aliae linguae, ut authenticae, adoptari poſſunt.

§. L.

Lingua *docta* eruditorum uernacula.

Retinenda eſt lingua docta, ut uiri litterati ubiuis gentium commercio haud impedito fruantur. Iſtae in primis linguae in cenſum doctorum referuntur, quibus optimarum artium ſtudia excoli conſueuerunt, ueluti Latina, Graeca, Arabica.

§. LI.

§. LI.

Occulta lingua uel plane eſt obſcura uel ab eruditis tantum intelligitur, uel certo pacto fingitur.

Lingua nota aliquando ſignis peregrinis exprimitur; arcana iſta docet cryptographia ſiue ſteganographia. Ars characteriſtica altioris eſt indaginis, nec in literis, ſed in notionibus deſignandis uerſatur. cel. HEUMANNI conſp. rei lit. c. 3 §. 19. IO. BAPT. PORTA de occultis literarum notis. BREITHAUPT de arte decifratoria. DAN. ARNOLD. CONRADI cryptographia denudata. add. meditat. de grammat. uniu. et biblioth. glott. in opuſc. c. I. De lingua commentitia, quam barbariſmum rubrum, *rotwelſch*, dicunt, diſſerui in obſeruat. de lingua occulta, Exercit. p. 163 ſq. inſerta. At per ſigna non ſcribimus tantum, ſed etiam (ubi aperte ſcribere uel loqui non licet) loquimur, cum mutis nimirum ac ſurdis, iuris communis uſu non excluſis omnino. MULLER. de officio circa ſigna inter homines recepta praeter ſermonem. MOLLER. diſſ. de manuloquio, pediloquio, oculiloquio. STRYK. de iure ſenſuum. SCHMID. et SCHROETER. aliique de nutu. In LEIBNIT. collectan. etymolog. P. II. p. 384 ſq. deſcribuntur *ſigna ſecundum ordinem Ciſtercienſem, per quae unusquisque monachus ualet ſignare alii ſine loquela.* Signis etiam implicari poſſunt iniuriae, item amores. Turcarum artificium detegitur in enarratione Legat. Caeſar. illuſtriſ. Comitis VIRMONDII, auctore DRIESCHIO p. 442.

§. LII.

§. LII.

Populorum rector non niſi magno ſuo incommodo linguarum notitia caret.

Reges nonnulli uarii ſermonis ciuitates gubernant; multo uero felicius regnabunt, ſi cum ciuibus patrio more loquuntur. Mithridates, Rex Ponti, linguas plurimas didiciſſe fertur, quamquam haec hiſtoriola non extra omnem dubitationem mihi poſita uidetur. Imperatores Romano-Germanici potiſſimum linguis operam dare ſolent, quod Caroli IIII, Caroli V, aliorumque recentioris aetatis Caeſarum exemplis conſtat. Princeps ſubditorum idioma contemnens, facile in ipſorum, ut Philippus II in Belgarum, odium incurrit. LUDEWIG. in comment. ad Aur. Bull. tit. 30, §. 1 p. 1339 principem ciuium, quam ciues principis, linguam addiſcere ſatius eſſe exiſtimat. Deinde Rex linguarum auxilio deſtitutus commodis ſuis in ſenatu gentium saepius deerit; neque enim cuncta negotia interpretem ferunt. STRYK de negotiis per interpretem geſtis.

§. LIII.

Prouideant praeterea principes, ut in terris ſuis linguae utiles atque doctae excolantur.

Imperia et regna ſemper cum cultioribus linguis floruiſſe, iam alii obſeruarunt. CAMERAR. horis ſubſec. Cent. III, p. 234. Quamobrem regis maieſtate haud indignum eſt, ſcholas cum artibus liberalibus generatim, tum etiam linguis diſcendis inſtituere. Omnem rem glotticam uſui

ſoli

ſoli magiſtro committi linguasque doctas breuiore opera mente comprehendi poſſe, non diſſentio: immo pluribus linguis animum, uſu cogente, ſimul imbui poſſe, teſtes ſunt Hungari, tribus plerumque quatuorue linguis inſtructi. Aſt eruditi, quos litterarum arcana tenere oportet, in notitia iſta ex conſuetudine hauſta non acquieſcunt, ſed artem deſiderant. Laudabili inſtituto, principumque auſpiciis, hodie in Germania ſodalitates uariae linguae, praeſertim Latinae ac Germanicae expoliendae cauſſa coeunt, uetantque, ne barbaries latius graſſetur, maiorem reipublicae utilitatem allaturae, ſi principia certa figerent, ſuumque ſtudium non ſibi aut paucis, ſed iuuentuti recte ornateque dicendi cupidae addicerent. IOH. MART. SPAETH. oratio de cultura linguarum ex ſocietatibus quaerenda.

§. LIIII.

Publicae ac dominae linguae honos ſancte conſeruetur, et quoquo modo diffundatur.

Haud poſtrema technarum politicarum, cui Romani inſignia debebant emolumenta. ARTH. DUCK. de uſu et auctorit. iur. ciuil. Rom. L. II, c. I, n. 8. FORSTNER. ad Taciti Annal. c. 10, n. 4. p. 159. AUGUSTIN. L. XVIIII de ciuit. Dei c. 7: *Data eſt opera*, inquit, *ut ciuitas imperioſa* (*Roma*) *non ſolum iugum: uerum etiam linguam ſuam domitis gentibus per pacem ſociatis imperaret.* Tametſi Graecum ſermonem magni faciebant, numquam tamen eum publicum aſſumebant. Turci ſolam linguam patriam dominari uolunt; nec adſcitae uel uulgares ad illius dignitatem poſſunt adſpirare;

rare;

tare; quin aliena lingua utentes fallere dicuntur. BECHT. c. l. p. 20. CLAPMAR. de arcanis rerum publ. c. 22. ALCYONIUS L. II de exilio p. 213 memorat, *Attilam regem poſt partam uictoriam tam ſtudioſum fuiſſe Gothicae linguae propagandae, ut edicto ſanxerit, ne quis latina lingua loqueretur, magiſtrosque inſuper e ſua prouincia acciuiſſe, qui Italos edocerent linguam Gothicam.* I. H. TIEMEROTH: an conſultum ſit, linguam uernaculam ſimul cum imperio extendere ſeu propagare? Nemo neſcit, quanto ſtudio Gallica lingua propagetur. Vtinam! Germanica eadem frueretur fortuna. Carolus IIII Imp. electorum honoribus et ornamentis in A. B. tit. 30 ſingulari ſtudio proſpiciens horum filios linguis IIII, Germanica, Latina, Italica et Slauica inde a ſeptimo aetatis anno usque ad a. XIIII inſtitui iuſſit, illisque ideo peregrinationes ſuaſit. Rationibus haud ſpernendis commotus fuiſſe uidetur Caeſar, in quas inquirunt interpretes aur. bullae, praeſertim LUDEWIGIUS. Et hanc quidem legem uſus non roborauit: optandum tamen foret, ut principes imperii ſponte ſua linguis neceſſariis ſtuderent, quamquam non dubitamus, penes ſummum ciuitatis rectorem de lingua publica ſtatuendi arbitrium eſſe. BECMANN. c. l. p. 12. Nec diu perquirendum eſt, cur linguae publicae cura cum ſalute publica coniungatur, cum ſatis teſtatum ſit, publicam linguam ac dominam ſtabilire regnum, ſubditorum animos unire, prauos auertere peregrinorum mores. Non errauere uictores, qui cum lingua mores uictis importari poſſe putarunt. Legati

lingua

lingua regis ſui, non illius, ad quem miſſi, utuntur, interprete nonnumquam uel translatione dictorum intercedente. Conſuetudines gentium diſcimus ex MOSERI *Abhandlung von Hof- und Staats-Sprachen.*

§. LV.

Commodius negotia expediuntur, ubi lingua uernacula a publica, eaque domina, non eſt diuerſa.

Vernacula aliquando a peregrina in exilium agitur. Hinc ciuitatium quarumdam legibus cauebatur, ne lingua aliena admitteretur. NEHEM. XIII, 24, 25. Apud Carthaginienſes graecis literis ſtudere non licebat. IUSTIN. L. XX, c. 5. Iulianus Chriſtianis uſu linguae graecae interdixit, ne dogmata ſua diuulgarent. GREGOR. NAZIANZ. or. III in Iulian. Quum religio ad omnes pertineat, rationi conſentaneum eſt, ut ſacra ſermone uernaculo adminiſtrentur. Quare nemo ordini ſacro adſcribatur, cuius uocem grex non intelligat. c. 14 X. de offic. iud. ord. Regula Cancellar. Roman. GREGOR. XI et GOMEZ. commentar. ad eamdem. Domitiana quaeſtio eſſe uidetur, an uerbum diuinum lingua uernacula legendum proponere liceat? Dum Chriſtus doctrinam ſuam uniuerſo terrarum orbi annunciari iuſſit, cur dubitabimus, ſalutis fundamenta Slauis Slauice, Germanis Germanice, barbaris barbare explicare. conf. HOTTINGER. diſſ. de translationibus bibliorum in linguas uernaculas. Sed ideo non omnibus licet uerſiones Bibliorum

bliorum pro lubitu adornare. ZELTNER. diſſ. de nouis biblior. uerſionibus germanicis non temere uulgandis. Notae ſunt irae, ob uerſionem nouam iſtam a Schmidio quodam Wertheimenſi tentatam, ortae. An ſcientiae linguis uernaculis ſubiiciendae ſint, nonnulli diſceptarunt. Id fieri poſſe, hodie nemo ignorat; id fieri conuenire, omnes, quibus ſtudiorum incrementa cordi ſunt, fatentur. FRIDER. WILH. IAHR. diſſ. de commoda in omni lingua uernacula philoſophandi ratione. Interdum tamen cauendum eſt, ne ſermone patrio diuulgentur ſententiae aut controuerſiae, quae rudiores poſſint offendere; nec foeda exterorum commenta in noſtram linguam transferri fas eſt, quae neſcire, quam refutare, praeſtat.

CAPUT IIII.

DE LINGUA GERMANICA.

§. LVI.

Lingua Germanica nec antiquitate, nec grauitate, nec copia, nec elegantia ulli linguarum cedit.

Scriptores de origine et praeſtantia linguae germanicae, itemque grammaticos indicauimus in Bibliotheca glottica pag. 609. Nominaſſe ſat eſt SCHOTTELIUM, MORHOFIUM, GRYPHIUM, EGENOLFUM, BOEDICKERUM, ECCARDUM, FRISCHIUM, WACHTERUM, GOTSCHEDIUM; adde REICHARDI

Verſuch

Verſuch einer Hiſtorie der teutſchen Sprach - Kunſt. Quam diligenter aetas noſtra linguam patriam excolere inſtituat, ſpecimina permulta abunde comprobant. Conf. GUNDLING. colleg. hiſtoriae literariae in addit. ad cap. I, §. 3.

§. LVII.

Germani pariter ac alii Teutonicae propaginis populi iam antiquiſſimis temporibus literas nouerant, etſi literarum ſtudiis non multum operae tribuerent.

Vid. EGENOLFI probatio: Germanos ab antiquiſſimis temporibus literas habuiſſe in Miſcell. Lipſ. WACHTERI de lingua codicis argentei, uerſionis Gothicae noui teſtamenti, commentatio.

§. LVIII.

Lingua theotiſca et Merouingis et Carolingis regibus familiaris quidem, ſed, lingua latina dominante, nondum publice erat approbata.

Carolus M. grammaticam linguae germanicae concinnare uoluiſſe fertur. An idem leges lingua quoque theotiſca promulgarit, non conſtat; ad noſtra ſaltem tempora huiusmodi leges germanice ſcriptae non peruenerunt. Idcirco tamen monimentis ſermonis patrii ſaec. VIII et VIIII haud deſtituimur, quae in SCHILTERI theſaur. antiq. German. exſtant.

§. LVIIII.

Germani lingua ſua ſaeculo demum XIII in tribunalibus et negotiis publicis uti coepere.

E Fride-

Fridericus II Imp. a. 1235 primam conſtitutionem imperii in curia Moguntina theotiſce ediſſe dicitur. Omnes excitant GODOFR. COLON. teſtimonium, de quo accuratius disquiritur in FRID. IAC. BEYSCHLAGS *hiſtoriſchen Erläuterung des bekannten problematis : ob unter der Regierung Kayſer Friederichs II auf dem groſſen Reichstag zu Maynz im J. C. 1235 d. 3 Aug. der Reichs - Abſchied zum allererſtenmahl in teutſcher Sprache abgefaſſet und publiciret worden?* item in I. D. GRUBERS *Schreiben, den angeblich in deutſcher Sprache abgefaſten Maynziſchen Reichs-Abſchied vom Jahr 1235 betreffend.* in CRIT. BEYTRAEGEN *zur Hiſtorie der deutſchen Sprache*, Part. XIX, p. 367-376. Sic et Rudolphum I a. 1274 omnia edicta, mandata, inſtrumenta, germanice exarari iuſſiſſe perhibent. Sed quia huic ſanctioni non obtemperatum fuit: nonnulli eamdem in dubium uocarunt. LIMNAEUS in annot. ad Capit. Car. V, p. 217. FRITSCH. c. l. c. 4. Linguae german. uſus a. 1417 Sigismundi Imp. decreto, Maximiliani I Imp. Ordinat. Notar. a. 1512, Capitulat. Imp. aliisque legibus publicis roboratus fuit. Quare et Auguſtana Confeſſio in Comitiis germanice legenda erat.

§. LX.

Hodie Imperium Romano - Germanicum utramque linguam, et latinam et germanicam, publicam habet.

uid. §. XXXXIIII. Sermo theotiſcus uiget in aula Caeſaris; conſiliarios iudicii imperii aulici linguae germanicae peritos eſſe oportet, iubente Ordinat. iud. aul. t. I, §. 1 a. 1654; adde Sanctiones

ctiones nouas a. 1660, 1711. Ecquis neſciat, per Germaniae prouincias unam linguam patriam ſeruari, etſi eadem in uarias abeat dialectos? Itaque nec fora, nec ICtorum collegia domeſticam linguam hodie aſpernantur. conf. ill. SENCKENBERG. medit. II, faſc. II : quando reſponſa, ſententiaeue facultatum primum lingua germanica condi coeperunt. *Nachricht von der Beſchaffenheit der deutſchen Sprache bey denen Rechts-Gelehrten vor dem XVI Jahrhundert im XXI Stück der* CRITISCHEN BEYTRAEGE.

§. LXI.

Rebus Germanorum maxime conducere uidetur, ſi ipſi uel auctoritate publica uel pactione quadam ad unam adigerentur Grammaticam.

Quilibet grammaticus ſibi placet; pauci interiores linguae noſtrae compages perſpectas habent. Qui antiquitatis praeſidio nituntur, eos noli contemnere. Nonulli pulchritudinem, ſed imaginariam, affectant; hos uita, nihilque ſectare, quod uel genio linguae uel perſpicuitati obſit. De orthographia lites inextricabiles, quas magiſtri numquam, principes facili negotio, diriment. Si literis male pictis et ſcriptis aditum ad tribunalia et curias occludant: mox uenuſtiorem habitum diſcent induere.

§. LXII.

Quo arctius iuris Germanici notitia cum Etymologiae ſtudio cohaeret: eo diligentius in hoc incumbendum eſt.

Quam ſoliciti Germani de originibus linguae ſuae eruendis fuerint, monſtrat ECCARD. in hiſtor. ſtudii etymolog. Omnibus palmam praeripiunt WACHTER. in gloſſario et FRISCH. *im teutſchen Wörterbuch*. Add. LEIBNIZII collectanea etymologica. Quum iis, qui uel ſtatuta rimantur, uel tabulas ueteres excutiunt, uel libellos querulos perluſtrant, uaria occurrant uocabula, certis tantummodo locis aut prouinciis familiaria: eadem plenius ut explicarentur, optandum eſſet. FRISCH. Lexico ſuo multa inſeruit. Specimen quoque dedit FRID. GOTTL. STRUV. *in der Sammlung und rechtlichen Erklärung unterſchiedener teutſchen Wörter und Redensarten &c.* conf. IOH. SALOM. BRUNQUELL. progr. de uſu linguae Germanicae ueteris in ſtudio iuris feudalis Langobardici. HEUMANNI *Gedancken von etlicher teutſchen Wörter u. Sprüchwörter lateiniſchen Vrſprung in der neuen Biblioth.* P. XLI, p. 72 ſq. Succurrit etiam haud temnendum ſtudium BESOLDI in theſauro pract. REYHER. in theſ. WEHNERI in obſeruat. SPEIDELII in ſpeculo. Sed huius generis labor per ſocietates diſtribuendus eſt, quae concordi ſententia aggrediantur opus. Neſcio, quo fato contingat, ut eruditi proteſtantium coetui addicti linguae patriae maiorem culturam, quam catholici tribuant. uid. MEGALISSI *unteutſcher Catholick.* Ien. 1730. 8.

§. LXIII.

Nemo dubitabit, quin lingua Germanica cuiuis diſciplinae tradendae ſit aptiſſima.

Multi

Multi latine, ſed barbare, loqui malunt, quam uernacula uti. BURMANNUS lingua patria aliquam maculam cathedrae eruditorum adſpergi putauit. Sed GUNDLINGIUS in Gundlingian. P. XXV, p. 465 dignitatem ſermonis noſtri uindicauit. Conf. eiusdem colleg. liter. c. I, p. III, et FRID. HOVCK de patrii ſermonis in ſcribendo ac docendo uſu. Hal. 1716. BESSER. *von der Verachtung der Teutſchen Sprache unter ihren eigenen Landeskindern* in oper. p. 57. CHRIST. THEOPH. GRAVII demonſtratio de linguae noſtrae uernaculae in docendis diſcendisque artibus et ſcientiis posſibili uſu. Herborn. IUNCKER. in lineis primis eruditionis pag. 35 linguam Germanicam Lydium quaſi lapidem obſcuritatis perſpicuitatisque uocabulorum eſſe exiſtimauit.

CAPUT V.

DE LINGUA LATINA.

§. LXIIII.

Linguae latinae notitiam Iurisconſultus Germanus poſthabere nequit, tum quia publica, tum quia eruditorum eſt uernacula.

Hiſtoriam huius linguae concinnauit WALCH. FUNCCIUS de uaria aetate linguae latinae. BURCKHARD. de fatis linguae latinae in Germania. FACCIOLATI ſyntagma de linguae latinae ortu, interitu et reparatione. IOH. ADAM. WEBER *Einleitung in die Hiſtorie der Lateiniſchen Sprache*. Auctores ad

linguae latinae ſtudium ſpectantes enarrat FABRICIUS in bibliotheca latina, itemque bibliotheca noſtra glottica in opuſculis p. 500 ſeqq. De methodo linguae latinae diſcendae conf. ROLLIN. l. c. t. I, p. 208. Ad exquiſitiorem litterarum latinarum cognitionem contendentibus praeſto eſt SANCTII Minerua, SCIOPPII Grammatica Philoſophica, VOSSII Ariſtarchus. Grammaticorum et Lexicographorum multitudo infinita. BOECLER de lexicis. ROB. STEPHANI, BAS. FABRI, MATTH. MARTIN. nomina memorabilia.

§. LXV.

Ante ſaecul. XIII Germani linguam lat. et ad publica et priuata negotia adhibebant (§. LVIIII); hodie primas ubique tenet lingua patria.

Mirum eſt, Germanos latinas literas tam magni feciſſe, etſi pauciores ac ſoli fere clerici easdem callerent. De Caroli IIII Imp. conſtitutione principum electorum filiis linguarum culturam ſuadente diximus §. LIIII. Rem acu tetigiſſe mihi uidentur, qui ſub *Grammatica* linguam latinam intelligunt. Vid. CARPZOV. et LUDEWIG. ad art. XXX. A. B. item FREHER. diſſ. ſing. ad c. ult. A. B. LIMNAEO Grammaticam proprie, tamquam doctrinam linguae Italicae et Slauicae interpretanti, non aſſentior, multo minus BECMANNO, qui c. l. pro *Grammatica* ponit *Graeca*. Ipſe Carolus IIII Imp. Latine, Teutonice, Bohemice, Gallice et Lombardice loqui didicerat. FREHER. ſcript. Bohem. f. 94. Sigismundus Imp. principes

cipes Germanos linguae lat. rudes in concilio Baſilienſi hortabatur, ut filios ſuos praeceptoribus erudiendos traderent. DUBRAV. L. XXX. Ioachimus I, Elector Brandeburg. a. 1530 comitia Auguſtana aggreſſus legatum Pontificis non procul a ciuitate oratione latina tam graui, erudita et ſplendida excepit, ut ipſum Imperator laudaret; ex aliis enim nemo hoc praeſtare potuerat. CAELESTIN. hiſt. Auguſt. Comit. f. 75. E contrario neſcio, quid Eberhardi, Comitis Wurtenb. mentem adeo in transuerſum egerit, ut conſiliarios ſuos iureiurando uinciret, ne filium lingua latina inſtrui curarent. An latina lingua ſit *eine Drachenſprache des Pabſts*, disquirit LUDWIG in comment. ad A. B. p. 899. Hanc linguam in Camera imperiali receptam eſſe negat ibid. p. 1425, ſed fallitur. Certiora docet LUDOLPH. t. I, obſ. 3: manſit uſus forenſis, inquit, linguae latinae non ſolum in iudicio imperiali aulico in cauſis Italicis, ſed etiam in utroque imperiali ſupremo iudicio camerali et aulico, in cauſis, quae ex Germaniae prouinciis eo deferuntur Leodienſibus, Stabuletenſibus et Tridentinis. Archiepiſcopus Treuerenſis habet etiam iudicium aliquod immediatum in uicinia patriae Leodienſis, quod dicitur Awans et Loncia, a quo appellatur ad Cameram et utuntur ibi idiomate latino. Aſſeſſores Camerae in uotis utuntur plerumque ſermone latino. Lingua latina in uſu etiam in curiis dominorum officialium Germaniae u. c. Colonienſ. et Monaſterienſ. at in curia officiali Monaſterienſi lingua latina abrogata fuit. MOSER. *in der Abhandlung* c. I.

differit de locis, ubi lingua lat. approbata. Aduocati Camerae latine ſacramentum praeſtant, ibid. p 444. de expeditione lat. in iudicio Imp. aulico agitur ibid. p. 465. Praeterea lingua latina retinetur in monimentis publicis, ſigillis, monetis a Germanis aeque ac a Gallis. Hanc ipſam linguam curiae Romanae publicam eſſe, conſtat; hac audiuntur etiam legati obedientiae.

§. LXVI.

Linguam latinam gentes plures politiores ſibi habent commendatam, tamquam doctam et ſubſidiariam.

Publica lingua media aetate fuiſſe uidetur latina apud Hiſpanos, Gallos, Britannos, Danos, Hungaros, Bohemos, Polonos. In nonnullis prouinciis uariarum dialectorum formam induit; in aliis, ueluti in Hungaria et Polonia, adhuc uiget tamquam uulgaris, quamquam horum regnorum lingua uernacula ualde differat a latina; filiae linguae latinae nunc matrem non, ut decet, uenerantur; imo Gallica lingua, filia balbutiens, matrem ſuam, decore ac maieſtate plenam, apud exteros quoque extrudere conatur. Interim tamen lingua latina comite per uniuerſam fere Europam hodie migrare licet.

§. LXVII.

Ius Romanum, ut omnes ſciunt, ſubſidio uenit moribus patriis; iuris autem iſtius uerſio germanica nec exſtat, nec, ſi exſtaret, publice approbaretur. Ad linguam igitur Romanam diſcendam uel hoc argumento impellimur.

Legum

Legum ſcientiae principia ex iure auxiliari, non domeſtico, diſcere conſueuimus. Cedendum eſt uſui. Quantum Romani linguae ſuae tribuerint, quanti nobis ſit facienda, oſtenderunt multi. ARTHUR. DUCK. de uſu et auct. iur. ciuil. L. I, c. I. CAR. ANDR. DUCKER. opuſcula uaria de latinitate ueterum ICtorum. LUDEWIG. *in wöchentl. Anzeigen* P. I, p. 801 negat, reipublicae conducere, ſi corpus iuris germanice redderetur; terminos enim technicos retineri oportere, ideoque plebem iſtud ſine fructu lecturam eſſe.

§. LXVIII.

Etſi quo purior lingua latina, eo pulchrior: tamen in foris et negotiis publicis linguae ornatus ualde negligitur; at negligendus non eſt, ubi nitere debet oratio.

Immo ſuſpectae forent tabulae pacis, foederum &c. ſi nimis eleganter exaratae fuiſſent, haud ſecus ac olim diplomata ſatis barbare ſcribi ſueuerunt, ſed barbaries ſaepius chartae legitimos natales defendit. Quare non male induſtriam ſuam profundunt, qui DU FRESNE et SPELMANNI et VOSSII gloſſariorum auctorum notiſſimorum, exemplo excitati ſordes iſtas, quas imperiti uocant, excutere non grauantur. Vt linguae nouis uocabulis locupletentur, rerum uſus poſtulat, ſed ne quid temere (§. XXXVIIII); uid. HEUMANNI epiſt. crit. de iure latinam linguam augendi. An ueteres ICti Romani pure ſua ſcripſerint reſponſa, expendit GUIL. HIERON. BRUCKNER. progr. de latinitate corporis iuris ciuilis an pura ſatisque probata ſit? GEORG. CASP. KIRCHMAYER. elogia et

elegantiae latinitatis ueterum ICtorum; item latinitas legalis praeter meritum ſuſpecta; eiusd. amoenitates atque ueneres in dictionibus et formulis ex pandectarum iuris uoluminibus repraeſentatae. DAN. GEORG. MORHOF. de latinitate in Digeſtis epiſtola. add. LUD. MENCKENII progr. de neceſſario latinae linguae cultu et certis diſputandi principiis in iure prudenter conſtituendis.

§. LXVIIII.

Reipublicae intereſt, ut linguae latinae ſtudium citius perficiatur.

Lingua uia tantum eſt ad eruditionem; eruditio uero hodie magis magisque dilatatur. Viae itaque compendio ſtudeamus. Quum multis praeceptoribus aqua haereat: prouolant, ut fucum faciant, ad altiora, rudimentis neglectis. Hinc damnum irreparabile. IO. CHRISTOPH. OTTONIS diſſ. de latini ſermonis uſu maturius exercendo. VOCKERODT. conſultat. de literarum ſtudiis recte et religioſe inſtituendis. PLUCHE de linguarum artificio et doctrina. Praecepta reliqua, et quo ordine legendi ſint auctores latini, exponunt philologi.

CAPUT VI.

DE LINGUA GRAECA.

§. LXX.

Lingua Graeca hodie a iuris ſtudioſis paullo negligentius excolitur, cum eam a ratio-

nibus

nibus ſuis longe remotam eſſe ſibi perſuadeant.

Si uultures tantummodo forenſes audias, graeca forſan non ſunt legenda, ſed cordatiores iurisconſulti aliter ſentiunt. uid. IAC. PERIZONII oratio §. XXVIII cit. CORNEL. SIEBENII oratio de ſtudio graecae linguae cum iurisprudentia coniungendo. PAULL. KRAUT. oratio de lingua graeca etiam futuro ICto non utili modo, ſed quodammodo quoque neceſſaria. CHR. WOLDENBERGII oratio de uſu graecae linguae in omnibus facultatibus, artibus et ſcientiis. GEORG. HENR. GOEZII Princeps graece doctus. GEORG. ANDR. IMHOFII oratio de politico graeco. De litteris graecis optime meritus eſt FABRICIUS in bibliotheca graeca; item in diatribe de lexicis graecis. Hiſtoriam linguae graecae conſcripſerunt BURTON. et ELING. De Grammaticis uide bibliothecam glotticam pag. 569.

§. LXXI.

Ne perperam graecam linguam commendari putes, has penſites rationes uelim:

I. Graecorum ſapientia per omnes manat diſciplinas.

Bonarum artium ſtudiis, quae ingenio et induſtria nituntur, Graecis non excellunt noſtri; ſed ex eorum theſauris recondita doctrina refertis, ſi non nolint, haurire poſſunt.

II. Lingua moresque Romanorum ſine Graecis non recte intelliguntur.

III. Iu-

III. Iuris Romani doctrina, demtis literis Graecis, imperfecta eſt.

Veteres Romanos a Graecis leges ſuas petiiſſe, notum; quamobrem Graeca ad Latii legum, graecis uocabulis permixtarum, interpretationem omnino ualent. Nouellas graece editas fuiſſe, itidem ſciunt omnes, ut taceamus libros βασιλικῶν, aliasque conſtitutiones Imperatorum Orientis, itemque compendia iuris graece ſcripta, quae noſtram iurisprudentiam praeclare illuſtrant adiuuantque. (§. CCCXII) IO. MEURSII Themis Attica. IO. LEUNCLAVII ius Graeco-Romanum. BRUNQUELL. hiſtor. iur. p. II c. XI ſq.

IIII. Decet ICtum, ſacras litteras perſcrutari; at qui fieri id ipſum poterit, niſi ſit graece doctus?

Ad ueteris etiam eccleſiae inſtituta et canones rite explicandos litterae graecae pertinent.

CAPUT VII.

DE LINGUIS OCCIDENTIS.

§. LXXII.

Vt non omnium linguarum, quas ab Occidente appellant, notitia eiusdem eſt neceſſitatis: ita pro ſua quisque ſorte iisdem operam dabit.

Eruditi glebae ſuae quaſi adſcripti, ſemperque pani quotidiano intenti, cerebrum linguis diſtrahere

here non ſolent; at ii, qui peregrinationes ac legationes obire, aut in litteratorum ſocietatem ſymbola ſua conferre iubentur, linguarum hodie uigentium auxilio ualde indigent. Equidem ſcriptores alienigenae ſimul atque prodierint lingua noſtra uernacula loquuntur, ſi id e re bibliopolarum eſſe uideatur; ſed optimi libri et interioris eruditionis monimenta ſaepius obſcuritate ſepeliuntur, alii male uertuntur; ac licet haud ineptus cenſendus ſit interpres, ſua tamen cuiusque linguae indoles eſt propria.

§. LXXIII.

Gallica lingua hodie late dominatur.

Galli aſtutiis ſuis, quas elegantias uocant, id nunc aſſecuti ſunt, ut permulta regna ſermo ipſorum peruaſerit. In Germania certe eius addiſcendi opportunitas ubique fere offertur; et parum abeſt, quin a quouis pediſſequo gallica loquela requiratur. Multos epiſtola gallice et belle ſcripta principibus uiris usque eo commendauit, ut ſparta luculenta ornarentur. Indulgendum eſt aliquid ſaeculo; quamquam uanitas iſta Germano pectore indigna uideatur. FRITSCH. de iure idiomatis §. 7. Galli linguam ſuam in Germania publicam reddere identidem conati ſunt; conf. quae cum Legato gallico comite de Gergy acta fuere in MOSERS *vermiſchten Schriften* c. l. p. 433. et in MOSERI iunioris, *Abhandlung von den Europäiſchen Hof und Staats-Sprachen.* p. 325 ſq. FR. ROUX *ſur l'uſage de la langue francoiſe en Allemagne.* Dignitatem linguae gallicae tuetur

CHAR-

CHARPENTIER *defenſe de langue françoiſe pour l'inſcription de l'arc de triomphe.* Rebus ſuis bene conſuluere Galli, quod aliis perſuaſerint, linguam ſuam nunc perpolitam et ad concinnas regulas redactam fuiſſe, perinde quaſi non ſemper maneret lingua latina deprauata, ruſtica. Grammaticos gallicos noſces ex biblioth. glott. p. 551; quos eligas, indicabunt magiſtri linguarum. SEIDELMANN. tr. de methodo recte tractandi linguas exoticas, ſpeciatim gallicam, italicam et anglicam. Lexica praeſtantiora habentur, quae l'ACADEMIE FRANÇOISE, FURETIERE, MENAGE, RICHELET &c. adornarunt.

§. LXXIIII.

Lingua Italica, Hiſpanica, Anglica, Septentrionales, non tam ἀμέσως, quam ἐμμέσως iurisprudentiae inſeruiunt.

Carolus IV in A. B. c. 30 Italicae linguae electorum filios peritos eſſe uoluit, propter arctiſſimum illum nexum, ni fallor, regni Germanici et Italici. Itali hodie, praeter uarias commentationes philoſophicas et hiſtoricas et mathematicas, opera quoque iuridica lingua ſua edunt, quae exteros ad Italicam linguam diſcendam allicere poſſunt. uid. bibl. glott. p. 543. Ex multis libris grammaticis notentur OCTAV. FERRARII origines linguae Italicae. *Vocabular. della cruſca.* Hiſpanici libri rarius ad nos perferuntur. Nullus fere maiore plauſu exceptus fuit, quam GRACIANUS ille ſubtilis morum magiſter Ac ſane liber iſte dignus eſt, quem lingua natiua legamus.

Verſio-

Verſiones enim mihi quidem auctoris grauitatem non exaequare uidentur. Anglica lingua, germanicae ſoror, nobis carior eſſe debet. Nam ad linguae noſtrae origines indagandas multum facit, multosque libros oſtentat, ſingulari acumine conſcriptos. Quibus etymologias ſtudium curae eſt, ii linguis ſeptentrionalibus, Suecica, Danica, Islandica &c. erudiantur. conf. HICKES. theſaur. linguar. ueter. ſeptentrional. SKINNER. etymologicum linguae Anglicanae. VERELII index linguae ueteris Scythico-Scandicae. OL. WORMII literatura Runica. Bibl. glott. p. 595.

§. LXXV.

Linguae Slauicae iuſto minus pretium hodie decernitur.

Quam late uſus linguae huius ſerpat, oſtendimus in obſeruat. de lingua occulta. conf. FRISCHII hiſt. linguae Slauonicae. Pertinet etiam Slauica literatura ad res Germanicas dilucidandas, hodieque, praeſertim apud Ruſſos, expoliri et ad artes liberales applicari ſolet ſermo patrius. Aur. B. c. 30 Slauicam linguam electorum filiis commendat. Vladislaus, Hungariae et Bohemiae Rex, promiſit a. 1510, ſe operam daturum, ut heredes ipſius lingua Bohemica et Hungar. inſtituantur. Dux Carinthiae non niſi Sclauonice Imperatori reſpondere uolebat. Apud Bohemos et Morauos lege cautum, ne cui illuſtri uel equeſtri ordine nato hereditatem cernere, praediaue poſſidere liceat, niſi Sclauonicae linguae perito. Tam ſeuere de linguae Slauicae cultu cogitatur. Lingua Venedica in Luſatia

ideo

ideo uigere permittitur, ne ruſtici aufugiant, ex ſententia quidem LUDEWIG, ad A. B. p. 1341. add. bibl. glott. p. 601.

CAPUT VIII.

DE LINGUIS ORIENTIS.

§. LXXVI.

Linguae Ebraeae cultus uariam exhibet utilitatem: 1) erudito cuiuis uerbum diuinum ex fonte cognoſcere conuenit; 2) legum adminiſter uarias quaeſtiones ex lege Moſaica debet diſſoluere; 3) rerum geſtarum et antiquitatum fides nusquam certior ſanctiorque, quam in ſacro codice.

De linguae ebraicae neceſſitate acriter diſceptarunt CONRING. et WASMUTH. conf. BUDDEI Iſagoge lib. I, cap. 4, p. 1:2. ſqq. IO. GOTTFR. HAUPTMANN. hiſtoria linguae hebraeae primis lineis deſcripta. MORINI oratio de utilitate linguar. orient. GUILIELMI POSTELLI oratio de linguae ebraicae et Arabicae excellentia et penes Latinos neceſſario uſu in bibliotheca Bremenſ. claſſ. 7 faſc. 2, num. 1. AUG. PFEIFFER. critica ſacra, cui acceſſit tr. de natura, uſu et ſubſidiis linguarum orientalium omnium. Nec obſcura ſunt exempla Iurisconſultorum hebraicis literis inſtructorum. uid. EBERTI elogia centum Iurisconſultorum et politicorum, qui linguam ſanctam excoluerunt.

fuerunt. GOEZII princeps ebraice doctus. HEINECCII praefatio de utilitate literarum orientalium in iuriſprudentia, praemiſſa Io. Seldeni operi de ſynedriis et praefecturis iuridicis Ebraeorum. Huius ſtudii adiumenta ſuppeditat biblioth. glott. p. 647.

§. LXXVII.

Quum Iudaeorum cauſſis omnia prope iudicia perſonent: eorum hodiernum ſcribendi genus et mores ſcire expedit.

In *Ord. Polit.* a. 1577 tit. 20 §. 3 conſtitutum, ut Germanica, non Hebraea, lingua contrahantur mutua; ſed Hebraei non ſemper hanc legem obſeruant. Magiſtratus etiam in libros Iudaeorum, quibus interdum Chriſtianis obtrectare ſolent, officium eſt inquirere. Praeterea formulae ſacramenti Iudaeorum ratio habeatur. WILDVOGEL. de iuramentis Iudaeorum. ESTOR. de lubrico iurisiur. Iudaeor. WAGENSEIL. *Belehrung von der Jüdiſch-teutſchen Red- und Schreibart.* CHRYSANDERS *Jüdiſch-teutſche Grammatic.* BECK. tr. de iur. Iudaeorum.

§. LXXVIII.

Reliquae linguae uel aliis magis neceſſariis opitulantur, uel rerum utiliſſimarum cognitionem multum augent.

Perſicae linguae et Germanicae affinitas quaedam cernitur. Linguae Sinicae ſtudium improbi laboris eſt, ſed tantum, quantum nonnulli putarunt, ſapientiae, non praeſtat. conf BEYERI

F Muſeum

Muſeum Sinicum. PHILIPP. MASSON *diſſertation critique ſur la langue Chinoiſe, ou l'on fait voir les divers rapports de cette langue avec l'Hebraique, dans l'Hiſtoire critique de la Republique des Lettres.* Tom. II, III et IV. Bibl. glott. p. 666.

CAPUT VIIII.

DE STILO.

§. LXXVIIII.

Quisquis recte cogitateque ſcribere ſtudet; is non ſolum linguam probe calleat, uerum etiam res ipſas bene cognitas perſpectasque habeat.

Mentem rite praepares, antequam calamum arripias. Non placet ſtilus, qui, rerum inops, uerbis redundat.

§. LXXX.

Stilus, pro ingeniorum et argumentorum diuerſitate, diuerſus eſt.

Perſpicue ſcribes et apte, ſi non licet ornate et copioſe. Phalerarum intempeſtiue adhibitarum gloria nulla. Nihil agas inuita Minerua. Stilo ſublimi male compoſito nihil frigidius. WERENFELS de meteoris orationis. Planum ſcribendi genus et aequabiliter profluens multis difficilius uidetur, quam grande. De ſublimi praecepta quaedam memoriae prodidit LONGINUS.

§. LXXXI.

§. LXXXI.

Elegantior ſtilus latinus non negligendus eſt legum cultori, quamquam is non ſemper adhiberi ſolet.

Laus ICtorum, humanitatis ſtudia reuocantium, eo cumulatior, quod ſcripſerunt polite. Alius tamen ſtilus eſt dogmaticus, alius oratorius. De puritate uocabulorum ſaepius fruſtra diſputatur. In legibus promulgandis ac in negotiis publicis tractandis ſtilus ad praeſentem ſtatum accommodandus eſt. Principes enim perſpicue, non cum Euandri matre, loqui neceſſe habent. Abſurdum eſſet, illis Ciceronem obtrudere; abſurdius, a iuris Germanici doctoribus latinas Veneres poſtulare. Cultioris ſtili latini rudimenta expoſuere SCHEFFER. HEINECC. HALLBAUERUS; MORHOF. Polyh. P. I, L. II. c. 12 exercitationum ſtili exempla affert. Exercitatio enim et imitatio utramque facit paginam.

§. LXXXII.

Stilus Germanicus hodie mira contentione expolitur; quare legum ſtudioſis condonandum non eſt, ſi ſermonem patrium flocci faciunt.

Multi ſibi inepte perſuadent, non eſſe legum magiſtrorum, pulcre ornateque dicere; ſtilum iuriſperitorum non in uerbis, ſed in rebus uerſari. Sed quid impedit, quo minus decenter de rebus maximi momenti dicamus? Forſitan linguae Germanicae penuria obſtat? haud quaquam. Tua obſtat inſcitia. Scilicet centones iſti ex fruſtulis germanicis, latinis, gallicis conſuti multo ue-

nuſtiores ſunt. Qui ſermonem patrium colere in animum inducunt, illis et doctores et exempla praeſto erunt. Conf. ESTORS *Sammlung zur Erlernung der ächten und reinen Juriſtiſchen Schreibart, Erörterung, wie die Reinigkeit der deutſchen Sprache in Anſehung der Rechts Gelahrheit, zu befördern, in der deutſchen Geſellſchafft Nachrichten und Anmerckungen, I Stück p.* 80-124. AUG. NATH. HUBNERS *Anweiſung zum teutſchen Stylo.* GOTTFR. SCHMOTTHERS *Dresdniſch - Canzleymäſſiger Schreiber und Rechner.* GLAFEYS *Anweiſung zur Welt - üblichen Schreibart.* MOSERI iun. *Staats - Grammatic.* EIUSD *Abhandlung von Abndung fehlerhaffter und unanſtändiger Schreiben nach dem Gebrauch der Höfe und Canzleyen.* Euoluantur ſcripta periodica u. g. *der Patriot* et alia plura, quae Societates ad linguam patriam perpoliendam congregatae in lucem edunt. Propius ad ſphaeram legum cultorum ſpectant LUNIGS *Reichs-Canzley*, item *Reden und Schreiben groſſer Herren*, quamquam non omnia iſta ſpecimina ut exempla imitanda propoſuerim. CLEANDERS ſiue SALOM. FRANCKII *eröffnetes Cabinet der durchlauchtigen Secretariat - Kunſt in ganz auserleſenen bewährteſten Etats-Brieffen vorgeſtellet, und mit einer Einleitung zum Canzley - Stylo und Connexion im ſchreiben verſehen.* SNEEDORFF eſſai d'un traité du ſtile des cours. Alios dabit caput ſequens. Nec omittendi ſunt libelli, quibus iura principum defenduntur, *Deductiones* dicti. Reperies iſtos in MOSERS *Staats-Archiv*, in Selectis iuris publ. *Sammlung der Staats-Schrifften.* FABRI *Staats- Canzley.* uid. LUNIG. biblioth. deductionum.

§. LXXXIII.

§. LXXXIII.

A ſtilo ſecernatur res formularia.

Ad formulas pertinent officioſae uerborum blanditiae, (*Complimens*) titulorum ornamenta et honorificae compellationes moribus cuiusque prouinciae receptae. Deinde ſingulae diſciplinae ſuos technicos, quos dicunt, terminos, ſuasque peculiares habent phraſes, quae non mutari, ſed interdum emendari, poſſunt. Quapropter nec ſcientiam iuris uel priuati, uel publici, uel gentium, formulis ſuis priuare decet, quas nemo certe, niſi imperitus, ridebit. Formulas uanas et inutiles non tuemur. Quantam induſtriam cel. BRISSON. formulis Romanis colligendis dicauerit, ſciunt omnes. Conf. etiam IO. SCHILTER. de iure formulario Romanorum et Francorum in exerc. ad Dig. et HEINECCIUS de iurisprudentia formular. Germani iam ſuperioribus ſaeculis ad uſus tabellionum et practicorum libros huius generis compoſuerunt. Vid. SEB. BRANDTS *richterlicher Klag-Spiegel. Straſb.* 1516. IO. ELI. MEICHSNERS *Formular gemeiner teutſcher Nation. Francf.* 1567. ALEX. HUGEN. *Rhetorica und Formulare. Baſel* 1572. IO. PET. ZWENGELS *neu groſs Formular-Buch. ibidem* 1574. HARSDOERFFERS *teutſcher Secretarius.* SPÄTHENS *teutſcher Advocat und Secretarius.* DECKII *Formulare* ſaepius recuſum non poſtremum locum tenet. LUNIGII *Titular-Buch.* (§. CCCLXII.) Sed ſepone formulas, quid eſt, quod *ſtili cancellariae* arcanam artem iactes? Numquam chartae approbatae fuerunt, quae obſcuram, aſperam, et corruptam ſcribendi rationem ſequuntur. Num,

quod apud prudentiores in uitio ponitur, id in normam uertemus?

§. LXXXIIII.

Stilus curiae modo ac ordine negotia in iudiciis expediendi rite conſtituto praecipue continetur.

Ampliorem interdum, non uerba tantum, ſed et facta complectentem, ſignificationem habet ſtilus curiae. Rei formulariae auctores, quos modo diximus, de eodem nonnihil praeceperunt. conf. etiam DIETHERR. SCHROETER. STRYK. de ſtilo curiae. EYBEN. de ſtilo curiae etiam in titulis interdum plumbeo, immo cereo. STRYK. de clauſulis ſuperfluis. HERC. FRANC. DANDINUS de forenſi ſcribendi ratione culta atque perſpicua. Patauii 1734. Huc in primis pertinent practicorum libri, quibus modum lites perſequendi ſiue proceſſum, easque per ſententias dirimendi docent. Quos inter excellunt CARPZOV. STRYK. LUDOVICI, WERNHER, BERGER. IO. FRID. SEYFARTS *Formular-Buch, worinn alle zu dem Proceſſu ordinario gehörige Schrifften, Beſcheide, Citationes und Regiſtraturen nach dem neueſten Reichs- und Sächſiſchen Stilo curiae mit nöthigen Anmerckungen angewieſen werden*, prodiit una cum EI. *Teutſchen Reichs-Proceſs. Hal.* 1738. 4. Sententias concinne componendi artem exponit luculenter ESTOR. In ſtilo curiae ſaepius ſtat pro ratione uoluntas, quid igitur mirum, ſi ſui non ſit ſimilis ubique. Verborum, formularum ac rituum huius generis ſolennitatis cuſtodes ſunt cauſidici, procuratores,

res, actuarii, iudices, qui ad minutias haſce animum acrius, quam ad ipſa rerum argumenta, attendere ſolent. Collegia ICtorum ſtilum ueterem retinent, ſed optarem, ut farragines male diſpoſitae tandem aliquando placere deſinerent. (§. CCCLXI. ſeq.)

CAPUT X.

DE RHETORICA.

§. LXXXV.

Ars ornate congruenterque dicendi ut ad ſapientis cuiusque: ſic ad iuris ſtudioſi commendationem maxime pertinet.

Bene CICERO: *eloquentia primas*, ait, *tenuit ſemper urbanis pacatisque rebus, ſecundas iuris ſcientia.* Multi non tam legum doctrinae, quam eloquentiae honores debent fortunasque ſuas. Iam antiquiſſima tempora oratoribus floruerunt, tametſi uis apte copioſeque dicendi nondum artis formam induiſſet. MOSIS, aliorumque uatum diuinorum dicendi genere quid grauius, quid auguſtius? Tam praeclara Graecorum eloquentiae ſpecimina ad noſtram aetatem peruenere, ut, ſi illa hodie poſſimus aſſequi, uotorum ſummam nacti uideamur. IUNCKERI diſſ. de Graecia artis oratoriae prima cultrice. Rhetorices naturam, ortum et fata enarrant CICERO, orator ſummus; SUETONIUS de claris oratoribus. add. QUINCTILIANI aut TACITI dialogus: an ſui ſaeculi ora-

tores antiquis et quare concedant? Ex iunioris aeui auctoribus cumprimis laudandus eſt voss. de nat. et conſtitut. rhetoric. GIBERT. *jugemens des ſavans ſur les auteurs, qui ont traité de la rhetorique.* IO. FRANÇ. GRANDIS diſſ. de orig. et progreſſu rhetoricae apud Hebraeos, Graecos, Romanos et Gallos. CRESOLL. theatr. ueterum rhetor. orator. et ſophiſt. MORHOF. Polyhiſt. P. I, L. VI. STOLLII hiſt. erudit. P. I, c. 4. KRIEGK. de ſophiſtarum eloquentia. HENR. HEISEN oratio de eloquentia ueterum Germanor. WALCHII diſſ. de fatis oratoriae artis inter Graecos, Romanos et Germanos, praemiſſa Chriſtoph. Cellarii orationibus. IO. GOTTFR. HAUPTMANN. progr. de recentioribus artis oratoriae in Germania praeſertim fatis.

§. LXXXVI.

Non tamen ab omnibus eadem dicendi facultas et exercitatio requiritur.

Princeps diuino eloquentiae dono praeditus maieſtati ſuae ſingularem ſplendorem conciliabit; ſed, qui poteſtate abſoluta leges ferunt, artibus rhetorum poſthabitis, perſpicue loquantur. Proceribus reipublicae et demagogis legem ſuadere atque adeo comte dicere conuenit. BOS. diſſ. de comparanda prudentia et eloquentia ciuili. Iudices ſine fuco pronuncient ſententias; ſed lites amice componere, interdum artis eſt. Cauſſidicos olim diſertos eſſe oportebat, nec in foris noſtris ſine emolumento eloquentiam adhibebunt, quamquam iudex non uerborum pigmenta, ſed argumentorum pondera debet reſpicere. ROLLIN.

ROLLIN. t. I *de la maniere d'enſeigner &c.* p. 271 ſq. egregie diſſerit *de l'eloquence du barreau*, eamque Demoſthenis praeſertim et Ciceronis exemplo commode dilucidat; p. 362 aduocati mores exponit, quorum primas lineas dabimus: *probité, deſintereſſement, delicateſſe dans le choix des cauſes, ſageſſe et moderation en plaidant, ſage emulation, eloignée d'une baſſe jalouſie.* MICH. SCHREIBER. diſſ. de artis oratoriae in foro fatis. Principum legatis, et adminiſtris et iis omnibus, qui de rebus geſtis uel gerendis uel diſceptandis exponere et ad ſuperiorem uel iudicem referre iubentur, bene dicendi ſtudium ualde commendandum eſt. Ecquid iuris anteceſſorem magis decet, quam eloquentia? quam et poſtulat l. un. C. de profeſſor. qui in urbe Conſtantinop. M. A. MURETI oratio de eloquentia ac ceteris diſciplinis cum iurisprudentia coniungendis, in eius oration. Vol. I, p. 151 ſqq.

§. LXXXVII.

Partes artis rhetoricae ſunt inuentio, diſpoſitio, elocutio, memoria, pronunciatio; optimi autem magiſtri natura et imitatio.

1) Rhetorices praecepta diſcunt tirones; perexigua rerum cognitione inſtructi, etſi nemo, niſi ſapiens, materia ad dicendum propoſita penitus perſpecta, oratoris laudem conſequatur. Quemadmodum in hac arte aetati priſcae noſtra non antecellit: ita etiamnunc ARISTOTELIS, CICERONIS et QVINCTILIANI libri rhetorici utiliſſimi cenſentur, quibus adiungimus VOSSIUM. 2) Naturam inſtitutio breuis formet; ipſe enim Ro-

manae eloquentiae parens, TULLIUS, ſe non ex rhetorum officinis, ſed ex academiae ſpatiis eloquentiam petiiſſe, ait. Naturam aliquando exercitatione aſſidua emendari poſſe, magni Demoſthenis exemplum comprobat. Quibus uero nulla uis eſt ingenii, nulla dicendi copia, iis auctor eſſem, ut tacerent, aut, ſi quando dicendum ſit, ad locos topicos, artemque LULLII confugerent; melius enim eſt, auxilium puerile profiteri, quam inania dicere, methodo nulla. Oratores ſane clariſſimi de minutiis iſtis ſoliciti non erant. uid. *Obſ. Hal.* t. I, obſ. 17 de corrupta per locos dialecticos eloquentia. WALCH. de corrupta ſcholarum eloquentia. GOTFR. POLYC. MULLER de emendatione eloquentiae modernae. 3) Orationem animat pronunciatio, qua interdum exilitati pretium accedit. De actione oratoris commentatus eſt CONRART, ſiue MICH. LE FAUCHEUR. conf. etiam CLERICI Parrhaſ. t. I. GRIMARET. de recitatione in lectione, actione publica, declamatione et cantu. RENAT. BARY de methodo ſermonem bene pronunciandi animandique. FRANCII ſpecimen exterioris eloquentiae. 4) Ad imitandum optima quaeque proponantur; ſuam tamen quisque exploret indolem, ſuasque uitae rationes intueatur. DEMOSTHENES, CICERO, PLINIUS, QUINCTILIANUS pulcherrima, quamuis inter ſe diſſimilia, orationum documenta ediderunt. Cauenda eſt preſſo oratori inopia et ieiunitas, amplo autem inflatum et corruptum dicendi genus. RAPIN *reflexions ſur l'eloquence et comparaiſon de Demoſthene et Ciceron.* Gallis laudi datur, quod ueteres egregie imitantur. BOSSUET,

FLE-

FLECHIER, BOURDALOUE, SAURIN itidem in exempla abeunt. Cauſſarum etiam patroni apud Gallos eloquentiam ſtudioſius colunt, quam noſtri, quia illi lites adhuc orare (*plaider*) ſolent. Non ſine gloria prodiere PATRU, LE MAITRE, GILLET. Huiusmodi declamationes collegit et in lucem emiſit GUYOT DE PITAVAL. conf. etiam *Recueil des Harangues de l'Academie Françoiſe*. PERRAULT *Parallele des anc. et des modernes* t. II, p. 236 ſq. *Nouvelle allegorique ou hiſtoire des derniers troubles arrivés au royaume d'eloquence. Lettres de* ROUSSEAU.

§. LXXXVIII.

Germanos hodie cum bonis literis eloquentiam feliciter iungere conſtat.

Germania oratores tulit, quos Latium miratum fuiſſet, ſed balbutiebant, cum ſermone patrio dicendum erat. Superiore ſaeculo modo horridum, modo nimium ſubtile ac contortum, modo turgidum dominabatur dicendi genus. Nec WEISII, TALANDRI, HUBNERI opera omne potuit exterminare uitium. Eloquentia ſacra prima caput extulit, breuique tam laeta cepit incrementa, ut nunc optimis diuinioris argumenti orationibus abundemus. Sodalitates iſtae literis Germanicis expoliendis conſtitutae artem dicendi ad alia quaeuis themata traducere ſummo ſtudio contendunt, ac uenuſta ſpecimina quotidie proferunt. Non pauci iam rhetorices initia docuere, HALLBAUERUM et GOTSCHEDIUM et BAUMEISTERUM hic appellaſſe ſat erit. Sed rhetorica illuſtris mihi quidem, ut decet, nondum culta uidetur, nec

multa

multa ſplendidarum orationum ſpecimina oſtentare poteſt. Interim conf. LUNIG. *Labyrinth der Staats-und gelehrten Beredſamkeit.* Eiusdem *Sammlung der Reden groſſer Herren.* SECKENDORFFS *teutſche Reden.* von BESSERS *Schrifften.*

§. LXXXVIIII.

Etſi aliud eſt orationem, aliud hiſtoriam, aliud dialogum, aliud epiſtolam ſcribere: docti tamen ac intelligentes uiri mentis ſuae cogitata ſemper perſpicue ac polite eloquentur.

Epiſtolis exarandis eo maiorem operam impendamus, quo frequentior in hoc genere neceſſitas ſcribendi occurrit. In epiſtolis genium cuiusque expreſſum quaſi cernimus; quare eas ita adornemus, ne alii de nobis peruerſe iudicent. Lucem praeferunt CICERO, PLINIUS, SENECA, quos nonnulli, ueluti BEMBUS, MANUTIUS, PALEARIUS, SADOLETUS &c. imitari ſtuduerunt. Vt alios tranſeam, quorum epiſtolas materiae dignitas commendat, cuiusmodi ſunt *literae procerum Europae.* AD. RECHENBERG. diſſ. de uſu epiſtolarum clarorum et illuſtrium uirorum. Inter Gallos eminent BALZAC, VOITURE, MILLERAN, RICHELET, FONTENELLE, ROUSSEAU, *lettres hiſtoriques et galantes:* MAUVILLON *traité general du ſtile, avec un traité particulier du ſtile epiſtolaire,* immo Germani multi melius Gallice, quam theotiſce, ſcribunt; hinc literarum eleganter conſcriptarum ſermo patrius deſiderat exempla. Magni merito aeſtimantur C. F. GELLERTS *Briefe nebſt einer practiſchen Abhandlung von dem guten Geſchmack in Briefen.* Nonnulla in MARTIN. ZEILERI *politiſchen et hiſtoriſchen Sendſchreiben.*

ſchreiben, item in GERMANI SINCERI *curieuſen Hof- und Staats-Schreiben*, et in LUNIGS *wohlabgefaſten Schreiben von hohen Potentaten, groſſen Herren und andern Stands- Perſonen. Leipz.* 1747. (§. LXXXII) reperiri, non inficias eo. Artis epiſtolographicae formam expoſuere ERASM. ROTEROD. MORHOF. WEIS. TALANDER, MENANTES, IUNCKER, NEUKIRCH. STOCKHAUSEN; PLAC. *allerneuſte Anweiſung zum Brieffchreiben* 1751. *Nachricht von dem allererſten teutſchen Briefſteller* exſtat *in den Critiſchen Beyträgen, Part. VI.* Ad uſum forenſem de epiſtola differuit LAUTERBACH. GROLLMANN de epiſtola hominis ultima.

§. LXXXX.

Rhetorica iuridica a ueris eloquentiae principiis non diſſidet.

CAMERARIUS, ZASIUS, HEGENDORFFINUS rhetoricam legalem, RABEN. rhetoricam ciuilem, WOLDENBERG. metaphoras iuris, ſententias, prouerbia, literis mandarunt; ſed tantum abeſt, ut ex hisce libris rationem dicendi forenſem diſcamus, ut uulgarem artem legibus illuſtratam perſpiciamus. Si quid ad leges interpretandas ualeat rhetorica, multo plura ſubſidia oratori reddere poteſt iurisprudentia. Dabo, oratoris officium eſſe, dicere ad perſuadendum uel potius ad cogendum accommodate; ſed id ipſum, ſi legum ſanctiones de teſtibus, de fide documentorum, de coniecturis &c. diligenter perquirat, expediet rectius.

CAPUT

CAPUT XI.
DE POETICA.

§. LXXXXI.

De Poeſeos praeſtantia ſententia diſcors: aliis carmine nihil leuius, aliis nihil diuinius, nihil antiquius.

CLERICUS Parrhaſian. t. I in poetas uehementius inuehitur, ſed refutatus fuit a KORTHOLTO; ſicut TANAQ. FABRUM de futilitate poeſeos refellit FRID. SCHUZIUS. Si quid in antiquitate praeſidii eſt, eo certe poeſis non deſtituitur. Nam ante Moſen iam carmina condita fuiſſe credimus. Poetae ſunt multo antiquiores, teſte LACTANTIO L. VII, c. 22 n. 2, quam hiſtorici et oratores et caetera genera ſcribendi. conf. VOSS. de ueterum poetarum temporibus. BAILLET jugemens t. IV. IO. FRANC. GRANDIS. hiſtoria poeſeos hebraicae, graecae, Romanae ac gallicae. LIL. GIRALDI hiſtoria ſiue dialogi X de poetis graecis et latinis. IO. PETR. LOTICH. bibliotheca poetica. POLYC. LEYSER. hiſtoria poetarum latin. medii aeui. Pleniorem poetices hiſtoriam ſuppeditauit STOLL. hiſt. liter. c. V.

§. LXXXXII.

Qui ſolidiorem iuris praeſertim Romani notitiam appetunt: ii multa cum utilitate ueteres poetas legent.

Vid.

Vid. CPH. LUDOV. CRELLII progr. de primitiis legum poeticis, antiquiſſimo genere carminum. CORNELII van ECK orationes binae de ſtudio poetices coniungendo cum ſtudio iuris Romani. IO. HENR. SCHLEGEL. de poetarum, ſigillatimque Homeri auctoritate apud ICtos. ESTOR de Horatii iurisprudentia. ERH. REUSCH. de Virgilio Iuriſconſulto. Quam multa ex PLAUTO haurire poſſit legum cultor, monſtrat HEINECC. in antiquit. iur. THOMAS. in cautel. c. 8, §. 45 poeſin eo commendat, quo ad caſus in iure fingendos acutiores reddamur; quod mihi quidem paullo altius repetitum uidetur. add. ADR. BEIER. de orthograph. et proſodia iuris.

§. LXXXXIII.

Sed ut ipſi carmina modulentur, non poſtulamus, quia poetae nulla immunitatis praerogatiua iuuantur l. 3 C. de profeſſor. et medic. quodſi uero quis ſuapte natura incitetur, is et alios uerſus ludendo delectare, et ſibimet ipſe prodeſſe poterit.

Nihil inuito ſcribas Apolline, nihil in dedecus Muſarum, nihil in temporis, grauioribus negotiis tribuendi, detrimentum. Poeſis uel in quaeſtum uerſa uel prauis moribus inquinata uileſcit. MORHOF. et KORTHOLT de furore poetico. MUHL. de enthuſiaſmo poetico. RABNER. diſſ. de natural. et philoſ. ſubſidiis poeſeos. KOCH. de moribus poetarum. BUDD. ſelect. iur. nat. et gent. p. 315. An VOSS. art. poet. c. 8 ſatis diluerit, quae poetis exprobrantur, diſpiciant alii.

§. LXXXXIIII.

§. LXXXXIIII.

Poeſis, paucis regulis contenta, natura nititur et exercitatione.

Artis poeticae inſtitutionum largâ copia; ſed ARISTOTELIS et HORATII honos etiam hac in re ſemper manebit. His addi poſſunt VOSSII inſtitut. poetic. ac libri de nat. et conſtit. artis poet. item de imitatione oratoria et poetic. IUL. CAES. SCALIGER. de re poet. Varia carminum genera uaria quoque poſcunt exempla; antiquiora uero magno adhuc ſunt in pretio, quae debemus HOMERO, PINDARO, SOPHOCLI, VIRGILIO, OVIDIO, HORATIO. Nec Gallorum in hoc ſtudium merita tradenda ſunt. FORMEY in conſiliis ſuis bibliothecae ſelectae inſtruendae p. 44 poetas Gallicos appellat, quos inter primarii BOILEAU, ROUSSEAU, VOLTAIRE. add. RAPIN, DUBOS, de REMOND de St. MARD *reflexions ſur la poeſie. Temple de la poeſie. Recueil d'anciens et rares Poetes.* Vol. VIIII. Apud Anglos fama celebratur MILTON, DRYDEN, POPE; apud Italos TASSO.

§. LXXXXV.

Vt Germani carminibus ſemper delectabantur: ita nunc poeſin plane perpoliuerunt.

TACITUS de Germanis memorat: *Celebrant carminibus antiquis (quod unum apud illos memoriae et annalium genus eſt) Tuiſtonem deum terra editum et filium Mannum, originem gentis conditoresque.* Carolum M. barbara et antiquiſſima carmina quibus ueterum regum actus et bella canebantur, ſcripſiſſe et memoriae mandauiſſe, tradit EGINHARDUS. OT-

FRIDI

FRIDI aliorumque opera poetica exhibet SCHILTERI theſaurus antiquit. German. Specimina uetuſtae Sueuorum poeſeos haud ita pridem in lucem protracta fuerunt. conf. KOELERI diſſ. de inclyto libro poetico Theuerdanck. MORHOF. *Unterricht von der teutſchen Sprache und Poeſie*, ORTLOB. diſſ. de uariis poeſeos German. aetatibus. NEUMEISTER. de poetis Germanicis. IO. LUDW. PRASCH. *von Fürtreflichkeit und Verbeſſerung der teutſchen Poeſie.* von TILL *von der Sing und Dichtkunſt der Alten.* WAGENSEIL de Germaniae Phonaſcorum, *Meiſter - Singer*, origine. S. F. DRESIG. de rapſodis, *von alten Meiſter - Sängern.* Lipſ. 1734. REIMMANNUS poeſi ſuae Germanorum canonicae et apocryphae hiſtoriam poeſeos Germ. praemittit; uid. etiam eiusdem hiſtor. liter. L. II, p. 263 ſq. 2) Ex multis, qui uerſus fingere docuerunt, nominaſſe ſufficiat OPIZIUM, OMEISIUM, WEISIUM. Maiora molitur GOTSCHEDIUS *in der critiſchen Dicht-Kunſt*, qui accuratiorem ueterum Poetarum Germanic. hiſtoriam componet. Vates eo excellentior cenſetur, quo ſtudioſius naturae ueſtigia ſequitur; ſed auorum aetas naturam ſaepe dedecorauit. Suus quidem naturae reſtitutus fuit honor, ſed neſcio, quo pacto hodie nonnulli iterum cum ſimplicem naturae pulchritudinem, tum linguae noſtrae indolem, rationisque praeſcripta impugnent. OPIZII, CANIZII, BESSERI, BROCKESII, multorumque, qui noſtrum aeuum ornant, gloria numquam intermorietur; reliqui Permeſſidos undis temulenti, immemoresque naturae paucis placent, placent ad breue tempus. De rhythmis exilis con-

trouerſia. FL. MAIORIS diſſ. de uerſibus Leoninis.

§. LXXXVI.

Varia ſunt poematum genera; ſed non omnia poſſumus omnes.

Paucorum ingenia carmini epico paria ſunt; Tragoedias, comoedias, eclogas, epigrammata, odas ſcribere audent plures. His de rebus latius commentatur STOLL. c. l. et GOTSCHED. c. l. add. *Beyträge zur Hiſtorie und Aufnahm des Theaters.* Nonnihil etiam de iisdem in legibus cauetur. ALBER. GENTIL. de actoribus et ſpectatoribus fabularum. IO. BENI. KONHARD. de ſcenicis in rep. Chriſt. non tolerandis. CHR. WILDVOGEL progr. de ſcena ridiculorum. FL. AUG. STRYKII diſſ. de eo quod iuſtum eſt circa ludos ſcenicos, operasque modernas, dictas uulgo *Opern.* MENETRIER *tr. de repreſentations des theatres anciennes et modernes, qui ſe font en muſique.* Poeſis, diuinum donum, ad uſus quoque ſacros ut accommodetur, aequum eſt; nec dubitemus, quin, apud Chriſtianos ueteres iam accommodata fuerit. Hymnus iſte Ambroſianus: *Te Deum laudamus &c.* nunc iure gentium fere approbatus eſt. Interdum in illuſtribus ordinum imperii controuerſiis de canticis eccleſiaſticis diſceptatum fuit. uid. ERN. SAL. CYPRIANI diſſ. de propagat. haereſium per cantilenas. IO. ANDR. SCHMIDII diſſ. de propagatione religionis per carmina. GE. HENR. GOEZII diſſ. de odio pontificior. in hymnos eccleſ. Lutheran. WEZELII hymnopoeographia. Vberius haec exponit BUDD. in Iſagoge L. I, c. 4 §. 12. FABRIC. biblio-

bibliogr. antiqu. c. XI §. 13. GOTTSCHALDT *in Lieder - Remarquen.*

§. LXXXXVII.

Nonnullis campus poeticus usque eo excurrere uidetur, ut et alios ingenii luſus, ſine metro, ſed non ſine afflatu poetico concinnatos, comprehendat.

1) Innuimus hic iterum comoedias et fabulas, praeſertim fabulas Romanenſes, quarum originem expoſuit HUETIUS. PASCH. diſſ de fabulis Romanenſibus antiquis et recentioribus. *Reflexions ſur les Romans.* CLAUD. TAUCHET *recueil de l'origine de la Langue et poeſie Françoiſe, Ryme et Romans.* Recenſet eiusmodi opuſcula FORMEY in conſil. art. VI. Collecta eadem inueniuntur *dans la bibliotheque des Romans de* GORDON DE PERCEL (*Lenglet du Fresnoy*) *item dans la bibliotheque de Campagne.* 2) Huc pertinent etiam Satyrae. PETIT *in dialogues ſatyriques et moraux*, nonnihil de regulis Satyrae differit. *Traité de la Satire, où l'on examine, comment on doit reprendre ſon prochain et comment la Satire peut ſervir à cet uſage.* IO. ANDR. GROSCH. *Regeln der Satyre aus ihren Gründen hergeleitet.* HERTEL. progr. de rebus merae facultat. ſtili Satyrici. BECHMANN. et EYBEN. de iure facetiarum. 3) Inſcriptiones, emblemata, ſymbola. conf. THESAURI inſcriptiones. OCTAV. BOLDOINI epigraphica ſiue elogia inſcriptionesque quoduis genus pangendi ratio. *Memoires de l'academie des inſcriptions et belles lettres.* SLEVOGT. inſcriptiones uarii generis. HALLBAUERS *Sammlung teutſcher auserleſener ſinnreicher Inſcriptionen.* IO. IAC. MUL-

LERI introductio in artem emblematicam. MENESTRIER *ſcience et l'art des deviſes.* WAGENSEIL de ſymbolo heroico. Auctores complures diſces ex STOLL. hiſt. lit. c. V.

CAPUT XII.

DE HISTORIA.

§. LXXXXVIII.

Hiſtoria teſtis temporum, lux ueritatis, magiſtra uitae, nemini, qui literis operam nauat, ſatis commendari poteſt; legum autem cultori hoc ſtudium maxime neceſſarium eſt.

Hic non tam de hiſtoria ſcribenda, quam legenda et diiudicanda ſoliciti ſumus. Quantum hiſtoriarum cognitio iurisprudentiae praeſtet utilitatis, iam uiri doctiſſimi monſtrarunt. FRANC. BALDUIN. de hiſtoriae cum iure coniunctione. HAHN diſſ. de uſu hiſt. in iure. HARTUNG. progr. de uſu hiſtor. in iurisprudentia priuata. BRENNEISEN progr. de utilitate ſtudii hiſtorici in iurisprudentia tum diuina tum humana. EISENHARD. diſſ. de coniungenda iurisprudentia cum hiſtoria, addita tr. de fide hiſtorica. SCHULTING. oratio de iurisprudentia hiſtorica. BARBEYRAC. de coniungendis iurisprudentiae et hiſtoriarum ſtudiis oratio. BEHRNAUERI diſſ. de neceſſario hiſtoriarum et iurisprudentiae nexu. SIEBEN. oratio de ſtudii hiſtorici utilitate in iurisprudentia. SPENER progr. de uero uſu atque auxilio iurisprudentiae in

in hiſtoria. OLEARII progr. de hiſtor. et antiquitatum ſcientia in iure ſummopere neceſſaria. LUDEWIG. *Teutſchlands Unheil aus Unwiſſenheit oder verkehrten Lehrart der Hiſtorie.* GEORGISCH. *Abhandlung von der Nothwendigkeit der Hiſtorie in allen Theilen der Römiſch-teutſchen Rechts-Gelahrheit.* Quisquis igitur hiſtoriam diſſuadet: is uel uerae ſapientiae expers eſt, uel ueritatem ex maleuolentia occultare ſtudet.

§. LXXXXVIIII.

In hiſtoriarum campo latiſſime patente, commoda methodo duce, uerſari debemus.

Pro ſuo quisque ſcopo legit res geſtas; hic animum recreare cupit; ille diuinam miratur prouidentiam rerumque uiciſſitudines; pauci ea, quae legunt, uel ad uſum uitae uel ad controuerſias dirimendas ueritatemque roborandam traducunt. E libellis principum lites diſceptantibus intelligi poteſt, quid ualeat legum adminiſter hiſtoriarum notitia adiutus. Vt ſtudium iſtud immenſum auſpicato aggrediamur, nonnullos auctores iſagogicos appellare iuuat. Multo laudis conſenſu excipiebatur Abbatis LENGLET DU FRESNOY *methode pour etudier l'hiſtoire*, cui in edit. praeſertim a. 1735 acceſſit catalogus hiſtoricorum locupletiſſimus. Hunc librum utiliſſimum IO. BURC. MENCK. in linguam Germanicam tranſtulit, librorumque deſignationem, eidem adiectam, inſigniter auxit. In art. I et II catalogi iſtius auctores, qui de methodo legendi, ſcribendi docendique hiſtoriam ſcripſerunt, recenſentur,

tur, quos etiam reperimus in STRUVII bibliotheca hiſtor. cura cel. BUDERI multis acceſſionibus reſtituta c. I §. 4. Vetuſtiores exhibet *penus artis hiſtoricae*. Baſ. 1579, II Volum. edita. LUCIANI meditationes de ſcribenda hiſtoria nondum placere deſierunt. VOSSIUS ſibi primus uiſus eſt, qui de arte hiſtorica methodice ſcripſerit. Commendantur etiam DEGOR. WHEAR. relectiones hiemales de ratione et modo legendi hiſtorias, cum III tom. acceſſ. IO. CHRISTOPH. NEU. RAPIN. *instructions ſur l'hiſtoire*. l'Abbé de S. REAL. *de l'uſage de l'hiſtoire*. CLERICI *penſées ſur l'hiſtoire et la difference des hiſtoriens modernes et des anciens*. IO. MICH. HEINECC. hiſtoria hiſtoriae. HEUMANNI prolegomena hiſtorica t. III poecil. L. III. IO. MART. CHLADENII *allgemeine Geſchichts-Wiſſenſchafft*.

§. C.

Vt quisque in hiſtoria ſcribenda e fontibus puris ſuſpectisue haurit: ita fides eidem adiungetur.

Hodie nusquam tuta fides. Veteres rerum geſtarum, quas commemorabant, fidem auctoritate ſua ſuſtinuerunt; hodie luculentis teſtimoniis inſidiae parantur, omniaque ad ἀκρίβειαν foris uſitatam trahuntur. EISENHART. et PERIZON. de fide hiſtor. THOMAS. diſſ. de fide iuridica. KLOCK. diſſ. an et quatenus hiſtorici in iudicialibus uim et fidem mereantur? RECHENBERG. diſſ. de auctoritate hiſtoriae in probandis quaeſtionibus iuris et facti. MENCK. de eo quod iuſtum eſt circa teſtimonia hiſtoricorum. STRUV. et BIERLING. de pyrrhoniſmo hiſtorico, item STRUV. de

de uitiis hiſtoricorum. BIERLING. de iudicio hiſtorico. GLADOV. de erroribus hiſtoricorum uulgaribus. BERINGER. de ueri hiſtorici officio, erroribusque ſcripturientium. FROEREISEN de praeiudiciis in ſtudio hiſtor. euitandis. DE LA MOTHE LE VAYER *diſc. de l'incertitude de l'hiſtoire.* Infinita hominum facta ſciri nequeunt, niſi euidenter commonſtrentur. Facta noſtra ſcimus optime, ſed, quoniam teſti in cauſſa ſua aegre credimus, facile intelligimus, quid de commentariis quibusdam, quos Galli *memoires* dicunt, exiſtimandum ſit. conf. IO. BURC. MENCK. ſchediaſma de commentariis hiſtoricis, quos Galli *memoires* uocant. Diariorum multitudo hiſtoriam non adiuuat, ſed turbat. CHR. WEIS *curieuſe Gedancken von Zeitungen.* Lucem uero annalibus contexendis afferunt teſtes idonei, chartae ſincerae, acta publica, ſigilla, nummi, monimenta, inſcriptiones, ſatyrae, cantilenae &c. nihil horum negligatur, ſed nihil ſine iudicio admittatur.

§. CI.

In libris hiſtoricis legendis has ſeruemus regulas.

1) Diſpiciendum eſt, an auctor rebus geſtis ipſe adfuerit? unde cognitionem ſuam repetierit?

2) An a ſtudio partium ſit alienus? an mercede conductus?

3) Annon hiſtoriam coniecturis ſuis et appendicibus corrumpat? an conciones inepte ha-

beat? an inueteratae opinioni ac fabulis indulgeat?

4) An cum aliis conſentiat, ſileat, recentiora memoret?

5) Origines nationum plurimarum ſunt incertae. LUDEWIG. de hiſtoria ſine parente.

6) Narrationes arcanae, item hiſtoriae uirorum laudibus uitiisque magnorum, miraculorumque ſaepius in ſuſpicionem adduci poſſunt. NEMEIZ. de modeſtia hiſtorico in cenſuris principum obſeruanda. Perraro hiſtoria cum re ipſa ratione omnium περιςασιων concordat.

7) Breues initio legamus commentarios, accurate conſcriptos; poſtea periodos iſtas, quas noſtra maxime ſcire intereſt, penitus perſpiciamus, et conſilia, modumque agendi ſcrutemur. G. S. TREUER. de ingenuo hiſtorico. C. G. IOECHER. de cura philoſophi circa hiſtorias. BOECLER. de hiſtoria ſchola principum. I. D. KOELER. de hiſtoria pragmatica.

§. CII.

Hiſtoria uulgo diuiditur in ciuilem, eccleſiaſticam, naturalem et literariam, item in uniuerſalem et particularem; antiquam, mediam, nouam.

Si quis in omni hiſtoriarum genere excellere cupiat, is omnem aetatem ſuam ingentesque ſumtus huic ſtudio impendere debet. Nos hiſtoriam inter artes iuris ſubſidiarias referimus; hinc nemo poſtulabit, ut ἐργον illius cauſſa negligamus. Vt quisque rerum eſt gnarus, ita exiſti-

ma-

mabit, quod hiſtoriarum genus cum ſcopo ſuo maxime congruat. Iam a teneris mentem hiſtoriae uniuerſalis notitia qualicunque imbuimus. De ſcriptoribus hiſtoriae uniuerſalis fuſe differit STRUV. in Bibl. hiſtor. c. 7. Mitto dicere de chronicis iſtis ſcriptorum hiſtoricorum collectionibus paſſim inſertis, quae Monachi quidam mediae aetatis inde ab orbe condito, ſed incondite, compoſuerunt. Olim quatuor monarchiarum hiſtoria arduum hoc negotium abſolui putabatur. Multo in honore erat IO. SLEIDANI compendium de imperiis uariorum commentariis illuſtratum et continuatum. Laudabatur BESOLDI ſynopſis cum obſeruationibus CHRISTOPH. ADAMI RUPERTI, itemque IO. CLUVERII epitome, ac LOEDERI introductio in hiſtoriam uniuerſam ſacram, ciuilem et literariam. Aliis nunc placent CELLARII, KRANZII, STRUVII, FREYERI, HUBNERI, PUFFENDORFFII, FRANCKENSTEINII, GEBAUERI opera hiſtorica. *Neu eröffneter hiſtoriſcher Bilder-Saal.* Part. X. *Allgemeine Staats-Kriegs-Kirchen- und Gelehrten-Chronik.* Lipſ. Vt alia maiora ſyntagmata tranſeamus, quibus omnino praeferenda erit *hiſtoria* iſta *orbis uniuerſi* a ſocietate quadam literatorum in Anglia adornari coepta, et curante celeberrimo BAUMGARTENIO in linguam noſtram uerſa, uariisque acceſſionibus locupletata, dummodo ſtudio aequabili, nec interrupto, ad finem perducatur. Qui ſyſtematibus non delectantur, adire poſſunt Lexica hiſtorica, e. g. MORERI, BUDDEI, ISELINI, *das groſſe vollſtändige Vniverſal-Lexicon*; item BAYLII dictionaire &c. conf. STRUVII Bibliotheca hiſt. cap. 35

§. 28. Hiſtoria particularis uel ad definitam temporis periodum, uel ad certam prouinciam, uel ad aliquam ſtatus politici conuerſionem, uel ad nonnullas ſcientias, uel ad homines ſingulatim ſpectatos refertur.

CAPUT XIII.

DE CHRONOLOGIA.

§. CIII.

Hiſtoriae fundamentum poſitum eſt in Chronologia, quam ſi tollas, uix inter fabulam et ueritatem diſcrimen aliquod relinquitur.

Chronologia eſt uel phyſica ſiue mathematica, uel hiſtorica; alii addunt politicam et eccleſiaſticam. Mathematica uarios diuerſorum populorum tempora computandi modos per ſolis et lunae curricula definitos, cyclos ſcil. periodos, aeras, epochas docet, eosque inter ſe confert; hiſtorica facta ad aeram aliquam reducit. Nobis annos uel ab orbe condito uel a Chriſto nato computare ſolenne eſt. Hac de diſciplina bene meriti ſunt IOSEPH. IUST. SCALIGER in opere de emendatione temporum; SETH. CALVIS. in opere Chronol. DIONYS. PETAV. in doctrina et rationario temporum. IO. BAPTISTA RICCIOLI in chronologia reformata. add. MARSHAMI canon chronicus; HENR. DODWELL de ueteribus Graecorum et Romanorum cyclis. Breuiaria et tabulas chronologicas adornarunt STRAUCH, FUNCCIUS, BOX-

BOXHORN, SCHRADER, LENGLET DU FRESNOY, BEVEREGIIS, IO. DAV. KOELER. Pleniorem huius rei notitiam literariam dedit FABRICIUS in Bibliographia antiquaria cap. 7, ubi etiam uarias ſententias de iſto anno mundi, quo natus eſt Chriſtus, refert.

§. CIIII.

De Calendario potiſſimum ac feſtis in iure tam publico, quam priuato, ſaepius disquiritur.

Omnes cultiores populi calendarii curam ſuſcipiunt, quae etiam apud Sinas ad ſummum pertinet imperium. Nam multa cum ſolennitate calendarium quotannis traditur Mandarinis et ſubditis, quo accepto, ſe ſubditos profitentur. Quam acriter in Germania de calendario reformando diſceptatum fuerit, obſcurum eſt nemini. uid. FRITSCH. diſſ. de calendarii reformatione. LINK. de calendario. BRUNNEMANN. de undecim diebus calendario ſubtractis. SAM. REYHER. diſp. de epactis ſolaribus, praecipue uero de XI dierum ex faſtis reſtitutis et ad tempora Concilii Nicaeni reductis exemtorum iure, Kil. 1702. BLONDELL. hiſtoire du Calendrier Romain. FRANC. VIETAE relatio calendarii uere Gregoriani et Gregor. perpetui. G. A. HAMBERGER. de baſi computi eccleſiaſtici. Iam aliquoties in tempore paſchatis definiendo diſſentiebant Auguſtanae confeſſioni addicti a Catholicis. WILDVOGEL de eo, quod iuſtum eſt circa feſtum paſchatos. MOSERS *Staats-Recht* P. III c. 38. Nec turbarum haud ita pridem in comitatu Hohenloico ortarum non meminimus. Scriptores antiquitatum feſtorum Iudaeorum,

daeorum, Ethnicorum, et Chriſtianorum recenſet FABRIC. in bibliogr. antiq. c. X. De feriis copioſe commentari ſolent ad tit. Pand. de feriis. Conf. inprimis BRISSON. STRUV. LAUTERBACH. LEYSER. item BOCRIS de poteſtate ſtatuum imperii ſubditis ſuis diuerſae religionis indicendi ferias legibus imperii non incongrua. IO. SAM. STRYK. de incommodis feſtorum. Haec incommoda hodie quoque pontificem Rom. permouerunt, ut feſta quaedam aliis contranitentibus abrogaret. add. RUD. HOSPINIANUS de feſtis Ebr. Ethn. et Chriſtian. MATTH. DRESSER. de feſtis et praecipuis anni partibus. IO. ALBERT. FABRICII menologium; SELDENUS de anno ciuili et calendario reipublicae Iudaicae.

§. CV.

Quo utilior nobis rerum Romanarum et Germanicarum eſt cognitio, eo accuratius non ſolum facta, ſed et leges et antiqua documenta ſuis temporibus aſſignare debemus.

Euoluendi ſunt PET. RELANDI, CAROLI SIGONII, THEOD. I. ab ALMELOVEEN faſti conſulares; ABRAH. WIELING. iurisprudentia reſtituta ſiue index chronologicus in totum iuris Iuſtinianei corpus ad modum IAC. LABITTI, ANTON. AUGUSTINI et WOLFG. FREYMONII. Aeram Chriſtianam Carolus Craſſus primum in curia recepit, quae tamen antea in aliis negotiis non incognita erat. G. A. HAMBERGER. de epochae Chriſtianae ortu et auctore. I. W. IANI hiſtoria aerae Chriſtianae et cycli Dionyſiani. Carolingici imperatores et reges uarias epochas ſibi approbabant. Hinc chronologia iſtorum

iſtorum temporum multis difficultatibus inuoluitur. Vid. commentarios de re diplomat. imperat. Attendenda quoque eſt indictio, eaque uaria. LINK. de indictione. Poſtea tempora a feſtis diebus deſignabantur. uid. HALTAUS, calendarium medii aeui, praecipue German. RABE calendarium feſtorum dierumque mobilium et immobilium.

§. CVI.

Ad iuriſconſultorum partes quaeſtiones permultae de tempore pertinent e. c. ratione hominum natiuitatis, aetatis, mortis, praeſcriptionis, dilationum in iudicio &c.

Quamobrem uarias deprehendimus commentationes, quibus iuris periti de temporibus diſſerunt. HENR. HAHN oratio de uſu chronolog. in iure ap. WIELING. in iurſprud. reſtituta. AYM. CRAVETTA antiquit. tempor. CASP. ZIEGLER diſſ. de tempore legali. ALB. GENTIL. de diuerſis temporum appellationibus. WILDVOGEL. chronoſcopia legalis. IOH. CONR. RÜCKER. de ciuili et naturali temporum computatione. LYNCKER, KRAUS aliique de fatalibus proceſſus. IO. GEORG. SCHERZ. de diebus feriatis, actibusque tempore illorum prohibitis. IO. BERNH. MULLER. de inualiditate actuum uoluntariae iurisdictionis in feriis diuinis. De momento temporis expoſuere a RHEDEN, SCHROETER, TROPPANEGER, WERNER. De iure horarum TRAUGOTT. THOMAS. De horis canonicis multi interpretes iuris canonici. De diebus iuridicis PETR. MULLER. De diebus criticis IO. KLEIN. De diebus continuis BILGER. De

eo,

eo, quod iuſtum circa dies BECHMANN. De eo, quod iuſtum circa dies caniculares WILDVOGEL. De legali menſium tempore ALTWEIN. de menſibus disquiritur etiam in iure Canonico; item in litibus de partu legitimo. I. E. LINK. De partu ſeptimeſtri, decimeſtri, undecimeſtri &c. De anno iuridico IO. HENR. MYLIUS. De nouo anno FRANCKENSTEIN. IO. STRAUCHII Calendae Ianuariae in titulum Codicis de oblatione uotorum. De anno deſeruiti BOEHMER. De anno decretorio DITMAR. HILDEBRAND. HOFFMANN. De anno gratiae STRYK. ESTÖR in kleinen Schrifft. P. XII. de anno iubilaeo BEUTHER. WAGENSEIL. item MENCKE de eo quod iuſtum eſt circa iubilaea. IO. GABR. MITTWOCH. de capite ieiunii. GF. von DASSEL de iure temporis quadrageſimalis. A. WEBER. *hiſtoriſche Unterſuchung des Maien-Feſts.* I. C. ZEUMER de Dominica Laetare, *dem toden Sonntag.* it. de die uiridium. HENR. BLUMENBACH de antiquitatibus Epiphaniorum. IO. PET. SCHMIDS *Geſchichtmäſſige Unterſuchung der Faſtel-Abends-Gebräuche in Teutſchland.* FRID. GOTTL. STRUVII diſſ. de eo, quod iuſtum eſt circa Veſperam Sanctam, Kiliae. 1735. De iure ſaeculi HILDEBRAND. WILDVOGEL. a RHEDEN.

CAPUT

CAPUT XIIII.

DE GENEALOGIA.

§. CVII.

Stemmatum inueſtigatores multum lucis hiſtoriae afferre poſſunt, ſed circumſpiciant, ne quid nimis.

Genealogias inextricabiles ſcrutari uetat diuus Apoſtolus I ad Timoth. cap. 1, u. 4. IO. MICH. LANG. de genealogiis numquam finiendis et fabulis Iudaicis. Quoniam antiquiora tempora documentis fide dignis muniri nequeunt, origines gentium illuſtrium non poſſunt non tenebris eſſe inuolutae. Intolerabilis aſſentatorum conatus, qui ſtemmata in promtu habent, ſuosque heroas uel ex equo Troiano, uel ex antiqua Roma, uel a Carolo M. ducere non dubitant. Conf. REIMMANN de fatis ſtudii genealog. ap. Hebraeos, Graecos, Romanos et Germanos. IO. HUBNERS *Verzeichnus aller alten und neuen Genealogiſchen Bücher*. STRUV. Bibl. Hiſtor. cap. 35, §. 11. Ad ſyſtematicos huius artis libros pertinent ANTON ALBIZII principum Chriſtianorum ſtemmata. HIERONYMI HENNINGES theatrum genealogicum, Vol. VI. opus rariſſimum. REIN. REINECCII ſyntagma heroicum. NIC. RITTERSHUSII genealogiae imperatorum, regum &c. DU FRESNE ſtemmata Byzantina. DU CHESNE hiſtoriae uariae genealog. illuſtr. familiarum Gall. SPENERI tabulae progonologicae. IAC. WILH. IMHOF notitia Sacri

Sacri Roman. Imperii procerum, opera IO DAV. KOELERI. IMHOFIUS iſte etiam exterorum genealogias conquiſiuit. Hodie frequentius euolui ſolent LOHMEYERI et HÜBNERI tabulae genealogicae. *Der Durchlauchtigen Welt Geſchlechts - und Wappen - Calender*, SCHUMANNS *jährlich genealogiſches Hand - Buch*. Nobilium familiarum tabulas genealogicas ediderunt HUMBRACHT, SEIFERT, BIDERMANN, VAL. KOENIG. genealogiſche Adels-Hiſtorie.

§. CVIII.

Genealogia ICto multum prodeſt ad lites dirimendas.

Vid. RECHENBERGII diſſ. de praeſtantia ſtudii genealogici. Si quando de ſucceſſione agitur: leges eum, qui hereditatem petit, cognationis uincula ante oculos ponere iubent. Tum ſtemmata proferuntur, quae iudex ſecundum iuris et hiſtoriarum artis regulas examinat. HILDEBRANDI diſſ. de probatione per ſtemmata genealogica. OBSERVAT. HAL. SELECT. t. X de neceſſitate ſcepticiſmi in ſtudio genealogico. Nemo neſcit, quanto ſtudio origines Auguſtae Domus Habspurg. ſcrutati fuerint eruditi, ac potiſſimum Reuer. D. HERRGOTT, omni diplomatum et monimentorum apparatu inſtructus; nondum tamen omnibus rem acu tetigiſſe uidetur. Controuerſiam quoque inter illuſtr. de WILHELM et SPANAGEL. de arbore genealogica Auguſtae gentis Carolino - Boicae ortam eſſe ſcimus. Quomodo genealogiae idoneis documentis firmandae ſint, oſtendit exemplis cel. KOELER. in diſſ. de familiis Augu-

Auguſtis. In IOACH. FRID. FELLER. monimentis ineditis etiam genealogiae medii aeui illuſtrantur. add. GEBHARDI *hiſtor, genealogiſche Abhandlungen, Lüneburg.* 1747.

§. CVIIII.

Artis genealogicae eos praeſertim peritos eſſe oportet, quibus nobilitas auita probanda eſt.

Si quis enim u. c. ludorum equeſtrium, beneficiorum eccleſiaſticorum, ganerbinatuum, particeps eſſe cupit, is, qua priſcae ſtirpis excellentia floreat, declarare debet. Quam operoſa ratione hoc negotium expediatur, ſtudioſe expoſuit ill. ESTOR. conf. etiam CRAMER de nobilitate auita. Quid? quod gradus in cauſſis connubialibus et hereditariis et iuris retractus quotidie computare neceſſe habemus. Artificium docent iuris ciuilis magiſtri.

§. CX.

Studium genealogicum, praeſertim Germanicum, haec difficultas haud poſtrema premit, quod perſonae ſuis non ſatis inter ſe diſcernuntur nominibus.

Veteres Germani ignorabant cognomina; quare facile halucinamur, ubi tot e. c. Henricorum nomina legimus. Ac licet interdum dignitatis nomen, ducis nimirum aut comitis, addatur: prouincia tamen eius uel ditio omitti ſolet. Imo fac, nomen loci aut terrae alicuius adiici, inde tamen non ſemper argumentaberis, nomen iſtud

inferre terrae dominatum. Cognomina ſaeculo demum XII approbata fuiſſe, animaduertimus. Vid. ill. GUDENUS in praefat. ſylloges diplomat. LUDEWIG. *von den Geſchlechts-Namen, in gelehrten Anzeigen* Part. II, pag. 274.

CAPUT XV.

DE HERALDICA.

§. CXI.

Armorum ſcientia non lineis tantum et coloribus conſtat, ſed et hiſtoriarum ac iuris doctrinam illuſtrat, ac uiciſſim iurisprudentiae auxilio indiget.

De artis heraldicae origine et natura conf. IUB. IOACH. STOLLII exercitat. II. SCHMEIZEL. de natura et indole artis herald. Hiſtoriam heraldicae enarrat REIMMANN. in hiſtor. liter. Vol. V p. 596. IUNCKER. in ſupplem. ad lineas primas eruditionis uniuerſae p. 211 ſq. MENETRIER de l'origine des armoiries. Bibliothecam politico-heraldicam contexuit CAROL. ARND. add. THOM. GORII catalogus plerorumque auctorum, qui de re heraldica ſcripſerunt. Oxon. 1674. 4. STRUV. in biblioth. hiſtor. c. 35 §. 22 ſq. Quid HENR. CORN. AGRIPPA arti heraldicae obiiciat, uideas in libro de incertitud. et uanit. ſcient. c. 80 et 81.

§. CXII.

Arma ſaepius appellantur inſignia; quamquam inſignium uox multo latius patet.

Armo-

Armorum gentilitiorum origo apud Germanos quaerenda; inſignia etiam Romanis, aliisque populis nota erant. Non ſine annalium, ueterumque monimentorum ſuffragio contenditur, arma expeditionibus ſacris antiquiora non eſſe, ſiue familiarum, ſiue regnorum teſſeras reſpicias. Vid. BOEHMERI diſſ. de uaria iur. innouat. per expedit. cruciat. HECHT. de rei herald. inter Germanos ſpec. Saxones auſpiciis.

§. CXIII.

Ius arma concedendi Imperatori tribuitur, qui tamen diſpicere debet, ne quid in damnum aliorum indulgeatur.

Vid. Capit. nouiſſ. art. XXII, §. 3. Quum itaque uariae quaeſtiones de armis naſci poſſint, mirum non eſt, ICtos libellos multos de hoc argumento compoſuiſſe. Nominabimus BARTOLUM DE SAXO FERRATO, FESCH. HOEPINGK. BECHMANNUM de inſignibus eorumque iure. ANONYM. de iure inſignium et heraldico. Colon. 1678. Inſigni laude ornatur IO. BAPT. CHRISTINAEI Iurisprudentia heroica. Curam armorum cognoſcendorum ordinandorumque committit Caeſar armorum inſpectori, qui hodie inter miniſteriales refertur, ſuamque operam, quando nobilitatis diplomata aut armorum additamenta impetrantur, praeſtat.

§. CXIIII.

Neque uero ſolum in iure publico, uerum etiam in priuato ac potiſſimum feudali frequens de armis diſſerendi occaſio offertur.

Sic 1) inſignia ſtatui nobilitatis probando inſeruiunt; arma enim eorum, qui ad torneamenta ſiue ludos equeſtres admitti optabant; ſolicite explorari conſueuerunt. Ex ludis iſtis nomen *du blaſon* repetendum eſt. Saepius in his rebus prouocabatur ad GE. RIXNERI librum *vom Anfang, Urſprung und Herkommen des Turniers in teutſcher Nation*, quamquam commentis ſcatere uidetur permultis. conf. tamen SCHUBART de ludis equeſt. IO. CHRIST. LUDWIG. *hiſtoriſche Unterſuchung der ehemahligen Kampff-Renn-und Ritter-Spiele. Kernhiſtorie der ſchönen Wiſſenſchafften* P. VIII *von Ritterſpielen und Turnierkunſt*. IAC. THEOPH. LINCK. diſſ. de probat. per inſignia et arma gentilitia. 2) Ex armis interdum repetitur ius ſuccedendi in feudis, ueluti inter nobiles Francon. uid. LUDOLPH. obſeruat. P. I, p. 203. LUDEWIG *gel. Anzeigen* P. II, p. 915, et ibid. pag. 564: *ob ein natürlicher Sohn eines Edelmanns deſſen adelichen Nahmen und Wappen gebrauchen möge?* 3) Nonnumquam arma poenae loco auferuntur, aliquando mutantur, imminuuntur. WALDSCHMID. diſſ. de mutatione inſignium et ſigillorum S. R. I. Statuum. WILLENBERG. de abuſu inſignium principis. 4) Arma feudi nomine dabantur. ill. SENCKENBERG. ſelect. iur. et hiſt. t. IIII p. 242. 5) Exſtincta gente quadam arma quoque exſtingui ſolent. FICHTNER de fractione inſignium. 6) Galea Germanis maxime erat curae. RINK. de eo quod iuſtum circa galeam. 7) Signorum naualium, apluſtrium, (*Schiff-Flaggen*) notitia non negligenda in iure gentium; tradit eam *der geöffnete Ritterplatz* P. I.

§. CXV.

§. CXV.

Heraldica Germanica ex diplomatibus uetuſtis et ſigillis plenius dilucidari poteſt.

Abundamus magiſtris artis huius, ſed pauci genuina illius principia docent. Inter Germanos eminet SPENER. in opere heraldico; IMHOFII notitia procerum imperii. *Das groſſe und vollſtändige Weigeliſche Wappen-Buch* Part. VI cum praefat. IO. DAV. KOELERI. Nürnb. 1734. Inter Gallos MENETRIER, PALLIOT; item MARC. VULSON DE LA COLOMBIERE *l'art heraldique ou la ſcience du Blaſon.* Eiusd. *theatre d'honneur et de chevalerie.* Ex compendiis eligunt multi TRIERS *Einleitung zu der Wappen-Kunſt.* Aliis placet SCHMEIZEL. RUDOLPHI. GOTTSCHLING. BUSSING. WEBERI opera. Paullo ante indicauimus *den Geſchichts- Geſchlechts- und Wappen-Calender.* Conf. etiam du FRESNE *de Cottes d'armes* diſſ. quam in PISTORII amoenitatibus hiſtorico-iuridicis Part. I germanice legimus. Cel. KOELER. in ſingulari ſcriptione originem ſignorum tincturarum heraldicarum, (*hachures*) explanauit. IO. CHRIST. KOCHS *Verſuch einer Nachricht von den Wappen der Gelehrten.* Plura dabit catalogus bibliothecae Rinkianae pag. 267.

§. CXVI.

Vt ſingularium regnorum ac familiarum arma rite explicari conuenit: ita in primis iſtud artificium probe conſiderandum eſt, quo uaria inter ſe coniunguntur inſignia.

De aquilae imperii bicipitis origine et interpretatione nondum conuenit inter eruditos. TREU-

ER. de uera origine aquilae bicipitis I. R. G. MANZEL. diſſ. de aquila S. R. G. I. bicipiti. Noſtram ſententiam expoſuimus in diſſ. de inſigni German. De inſigni regni Galliae commentatur CHIFLET. in lilio Francico, add. B. G. STRUV. de ruta Saxonica. IO. SCHEFFER. de antiquis uerisque regni Sueciae inſignibus. IO. WOLFG. TRIER diſſ. de inſignibus regiis Polonicis. Arma diuerſa coniunguntur non ſolum ob nouam terrarum acquiſitionem, uerum etiam ob impetratum ius exſpectandi, ſpem ſuccedendi, matrimonium, tutelam &c.

CAPUT XVI.

DE GEOGRAPHIA.

§. CXVII.

Geographia eſt uel mathematica uel politica; utraque, quam diſcamus, digna.

Scriptores geographicos recenſet STRUV. in biblioth. hiſtor. c. 35. LENGLET DU FRESNOY in catalogo auct. methodo hiſtor. adiecto p. 17 ſq. STOLL hiſt. liter. p. 291. CHRIST. HUBNER de ſtudio geographico in genere. IAC. GRONOV. in orat. de origine, progreſſu et dulcedine ſtudii geographici. BRUZEN de la MARTINIERE eſſai ſur l'origine et les progres de la Geographie. Nec politica terrae deſcriptio, nec nauigatio ſine mathematica Geographia recte procedit. Quamobrem eorum induſtria commendatione digniſſima

ſima eſt, qui mappas accuratius deſignant. Artem hanc docuit GUIL. SCHIKARD. in ſuccincta methodo mappas geographicas longe accuratius, quam uulgo fit, conficiendi. DOPPELMAIER. in baſi Aſtronomica Geographiae recentioris. add. RICCIOLI Geographia et hydrographia reformata. FOURNIER hydrographie. IO. GE. LIEBKNECHT elementa geograph. general. VARENII geographia generalis. MELISSANTES (ſiue IO. GOTFR. GREGORII) *curieuſe Gedancken von den Landcharten.* GOTTSCHLING. *Hiſtorie der Landcharten.* Vberius hunc locum tractauit HAUSER *im nützlichen Diſcours von dem gegenwärtigen Zuſtand der Geographie, beſonders in Teutſchland.* Eiusdem *Gedancken und Vorſchläge, wie die von unterſchiedenen Auctoren unternommene Hiſtorie der Geographie, wie auch die von ihm vorgeſchlagene Geographiſche Societät noch am füglichſten zu Stande gebracht werden möchte.* 1730. Nunc a ſocietate Coſmographica ab Homannianis heredibus Noribergae inſtituta praeclaras exſpectare poſſumus tabulas. Mappae autem multifariam diſtingui pingique ſolent, ratione ſcil. territorii, religionis, dioeceſium, fluminum, marium, itinerum, bellorum, linguarum. Harmonia linguarum uel geographia polyglotta auct. HENSELIO prodiit.

§. CXVIII.

Geographia antiqua pertinet potiſſimum ad ſtudium hiſtoricum; media autem ac recentior etiam iuris publici ac gentium prudentiae opem ferre poteſt.

De geographis antiquis PTOLOMAEO, STRABONE, STEPHANO BYZANTINO &c. uid. STRUV. cit. loc. FABRICIUS in biblioth. graeca et latin. item in bibliographia antiquaria cap. 5. Geographiae ueteris ſcriptores graeci minores Oxonii 1698. IV Volum. in 8 prodierunt. Tabulam Peutingerianam accuratius delineatam in lucem emittet ill. SCHEYB. Sed cum non omnibus libros iſtos euoluere uacet; multo cum fructu adhibebitur CHRIST. CELLARII notitia orbis antiqui. GLUVERI opera. Geographia mediae aetatis nondum ſatis eſt exculta. uid. TUCKII diſſ. de geographia medii aeui. Recentior in maiore luce uerſatur. HUBNERI compendium eiusque *Zeitungs - Lexicon* omnibus notum, cui adiungi poteſt HUBNERI iunioris *vollſtändige Geographie.* IO. DAV. KOELERI *Anleitung zur verbeſſerten neuern Geographie.* BERCKENMEYERS antiquarius. IO. GE. HAGERS *ausführliche und vollſtändige Geographie.* SCHAZII elementa Geographiae. DE LA CROIX *nouvelle methode pour apprendre facilement la geographie univerſelle.* ROBBE *methode pour apprendre facilement la geographie. Methode pour etudier la geographie par* LENGLET DU FRESNOY. Operum maiorum claſſem occupant MUNSTERI coſmographia. MART. ZEILERI et MATT. MERIANI Topographiae. *Le monde, ou la deſcription generale de ſes quatre parties, par* PIERRE DAVITY. La galerie agreable du monde LXVI tomes, le tout mis en ordre et executé par PIERRE van der AA. *Le grand dictionaire Geographique et critique* de BRUZEN la MARTINIERE, BAUDRANDI aliorumque lexica geographica. *Neue Europäiſche Staats - und Reiſe - Geographie.* L. III reſpiciunt Bohemiam, Morauiam, Sileſiam.

§. CXVIIII.

§. CXVIIII.

Geographiae cognitio non ſolum in iure priuato, ſed tum maxime requiritur, cum de finibus regundis agunt principes.

Conf. IAC. LECHASSERII obſeruatio de uocabulis ad Geographiam iuris Romani pertinentibus in EVERHARD OTT. Theſaur. iur. Rom. t. V, p. 1105 ſq. BERGIER *l'hiſtoire de grands chemins de l'empire Romain.* Nec leges ueterum Germanorum a LINDENBROGIO et BALUZIO collectas rite interpretari poſſumus, niſi terrarum ac populorum notitiam habeamus. Quam uariae opiniones de ſolo legis Salicae, ut Geographiae uſum in iuris ſtatutarii ſtudio taceam. Commentationes de finibus regendis propius ad Geometriam ſpectant; huc faciunt ii, qui fines regnorum, praeſertim Imperii R. Germ. deſcripſere, ueluti CONRING; WEINRICH de finibus Germaniae numquam mutatis. MOSER. de dubiis regni germanici finibus modernis. LUDEWIG. in ſingularibus iuris publ. Proinde in quauis fere iuris publici epitome nunc reperies diſquiſitionem de finibus imperii.

§. CXX.

Germaniae faciem omnis aeui pernoſcere haud pigeat Germanum.

Non deerat huic ſtudio uirorum doctiſſimorum opera, quos adducit STRUV. in biblioth. hiſtor. cap. 16 §. 24. Laudantur BERTII commentarii rerum germanicarum; GABRIEL. BUCELINI Germania topo-chrono-ſtemmato-graphica ſacra et profana. P. IV. CLUVERII Germania antiqua, CEL-

LARII notitia orbis antiqui, IAC. CAROLI SPENERI notitia Germaniae antiquae. Geographiae med. aetatis fecundiora lumina ex diplomatibus affundi poſſunt. Nam in uetuſtis tabulis indicantur Ducatus, Comitatus, pagi, curtes, palatia, flumina, ſyluae, montes. Interim utamur IUNCKERI introductione ad Geographiam mediae aetatis, maxime Germaniae, CHRONICI GOTWICENSIS prodromo lib. 3 et 4. LOESCHERS *Einleitung in die Hiſtorie und Geographie der mittlern Zeiten* cum mappa Germaniae ſeptentrionalis et Miſniae ſaec. 9, 10 et 11, quam adiecit *der Hiſtorie des Römiſchen Huren Regiments der Theodorae und Maroziae.* De pagis Germaniae etiam commentati ſunt FREHER, MEIBOM, PAULINI, KNAUT, KUCHENBECKER. Elegans Geographiae mediae ſpecimen exhibuit SCHANNAT in Buchonia ueteri. MENS. ALTING. notitia Germaniae inferioris itidem reſpicit medium aeuum. Imperium Caroli M. in tabula quadam repraeſentare anniſi ſunt BERTIUS et DE L'ISLE. HASII mappae aliquot pro illuſtrandis periodis hiſtoriae imp. Germ. Splendidum opus topographicum MART. ZEILERI cum noſtris temporibus non ubique conſentit. Decem Circulorum accurata deſignatio potiſſimum exhibenda eſt.

§. CXXI.

Geographicum ſtudium amplificatur et roboratur per itineraria.

Non omnia itineraria ſunt eiusdem fidei atque uſus. Nonnullis adſperſae ſunt annotationes phyſicae, literariae, politicae. GOTTSCHLING, diſſ.

diſſ. de libris hodoeporicis. Magnum librorum geographicorum et itinerariorum apparatum deprehendimus in catalogo bibliothecae Rinkianae pag. 211-252. BUNAU P, II p. 1741. Literatis in primis placent itinera TOURNEFORT. SPON. SCHAW. SCHEUCHZER. Alios delectant obſeruationes MISSON, MONÇONNIS. TAVERNIER. THEVENOT. CHARDIN. DU HALDE. ANSON. DAPPER, KOLBE, PÖLLNITZ; KEYSLERI, KORT libri multis nominibus commendantur; nec collectio iſta itinerum ex uoluminibus diſperſis in epitomen redactorum, cuius iam uolumina VII proſtant, utilitate ſua caret. Huc referas etiam opuſcula, quae inſcriptionem *des Delices* prae ſe ferunt.

CAPUT XVII.

DE DIPLOMATICA.

§. CXXII.

Quemadmodum ſingularia hominum facta in iudiciis ſolent probis documentis declarari: ita non ſolum hiſtoriae, ſed et iura principum ex diplomatibus multum roboris accipiunt.

Non neſcio, res geſtas ex tabulis uetuſtis non ſemper tuto poſſe dilucidari, quia documentorum auctores ſaepius aliorum narrationes fide minus dignas repetunt; at ingens diplomatum copia precibus aliorum non nititur, nec preces iſtae ſemper falſae erant; ac dabimus, pauca quaedam mendoſa eſſe, idcirco reliqua non erunt ſper-

ſpernenda. Fuſius hunc locum tractant commentat. de fide inſtrumentor. Hodie commentarii hiſtorici manci uidentur, niſi probationum ſilua iis addatur.

§. CXXIII.

Frequens de tabulis uetuſtis diſceptandi occaſio artem chartas diiudicandi produxit, quam uocamus Diplomaticam.

Bella diplomatica memorat LUDEWIG in praefat. t. I reliqu. MS. BARING. in claue diplomatica. MABILLONIUS quidem inſigni ſtudio rei diplomaticae regulas inueſtigauit: ſed GERMONIUS easdem plane labefactare conatus fuit. Hinc acre certamen, quod etiam memoriae tradidit ill. de MEYERN in praefat. t. III actor. pac. Weſtphal. conf. HOFFMANNI progr. de lubrico artis diplomaticae. Libellos eriſticos indicauimus in comment. noſtris de re diplom. Imp. Opus Mabillonianum illuſtrabit ac ſupplebit nouus monachorum quorundam Gall. Ord. S. Bened. labor, cuius Pars I nuper ſub inſcriptione: TRAITE DIPLOMATIQUE &c. prodiit. add. MAFFEI *Iſtoria diplomatica che ſerve d'introduzion all' arte critica in tal materia.*

§. CXXIIII.

Etſi hodie immenſa tabularum uis exſtet; in uſum tamen, quem praeſtare poſſunt, multiplicem nondum uerſa uidentur diplomata.

MABILLON. artis huius inſtaurator, praecipue rem diplomaticam regum Francorum expoſuit; reliquorum diplomatices generum non niſi tenuia linea-

lineamenta dedit. Germani potiſſimum curae habuerunt diplomata Imperatorum; his enim operam ſuam dicarunt rei diplomaticae compendiorum auctores ECKARDUS, IOACHIM, item CHRON. GOTWICENS. ac nosmet ipſi in commentar. de re diplom. Imperatorum et imperatricum. At ni fallor, bene de hac arte mererentur, qui epiſcoporum quoque, ducum, comitum, ciuitatum diplomata excutere, eaque, quoad fieri poteſt, regulis ſuis ſubiicere tentarent.

§. CXXV.

In diplomatibus primum oculis obuerſantur externa, charta ſcilicet ſiue membrana, atramentum, lingua, ſcriptura, monogrammata, ſigilla.

Conf. STRYK. et BEHM. de ſacro encauſto. Scripturae antiquae ſpecimina exhibent MABILLON. BARING. CHRON. GOTWIC. SCHANNAT. SCHEUCHZER et LOCHMANN. CARPENTERII alphabetum Tironianum ſeu notas Tironis explicandi methodus cum pluribus Ludou. P. chartis. Pariſ. 1747. WALTHERI gloſſar. diplomat. BAUDIS. de monogramm.

§. CXXVI.

Conſiderentur etiam diplomatum interna: inuocatio diuini nominis, nomina, tituli, formulae initiales, formulae traditionum, appendiciarum, exemtionum, confirmationum, poenarum; item ſubſcriptio, notae chronicae, epochae, datum, locus.

Quae

Quae capita omnia ſi recte expendantur, et commode applicentur; inſignem utilitatem ſcientiis quamplurimis non poterunt non afferre, prout in commentariis noſtris oſtendere conati ſumus.

§. CXXVII.

Quisquis diplomata in lucem edit, is plane nihil, ne uitia quidem, mutet, ac, unde chartas repetierit, ſine fuco indicet.

Fragmenta diplomatum, quae *extractus* dicunt, dubiae fidei ſunt, quia ex illis de chartarum authentia non ſemper iudicari poteſt. Documentum ex archiuo depromptum fide dignum cenſetur; quamquam non omnia archiua ſunt a naeuis uacua. Quibus igitur ad tabularia aditus patet, eos optime de diplomatibus decidere poſſe conſtat; ſed paucis hoc contingit; paucorum etiam eſt ſumtuoſam bibliothecam diplomaticam conquirere. Scire tamen iuuat opera diplomatica, quorum numerus in dies fere augetur. Notiſſima ſunt opera MIRAEI, I. DU MONT corps univerſel diplomatique. LEIBNIZ. codex iur. gent. diplom. LUNIG. archiuum Imperii; eiusque codices German. et Ital. diplomat. MARTENE et DURAND. theſaur. anecdot. et moniment. MAGNUM BULLARIUM ROMANUM. D'ACHERI ſpicilegium. MURATORII ſcriptores et antiquit. Ital. IOH. de IOHANNE codex diplomaticus Siciliae. Panorm. 1751. LUDEWIG. reliqu. MS. GUDENI codex diplomat. HAHN. IOHANNIS, HOFFMANNI, BUDERI, SENCKENBERG. VOGT. collectae tabulae, ut taceamus prouinciarum ſingularium ſcriptores, qui hodie

hodie ſine literarum teſtimoniis loqui erubeſcunt. Deſideramus bibliothecam diplomaticam et hiſtoriam archiuorum; interim utamur GEORGISCH. regeſtis diplomaticis, et WENCKERI apparatu archiuorum. Conf. etiam celeber. BUDERI diſſ. epiſtol. de bibliotheca diplomatica conquirenda. KEMMERICH *in der neu eröffneten Academie.* Lib. II, cap. 23 et §. 23 diſſerit de archiuis.

§. CXXVIII.

Cum diplomatibus integris non pauca mixta ſunt originis impurae; proinde diſpiciamus, quanta cuique chartae fides tam ex regulis diplomaticis, quam iuriſprudentiae tribui poſſit.

HERTIUS de fide diplomat. WALDSCHMID. de probatione per diplomataria. Ad hunc finem omnis diplomatica cognitio refertur, ut uerum a falſo diſcernamus.

CAPUT XVIII.

DE SPHRAGISTICA.

§. CXXVIIII.

Etſi ſigillorum criſis maxime ad rem diplomaticam pertinet: uerum tamen quia uſum eorum ampliſſimum eſſe nouimus, ſingularis huius artis forma haud inepte conſtituitur.

De annulis ac ſigillis ueterum multi iam diſſeruere, FABRIC. bibliograph. antiq. c. XVIII, §. 8. GOR-

GORLAEUS in dactyliotheca; item LICETUS, GRONOVIUS, BEGERUS, KIRCHMANNUS, SALMASIUS. Ad uſum diplomaticum operam ſuam egregie accommodarunt MABILLON. et IO. MICH. HEINECCIUS; ſed, ut uerum fatear, multa aliis inueſtiganda reliquerunt; ſedulo ſcrutatur DOMENICO MARIA MANNI in oſſervazioni iſtoriche ſopra i ſigilli antichi de' ſecoli baſſi.

§. CXXX.

Sigillorum genera uaria, priuata, publica, maiora, minora, maieſtatica, bullae, contraſigilla.

THULEMAR. de bullis. MÜLLER *im entdeckten Staats-Cabinet* Part. IV, item GRIEBNER et GLEICHMANN de ſigillo maieſtatis Saxonico. POLYC. LEYSER. progr. de ſigillo maieſtatis Brunſuic. Id. de contraſigillis medii aeui. AYRMANN. de ſigillis ſecretis Landgrau. Haſſiae ueterum.

§. CXXXI.

De his, qui iure ſigilli authentici uti poſſunt, diſquirunt Iureconſulti.

Conf. HOEPINGK. STRUV. AVIAN. BECHMANN. BOETTICHER. STOEKKEN. RAW. de iure ſigillorum. BOEHMER de iure et auctoritate ſigilli authentici. BUDER. et SCHUBERT de ſigilliferis epiſcoporum. CONRADI diſſ. de cenſore ſigillorum collegii ſigniferorum. GOSSEL de eo quod iuſtum eſt circa ſigilla uniuerſitatum. SENCKENBERG. obſeruat. de ſigillis iuſtitiariorum curiae Imperialis usque ad Maximil. I in medit. p. 332 ſq.

§. CXXXII.

§. CXXXII.

Ratione materiae ſigilla ſunt aurea, argentea, plumbea, cerea; ratione figurae rotunda, oblonga, triangularia, quadrata.

Quando aurea bulla ab Imper. concedatur, uid. MOSER. *im Staats-Recht* P. III p. 53 ſq. De bullis argenteis et plumbeis uid. HEINECC. c. l. c. 5. de Imperatorum et reg. Roman. ſigillis plenius agitur ib. c. 9. STRYK. de cera rubra.

§. CXXXIII.

Graui uitio laborat inſtrumentum ſigillo deſtitutum.

I. I. STRYK. diſſ. de exceptione deficientis ſigilli. BECK. de reſignatione, auulſione et turbatione ſigillorum.

§. CXXXIIII.

Sigilla, aut, ut diplomatice loquamur, typaria ſumma cura cuſtodiantur et, mortuo ſignante, fraudis uitandae cauſſa frangantur.

In Imperio R. G. per A. B. c. 15. Archicancellario cuſtodia ſigilli imperii committitur. In Gallia ſupremus ſigilli cuſtos, *der Gros Siegel-Bewahrer*, inter miniſteriales praecipuos refertur. Sigillorum aſſeruatorum collectio Rinkiana rarior, ſi omnia typaria authentica. conf. cel. GLAFEY decas ſigillor. Opuſc. noſtra p. 726 ſq.

§. CXXXV.

In ſigillis uario modo crimen falſi committi poteſt.

Sigillorum inſpiciendi forma, materia, inſcriptio, modus annectendi. Interdum ſigillum ſincerum chartae ſpuriae affigi poteſt. Nonnumquam ſigilla mutantur perinde ac inſignia; quapropter heraldica et numiſmatica et ſphragiſtica ſibi mutuum praeſtare ſolent auxilium. WALDSCHMID. de mutatione inſignium et ſigillorum S. R. I. Statuum.

CAPUT XVIIII.

DE ANTIQUITATUM STUDIO.

§. CXXXVI.

Antiquitatum doctrina inexhauſta fere ita temperanda eſt, ne a ſcopo praecipuo aberremus, uel ad inutilia delabamur.

Incredibili antiquitates perueſtigandi minutiasque eruendi cupiditate flagrant multi ſui ſaeculi rerum perquam rudes. Vnius hominis aetas tam amplo apparatui uix par eſt. In nonnullis igitur compendio ſtudeamus. Singularum diſciplinarum originum et antiquitatum ſcriptores loco, quo decet, a nobis indicantur. MORHOF. Part. I, lib. 5 c. 2 antiquarios recenſet. FABRICII Biblioth. antiquar. ſcriptorum deſignationem exhibet, qui antiquitates Hebraicas, Graecas, Romanas et Chriſtianas, illuſtrarunt; ad Iuriſconſultorum et politicorum campum pertinet praecipue cap. XIIII cum ſeq. Ceterum conf. TURRETIN. de uſu ſtudii antiquitat. BIERLING, de natura

tura et uſu ſtudii antiquitat. REIMMANNI idea ſyſtematis antiquitatis literar.

§. CXXXVII.

Si diuerſa, quibus operam nauare debemus, iura, diuinum ſcil. Romanum, Germanicum, Canonicum, publicum, feudale, gentium, intuemur, ſi, quantum haec rerum originum, rituum, formularum &c. notitia adiuuentur, expendimus: iure ſuo antiquitates commendantur legum cupidae iuuentuti.

Vberius hoc oſtendit THOMAS. ſiue potius IO. CHRISTOPH, FRANCK. in praefat. Sigonii libr. de iudiciis populi Romani praemiſſa: de uſu uario ſtudii antiquitatum in primis in ſtudio iurisprudentiae Romanae. CRAMER. progr. de coniungendo iuris et antiquitat. Germanicarum ſtudio. HEINECCII praefatio de utilitate ſtudii antiquitat. in iurisprudentia praemiſſa IAC. PERIZONII diſſ. ſeptem. Lugd. B. 1740. 8.

§. CXXXVIII.

Antiquitas repetatur ex literarum documentis, monimentis, inſcriptionibus, marmoribus, gemmis, inſtrumentis, picturis.

SPON in praefat. ad Miſcellanea erudit. antiquit. Archaeographiam diuidit in numiſmatographiam, epigrammatographiam, architectonographiam, iconographiam, glyptographiam, toreumatographiam, bibliographiam, angeiographiam. *In des geöffneten Ritter-Platzes Antiquitäten Zimmer* pag. 31 deprehendimus numariam, lapi-

 dariam,

dariam, ritualem et antiquariam mixtam. Codices MS. ad paucorum manus perueniunt, de quibus quemadmodum exiſtimandum ſit, docent Auctores diplomatici. STRUV. in obſeruat. de criteriis manuſcript. De manuſcriptis et bibliothecis manuſcript. diſſerit MORHOF. c. l. p. 52 ſqq. Vbi lateant manuſcripta, diſcimus ex MONTFAUCON. bibliotheca bibliothecarum manuſcriptorum. Libri ſub initiis typographiae uel a typographis peritioribus editi manuſcriptis non multo ſunt inferiores. Inſcriptionum larga copia, quam luci expoſuerunt GRUTERUS, REINESIUS, SPONIUS, NORISIUS, VRSATUS, FABRETTUS, MURATORIUS, FLEEDWOD, GORIUS. adde ANTON. VON DALE diſſert. de antiquitat. et marmorib. cum Romanis tum potiſſimum Graecis illuſtrandis. I. C. ALBHARD. quaeſt. maiorne ſit inſcriptionum uſus, an numorum in re litteraria? Vit. 1696. WUNDERLICH. de uſu inſcriptionum Roman. ueter. maxime ſepulchralium in iure. Scriptores de gemmis biblicis prodit FABRICIUS c. l. cap. 11 §. 9. IO. KLEIN. diſſ. de gemmis. EBERMEYERI gemmarum theſaurum recenſuit BEYER. et REUSCH. Haud ita pridem *traité des pierres gravées par* P. I. MARIETTE, II Vol. in fol. ad noſtras oras peruenit, quo gemmarum theſaurus Regis Galliae illuſtratur; Parti I inſeritur bibliotheca dactyliographica.

§. CXXXVIIII.

Emolumenta largiora ab antiquitatibus Romanis et Germanicis exſpectanda ſunt.

Soli-

Solidioris doctrinae auidi ipſos fontes adeunt, auctores ſcil. latinos, de quibus accurate commentatur FABRICIUS in bibl. latina. In bibliographia antiquaria c. 3 et c. 6 ſigillatim de iis, qui deſcriptionem ueteris urbis Romae ediderunt, recenſet. Nonnulli ueterum data opera antiquitates annotarunt e. c. A. GELLIUS, DIONYS. HALICARNASS. DIO CASS. At recentiores in antiquitatibus hisce illuſtrandis elaborarunt diligentiſſime, ita ut GRAEVIUS theſaurum rerum Romanar. XII Vol. explentem reddere, illique SALENGRIUS et POLENUS Vol. noua addere potuerit. Accedunt BERNHARD DE MONTFAUCON antiquité expliquée et repreſentée Tom. XV. MURATORII antiquitates Italicae medii aeui Tom. VI. Sed ne quis immenſo labore deterreatur, initio ad compendia et Lexica confugiendum. Laudatur SAM. PITISCI Lexicon antiqu. Romanar. SCHÖTTGENS *curioſes Antiquitäten Lexicon.* PETR. DANET Dictionarium antiquitat. Roman. et Graecar. ROSINI ſyſtema antiquitat. Roman. cum paralipom. Demſteri. Noti ſunt libelli HOEPFNERI, NIEUPOORT. LAMB. BOS, CANTELII, CELLARII, SCHAZII, JUNCKER. antiquitates Roman. in tabula exhibet in lin. prim. P. II p. 238 ſq. STRUVII ſyntagm. antiquit. P. prima tantum exſtat, cuius in praefat. de ſcriptor. antiquit. Roman. differit. Vſibus autem iuris cultoris cum primis inſeruiunt BRISSON. antiquit' ſelectae, eiusque formulae. EVERH. OTTONIS theſaur. iur. et, quod primo loco nominandum erat, HEINECCII antiquit. Romanar. iurisprudentiam illuſtrantium ſyntagma, GRUTERI lampas ſ. fax artium liberalium tom. V.

et GAUDENTII ROBERTI Miſcellanea Italica erudita tom. IV, ſcripta antiquaria et critica continent. HOHEISEL in progr. de methodo docendi antiquitates iur. Romani exponit. conf. STRUVII bibl. iur. c. X §. 3 et 4. Pro arcto iſto, quo Romana et Graeca inter ſe iunguntur nexu, non plane negligendae ſunt antiquitates Graecae, quarum theſaurum GRONOVIUS in XII Volumin. collegit; Scriptores recenſet FABRICIUS in bibliographia antiquar, cap. 2. Euoluantur etiam MONTFAUCON Palaeographia graeca. IO. PHIL. PFEIFFERI antiquitates graecae. Tironibus uſui eſſe poſſunt compendia HOEPFNERI, BRUNING, LAMB. BOS.

§. CXXXX.

Germanis ſaepius iam exprobratum fuit, quod peregrinis antiquitatibus intenti ſuas inueſtigent ſegnius.

Viri quidam cordati dudum conſilium theſauri antiquitatum Germanicarum colligendi agitarunt, ſed abnuit fortuna. Indicabimus libellos quosdam huc pertinentes; M. HERZII bibliotheca Germanica; I. H. STUSS de theſauro teutonico adornando; TREUERI delineatio theſauri antiquitatum germanicarum; I. I. HOMBERGK ſupplementa ad Treueri theſaurum antiquitat. germ. TH. FRITSCHII conſilium de theſauro antiquitatum German. edendo, R. A. NOLDEN. conſpectus theſauri antiquitat. German. In ill. SENCKENBERGII prodromo iur. feud. p. 88 STRUVII ſyntagmati iur. feud. adiecto itidem exhibetur delineatio theſauri antiquitat. Germanicarum. Ex STRUVII

quo-

quoque bibliotheca hiſtorica cap. 16 §. 7 ſq. intelligi poteſt, quam locuples huius theſauri materia iam exſtet. At ne Lexico quidem aut iuſto antiquitatum Germanicarum breuiario laetamur. Etenim KEYSLERI, CLEFFELII aliorumque ſcripta particulas tantum exponunt. SCHILTERI theſaurus antiquitat. German. opus inſigne, ſed titulus paulo ſuperbior. Plurimorum populorum intereſt, ut antiquitates Germanicae illuſtrentur.

§. CXXXXI.

Antiquitates hebraicas non temnent ii, qui literas hebraicas callent, legisque diuinae interpretationi genuinae ſtudent; aliarum gentium monimenta uetuſta indagabit, qui poterit.

Scriptores antiquitatum hebraicarum noſces ex FABRICII bibliographia antiquar. cap. I. IUL. BARTOLOCCII bibliotheca rabbinica magna, et IO. CHRISTOPH. WOLFII bibliotheca ebraea. P. II, L. V ſect. XIII. quos nunc in theſaurum coire iubet Italus quidam VGHOLINUS. Quos tanta uolumina peruolutare non iuuat; ii conſulant SELDENI, LIGHTFOOT, LUNDII, BASNAGII, RELANDI, IKENII libros, item PFEIFFERI criticam ſacram, IO. CUNR. DIETERICI et IO. ANDR. QUENSTEDII antiquitates biblicas, BERNH. LAMY apparatum biblicum. De republica hebraeorum commentati ſunt SIGONIUS, MENOCHIUS, CONRING, BERTRAM, CUNAEUS, LEYDECKER. Nonnullae gentes uel fabuloſas, uel plane nullas habent antiquitates; aliae easdem cum hiſtoria miſcent.

§. CXXXXII.

Vt religionis caerimoniae et inſtituta ſunt antiquiſſima et multiplicia: ita longam operam requirunt, quae non ſemper utilitate compenſatur; antiquitates Chriſtianas nobis maxime commendatas habeamus.

FABRICIUS c. l. cap. 8 nominat ſcriptores de diis, idololatria, geniis ſanctis, apotheoſi, canoniſatione; cap. 9 de templis, altaribus, locis ſacris, aſylis; cap. 11. de ſacrificiis, precibus, caerimoniis. Conf. VOSS. de idololatria. PLUCHE *hiſtoire du Ciel.* ANT. VAN DALE diſſertationes de origine et progreſſu idololatriae et ſuperſtitionum; item de oraculis ueterum ethnicorum. HENR. SCHAEVIUS de mythologia deorum. HEDERICHS *mythologiſches Lexicon.* Antiquitates Chriſtianas perueſtigarunt BINGHAM, BEBEL. SCHMID. CASALI, CAVE, BASNAGE, MOSHEIM, BAUMGARTEN. aliique rerum eccleſiaſticarum ſcriptores. Ad ueterum Germanorum religionem pertinet SCHEDIUS de diis Germanorum; ARNKIELS *Cymbriſches Heydenthum.* SCHUZII ſcripta; FRICKII collectio commentationum de druidis. Conf. FABRICIUS c. l. cap. 8. REIMMANNI hiſtoria literar. lib. 2 ſect. 1.

CAPUT XX.

DE NUMISMATICA.

§. CXXXXIII.

Nullae antiquitatis reliquiae plures ſibi cultores conciliarunt, quam numi; inde

de artis forma ac uariarum obſeruationum copia.

Archaeologiam numariam conſcripſit WACHTERUS. HERM. VLRIC. a LINGEN de origine et inuentoribus pecuniae non nihil memoriae prodidit. Bibliothecam numariam debemus LABBEO, ANSHELMO BANDURIO, STRUVIO, Auctori *des geöffneten Ritter-Platzes*, BRUCKMANNO. Deſcriptiones etiam Numophylaciorum prodeſſe poſſunt.

§. CXXXXIIII.

Si quis in hac arte quicquam proficere cupiat, nec ſumptibus nec tempori parcat, circumſpiciatque diligenter, ne fraudibus irretiatur, quibus nihil frequentius; cum itaque res numaria e re paucorum ſit, ex ea tamen non nihil utilitatis capere poterunt, quibus non numis, ſed libris numariis, uti licet.

HEINECC. de uſu et praeſtantia numiſmatum in iurisprudentia diſſeruit in praefat. ad GUNDLINGII exercitationes academ. tom. I. IO. G. RÖNING. in hiſtoria numiſmatum nouorum *des geöffneten Ritterplatzes* P. I Abth. II addita p. 160 ſq. utilitatem rei numariae in iurisprudentia latius explicat. FRID. GOTTL. STRUV. de cimeliarchiis numariis, eorumque iure, *vom Recht der Münz-Cabinete*. RINK de ueteris numiſmatis potentia et qualitate cum diſſertat. de numo unico. Inter principes huius artis auctores fulget EZECH. SPANHEMIUS. Ex compendiis ſe probauit eruditis IOBERT *ſcience de medailles*, CARL. PATIN introductio ad hiſtoriam et cognitionem rei numa-

I 5 riae.

riae. OLEARII *curioſe Münz - Wiſſenſchafft.* HOFFMANNS *alter und neuer Münz - Schlüſſel.* FROELICH utilitas rei numariae ueteris compendio propoſita. BYTEMEISTER. delineatio rei numiſmaticae antiquae et recentioris.

§. CXXXXV.

Non Roma tantum antiqua, ſed et Imperatorum Roman. hiſtoria egregie numis illuſtratur.

Opera eximia OCCONIS, CAR. PATIN, VAILLANT, TRISTAN, MEDIOBARBI BIRAGI. GOLZ. LUCK. ANTON. AUGUSTINI antiquitatum Romanarum Hiſpanarumque in numis ueterum dialogi X. LAUR. BEGERI theſauri. IO. IAC. GESNERI numiſmata. Tig. 1738. SCHLAEGER. meditatus eſt theſaurum numiſmaticum, quo ſcripta minora huius ſcientiae contineantur.

§. CXXXXVI.

Germani gentis quidem ſuae numariam antiquitatem perſcrutari inſtituerunt: ſed multo iſte prouentus eſt inferior theſauris Romanis.

Erudite argumento ſuo ſatis facit LE BLANC *dans le traité hiſtoriques de quelques monnoies de Charle Magne, de Louis le debonnaire, de Lothaire et de leurs ſucceſſeurs frappées dans Rome.* IO. DAN. MAIOR. disquiſit. de Roma in numis auguſtalibus germanizante. WEINREICH in diſſ. quadam ortum et progreſſum rei numariae in primis apud Germanos explicare conatus eſt. Ad numiſmaticam German. mediae aetatis pertinent bracteati. conf.

SPER-

SPERLING. de numorum bracteatorum et cauorum noſtra et ſuperioris aetatis origine et progreſſu. LUDEWIG *Einleitung zu den teutſchen Münz-Weſen mittler Zeiten*, cum annotat. Moſeri. FRIDER. HEUSINGERS *Verſuch einer Abhandlung von dem Nutzen der deutſchen Münzwiſſenſchafft mittler Zeiten, ſowohl in der Grammatic, den Geſchichten, der Erdbeſchreibung und der Wappenkunſt, als auch den deutſchen Lehn- Staats- und Kirchen-Recht.* Bracteatos in ſingulis Germaniae prouinciis, repertos dilucidarunt OLEARIUS, SCHMID, TENZEL, SCHLEGEL, ECCARD, LEUCKFELD, DOEDERLINUS, SEELAENDER. Vid. STRUVII bibliotheca hiſtorica c. XVI, §. 20.

§. CXXXXVII.

Regulas huius artis ex iis praecipue diſcamus, quibus numos quam plurimos eiusdem generis inter ſe conferre licuit.

At regulis hisce nimium non eſt credendum; multas enim euerſas nouimus, poſtquam monetae antea non uiſae in lucem prodierunt. Vt numos falſos a ueris dignoſcamus, modos etiam illegitimos fingendi numos ſcire iuuat, quos refert IOBERT c. I. cap. X. Quoniam numi pretium non ex materia, ſed ex forma, ſymbolis, inſcriptione definitur; uanae raritatis perſuaſioni termini ponantur. Ad inſcriptiones interpretandas et linguarum et hiſtoriarum haud uulgari notitia opus eſt. Numos antiquos noſſe iucundum, ſed longe utilius recentioris rei numariae cuiusque prouinciae conſtitutionem perſpectam habere. Quare operam non perdunt,

perdunt, qui e. c. imperiales ſiue Thaleros, Groſſos &c. colligunt, et eiusmodi collectiones (*Thaler-und Groſchen-Cabinette*) typis diuulgant. Celeberrimi KOELERI deliciae numismaticae multis aliis huius generis libris praeferendae ſunt; ex his enim de numorum authentia, raritate, fatis iudicandi facultatem acquirimus. Alii operam ſuam circumſcribunt uel certa temporis periodo, uel certa prouincia uel certis perſonis. Sic theſaurus numiſmatum modernorum Norimbergae ab Anno 1700 usque ad 1710 productus fuit. Numophylacium Gothanum praeſtantiſſimum, de quo uid. CHRIST. SIGISM. LIEBII Gotha numaria. Medailles du regne de Louis le grand.

§. CXXXXVIII.

Si rem numariam ad forum politicum referamus, copioſa diſquirendi materia ſuppeditatur.

1) De ueteris pecuniae pretio eiusque collatione cum hodierna GUIL. BUDAEUS de aſſe, IOH. FRID. GRONOV. de ſeſtertiis. An Romani numi capita Imperatorum referentes in commercio fuerint, diſceptarunt inter ſe ERIZZONIUS, AENEAS VICUS et SAVOT. IOH. MICH. HEUSINGER. diſſ. de ueteris pecuniae germanicae pretio. 2) De iure cudendi monetas, quod in legibus Imperii Romani Germanici definitur IO. GUIL. de GOEBEL Caroli V *Münzordnung* cum indice ſcriptorum rei monetariae. MARQU. FREHER. de re monetaria ueterum Romanorum et hodierna apud Germanos. GOLDASTI catholicon rei monetariae. IAC. BORNITIUS de numis in Republica percutiendis

et

et conſeruandis. OELHAFEN de rei monetariae hodierno in Imp. R. G. ſtatu corruptiſſimo. 1665. Illuſtr. BÜNAU de iure circa rem monetariam in Germania. BEUST ſciagraphia iuris monetandi. CARRACH. de regali cudendi monetam ex ſuperioritate territoriali, non ex priuilegio Imperatoris competenti. 3) De materia, forma, mutatione monetae inſpiciendae ſunt potiſſimum conſtitutiones Imperii monetales. ABRAH. KAESTNER de ſolidorum ualore. IO. GEORG. ESTOR *Anmerckungen wie die ehemaligen teutſchen Solidi nach dem gegenwärtigen Münz-Fuſs zu bezahlen?* extat in EIUSD. *auserleſenen teutſchen Schrifften* P. II p. 756. FRID. PHILIPPI programma de uera florenorum aeſtimatione iuridica. Lipſ. 1714. SAM. REYHERI diſſert. de numis ex chymico metallo factis. 4) De conuentibus monetalibus IOH. SCHEIDLINI diſſertatio de conuentibus monetalibus trium ſuperiorum correſpondentium circulorum Franconiae, Bauariae et Sueuiae. 5) De delictis monetariis uid. LIPENII bibliotheca iuridica uoce moneta et nummi.

CAPUT XXI.

DE HISTORIA ROMANA ET ITALICA.

§. CXXXXVIIII.

Praemiſſis hiſtoriae principiis, fontibus ac ſubſidiis, ad ſingularia illius capita progrediamur. Antiquae hiſtoriae ſtudium, quantumuis com-

commendabile, ita tractabitur, ut ſua quemque uoluptas ac utilitatis ſpes trahet.

Qui uentri referciendo ſtudent, parum curant HERODOTUM, DIODORUM SICULUM, POLYBIUM &c. His tamen obſcuri non eſſe debent libri compendiarii, u. c. CASP. ABEL hiſtoria Monarchiarum orbis antiqui, quae Sabiis, Aegyptiis et Aethiopibus, Iſraelitis, Syris, Chaldaeis, Medis, Lydis aliisque uindicanda Aſſyriacae ſub nomine uulgo comprehendi ſolet, &c. Item ſciagraphia priſcae hiſtoriae Graecae. NICOL. GURTLERI origines mundi, IOH. MARSHAM canon chronicus Aegyptiacus, Hebraicus, Graecus. CUMBERLAND origines gentium antiquiſſimae. IAC. PERIZONII origines Babylonicae et Aegyptiacae. TEMPLE STANYAN hiſtoire du Grece. IOH. MEURSIUS de rebus Graeciae plura ſcripta compoſuit. VBBONIS EMMII uetus Graecia inter respublicas Elzeuir. CAROLUS SIGONIUS de republica Athenienſium. Omnium uero curas in ueteris aeui rebus geſtis explanandis ſuperat ſtudium auctorum *der allgemeinen Welt-Hiſtorie.* Conferatur etiam STRUVII biblioth. hiſtorica cap. II, §. 111.

§. CL.

At hiſtoria Romana carere nequeunt, qui iuris noſtri auxiliaris poſitiones recte intelligere ac interpretari cupiunt. Variae autem huius hiſtoriae periodi ſunt notandae.

A pueris quidem hiſtoricos Romanos legimus; ſed phraſibus latinis non rebus inhaeremus. Pleniorem Romanorum ſcriptorum notitiam exhibet

bet VOSSIUS de hiſtor. latinis. HANCK de rer. Rom. ſcript. FABRIC. bibl. lat. HEDERICH. not. auctor. Inter alios auctores nobis curae ſint in primis LIVIUS, DIONYS. HALICARNASS. SALLUSTIUS, CAESAR, SUETONIUS, TACITUS, DIO CASSIUS, HERODIANUS, SCRIPTORES HISTORIAE AUGUSTAE, EUTROPIUS, quorum narrationes uno orationis filo reddiderunt iunioris aeui ſcriptores. NIEUPOORT, CATROU, ROVILLE, ROLLIN, CREVIER in hiſtoria Romana. LAURENT. ECHARD in hiſtoria Romana anglice et gallice edita; add. VERTOT *l' hiſtoire des revolutions de la republique Romaine. Conſiderations ſur les cauſes de la grandeur des Romains et de leur decadence* (*par* MONTESQUIEU.) TILLEMONT *Empereurs depuis Auguſte jusqu' a l'Empereur Honorius. Einleitung zu der Römiſchen und Teutſchen Hiſtorie, auctore* GOTHOFREDO OLEARIO. STRUV. c. I. cap. 4 et 6.

§. CLI.

Si reipublicae Romanae faciem quouis temporis ſpatio exploratam habemus: rationes quoque legum facilius rimabimur. Alia ſtatus ratio erat regibus, alia reipublicae liberae, alia Imperatoribus. Imperatorum conſtitutionum diuerſa indoles. Neque enim Caeſarum tantum priorum res geſtas noſſe ſufficiat; uerum etiam Imperii diuiſi fata ſcrutanda, quia non tam Romanas, quam Iuſtiniano Imp. auctore, collectas leges et per uaria uolumina diſperſas in ſubſidium uocamus.

Sic nec iſtam, quam Byzantinam appellant, hiſtoriam ignorare poſſumus. Huius hiſtoriae ſcripto-

ſcriptorum ampliſſima exſtat collectio, quam recenſuit HANCKIUS et STRUV. c. l. c. 6. Catalogus BIBL. RINK. p. 292. DU FRESNE concinnauit hiſtoriam Byzantinam. De rebus Iuſtiniani Libr. VIII reliquit PROCOPIUS, quibus poſtea addidit anecdota. conf. LUDEWIG. de uita Iuſtiniani M. Poſt Iuſtinianum plures Imperatores iurisprudentiae curam habebant, de quibus in hiſtoria iuris ciuilis.

§. CLII.

Gothorum ac Langobardorum, quasdam Italiae prouincias occupantium, hiſtoriam negligere non poſſumus, cum praeſertim horum populorum leges ſuperſint.

Huc pertinet IORNANDES, ISIDORUS, ZOSIMUS, PAULL. DIACONUS, PROCOPIUS; item MURATOR. ſcriptor. rer. Italic. LINDENBROG. codex LL. antiquar. STRUV. c. l. c. 8.

§. CLIII.

Imperium Romanum et regnum Italiae perpetuo nexu cum regno Germanico coniuncta ſunt; quare Imperatores ſibi inſignia iura cum in urbem Romae ac Pontificem, tum in Italiam uindicabant, quae, remotis rerum geſtarum commentariis, firmari non poſſunt.

Scriptores hiſtoricos Italiae indicat FABRICIUS in conſpectu theſauri literarii Italiae. Collegit eosdem SCHOTTUS, MURATORIUS, GRAEVIUS et BURMANNUS. MURATORIUS etiam conſcripſit hiſtoriam Italiae iam germanice uerſam; antiquitatum Italicarum

licarum medii aeui uolumina VI cap. 19 laudauimus. Nec praeterire poſſumus UGHELLI Italiam ſacram et ſingularium prouinciarum auctores hiſtoricos cum ſcriptis eriſticis ad ius publicum Imperii Rom. regnique Italiae pertinentibus. Quo grauiora pontifices Romani in Germaniam ſemper machinati ſunt, eo diligentius nonnullas hiſtoriae pontificum periodos excutere debemus. Reliqua referuentur hiſtoriae eccleſiaſticae. Interim uideatur *Hiſtoire des Papes* tom. V. BOWERS *Hiſt. der Päbſte und Röm. Biſchöffe*, 1751. STRUV. c. l. c. 27.

CAPUT XXII.

DE HISTORIA GERMANICA.

§. CLIIII.

Si rem altius repetere uelimus, res Scytharum, Celtarum, Cimbrorum aliorumque populorum Teutonicae cognationis ſcire expedit.

Vt aliarum gentium: ita et Germanorum origines incertae ac fabuloſae. MICH. PICCART de ortu primo et migratione ueterum Germanor. KRIEGSMANN. coniectanea de Germanicae gentis origine. AYRMANN. de originibus Germanicis. DITMAR. de Germanorum et Gallorum origine Scythica. ID. de ueterum ſcriptorum Germanicorum defectu. ECCARD. in libello nuper edito de orig. German. LEIBNIT. t. I miſcell. Berolin.

ANDR. IUI. DORNMEYER de prima Germanor. notitia. Hiſtoire des Celtes et particulierement des Gaulois et des Germains, depuis les tems fabuleux jusqu' à la priſe de Rome par les Gaulois, par Mr. SIMON PELLOUTIER, tom. II.

§. CLV.

Antiquiorem Germaniae hiſtoriam unico fere C.C. TACITO debemus, cuius commentarii oſtendunt, gentem noſtram ſui adhuc ualde ſimilem eſſe.

TACITUS iam multis illuſtratus fuit annotationibus, quas inter iuris ſtudioſo maxime commendantur DITMARIANAE. Adiungi poteſt CLUVERII Germania antiqua. HERTII notitia ueteris Germaniae populorum. Nunc MASCOVII hiſtoria ueterum Germanorum primum locum occupat. HACHENBERGII Germania media.

§. CLVI.

Germaniae magnae incolae uarii; Germani omnes, ſed nominibus ac legibus ſingularibus diſtincti.

Iam TACITUS diuerſos Germanorum populos appellauit; poſtea fama celebrabantur potiſſimum Franci, Alemanni, Saxones, Boioarii, Friſii &c. quorum leges hodie aſſeruantur in notis LINDENBROGII, BALUZII, GEORGISCH. operibus. Scriptores peculiares enarrat STRUV. c. l. c. XVI, §. 22 ſq.

§. CLVII.

Hiſtoria Germaniae inde a Carolidarum ac praeſertim Ludouici Germanici temporibus penitus cognoſcenda eſt.

Regnum Germaniae, Ludouico Germanico regnante, ſeparatas rationes ſuas habere coepiſſe conſtat. Scriptores rerum a ſingulis imperatoribus ac regibus geſtarum refert STRUV. c. l. cap. XVI §. 62. In collectiones illos coegere uiri ſolertiſſimi, SCHARDIUS, PISTORIUS, REUBERUS, URSTISIUS, FREHERUS, GOLDASTUS, LINDENBROG. MEIBOMIUS, LEIBNITIUS, LUDEWIGIUS, MENKENIUS &c. quos omnes accuratius recenſet STRUV. c. l. §. 30 ſqq. et BUDER. in bibl. ſcriptor. rer. german. STRUVII corpori hiſtoriae german. praemiſſa. FREHERI directorium auctum a celeb. KOELERO. Ex hac immenſa librorum copia multa nata ſunt ſyſtemata, quorum nonnulla iurisconſulto plurimum prodeſſe poſſunt, quatenus πραγματικως elaborata fuerint. In hunc cenſum ueniunt illuſtriſſ. Comes de BÜNAU, qui iam antea ſpecimen hiſtoriae genuinae dederat in uita Friderici I, HAHN. KOELER. LUDEWIG. MASCOVIUS, LANG. STRUVIUS, SPENERUS, SCHMAUSIUS cum Buderi continuatione, GLAFEY, IOACHIM. REINHARD. Ex Gallis notetur HEISS et BARRE. Conf. STRUV. c. l. §. 93 ſq. Semper in hoc ſtudio ita uerſari debemus, ut fructus ad aliquam iuris formam referatur. Quomodo hoc utiliter obtineri queat, oſtendit LANG. in hiſtoria imperii Romano-german. et multo plenius HAHNIUS. Multi libris ſuis inſcriptionem anguſtiorem prae-

fixerunt ; ſed re ipſa in omnem hiſtoriam Germaniae excurrunt, ueluti LEHMANN. in chron. Spirenſ. AVENTIN. in annalibus Boicis. BROWER. in annal. Treuirenſ. CRUS. in annal. Sueu.

§. CLVIII.

Recentior hiſtoria nouam quaſi rei Germanicae faciem affert, actisque publicis inſigniter ſuſtentatur.

Initia iunioris aeui repetuntur a Maximiliano I Imperat. Statim ab inuenta typographia leges imperii et acta publica luce donabantur, ac in uaria corpora redigebantur, de quibus hiſtoriae et bibliothecae iuris publici latius. Non negligenda ſunt ſcripta HORTLEDERI, SLEIDANI, item ea, quae titulum ferunt *memoires, negotiations &c.* Quanto ſtudio illuſtr. de MEYERN Acta pacis Weſtphalicae, legis imperii primariae, conquiſiuerit, loquuntur tot Volumina. Tanto autem adparatu opus eſt, ſi legem rite interpretari uelis. Hiſtoricorum libellorum multitudine hodie obruimur; uerum tamen huius ſaeculi hiſtoria nondum ſatis tuta, nec perpolita uidetur.

§. CLVIIII.

Quemadmodum Germania plures continet ſtatus ſiue ordines, qui peculiari utuntur iure publico : ita optimatum quoque imperii noſtri Romano - Germanici hiſtoriam perdiſcere conuenit.

1. Proceres Imperii tribus collegiis deſcripti ſunt, at ſingulorum annales iuſta fide conſcriptos adhuc deſideramus; deſideramus etiam Germaniam

ſacram

ſacram, eccleſiarum Germaniae fata exponentem. IMHOFII notitia ſacri Romani Imperii procerum et LUDEWIGII Germania princeps lineas quasdam ingentis huius operis ducunt. De rebus Moguntinis commentarios concinnauit IOANNIS. De Treuerenſibus BROWERUS, MARTENE et DURAND, KYRIANDER, et nuper IO. NIC. ab HONTHEIM. De Colonienſibus GELENIUS in Metropoli Colonienſi, nondum edita. De metropol. Salisburg. HUND. MEZGER. Hiſtoricos Bamberg. itemque Herbipolitanos collegit LUDEWIG. Ad epiſcopatum Würzburgenſem pertinent quoque commentarii ECCARDI de Francia orientali. Epiſcopatus Eichſtadienſis res geſtas explanauit FALCKENSTEIN; Wormatienſis SCHANNAT; Argentoratenſis GUILLIMANN; Hildeſienſis LAVENSTEIN; Friſingenſis MEICHELBECK; Leodienſis CHAPEAUVILLE, FISENIUS et FOULLON; Paderbornenſis SCHATENIUS. Conf. STRUV. biblioth. hiſt. cap. 17 §. 1-21.

2. In monaſteriorum et abbatum hiſtoria eruenda uerſatur BRUSCH. SCHANNAT dedit hiſtoriam Fuldenſem, OTTO et SCHAMELIUS Thuringiam ſacram, KETTNER antiquitates Quedlinburgenſes, HARENBERG hiſtoriam eccleſiae Gandersheimenſis, LEUCKFELD antiquitates uariorum coenobiorum. STRUV. c. l. §. 22 ſq.

3. Auſtriacarum rerum primordia detegit P. SIGISM. CALLES in annalibus Auſtriae, ab ultimae aetatis memoria ad Habspurgicae gentis principes deductis, et HERRGOTT in opere inſigni genealogico-diplomatico-Habspurgenſi. Huic addantur GERHARD de ROO annales Auſtriaci. FUG-

GERS *Ehren-Spiegel*, PEZII ſcriptores rerum Auſtriacarum. De praerogatiuis Auguſtae Domus Auſtriacae ſcripſerunt KIEFER, RICHTER, SCHWEDER, FRANCKENSTEIN; P. W. V. H. *Oeſterreich über alles, wann es nur will*. De Carinthia et Carniola VALVASOR, SCHÖNLEBEN; de comitatu Tirolenſi BRANDISIUS. STRUV. c. l. cap. 18.

4. Regni Bohemiae uiciſſitudines tradunt GOLDAST, FREHER, BOHUSLAUS BALBINUS, GLAFEY. SOMMERUS edidit ſcriptores rerum Sileſiacarum. STRUV. c. l. cap. 19.

5. Bauarica et Palatina tractata fuerunt ab AVENTINO, BRUNNERO, WELSERO, ADELZREITERO, HUNDIO, PARAEO, FREHERO, TOLNERO, REINHART. STRUV. cap. 20.

6. Hiſtoriae Saxonicae ſcriptorum tam larga ſeges, ut bibliothecas hiſtoriae Saxonicae colligere potuerint KREYSIG et STRUV. Memorabimus MENCKENII ſcriptores rerum Germanicarum praecipue Saxonicarum. HOFFMANNI ſcriptores rerum Luſaticarum, RUDOLPHI et GLEICHMANNI Gotham diplomaticam, HORNII et SCHOETTGEN. acceſſiones. STRUV. cap. 21.

7. Rerum Brandenburgicarum ſcriptores conquirere inſtituerunt KRAUS et KÜSTER. OELRICH. hiſtoriographos Brandenburgic. recenſet. Nuper BECKMANNS *hiſtor. Beſchreibung der Chur- und Marck-Brandenburg* lucem adſpexit; it. ſcriptor. rer. Brandenburg. tom. I. 1751. De rebus geſtis Friderici Wilhelmi M. exſtant egregii commentarii PUFFENDORFF.. De Pomerania ſoliciti fuerunt HARTKNOCH, SCHÖTTGEN, RANGO. Hiſtoriam Magdeburgenſem debemus DREYHAUPT. STRUV. cap. 23.

8. No-

8. Notitiam ſcriptorum rerum Brunſuicenſium ſuppeditat BARING. LEIBNIZIUS ſcriptores rerum Brunſuicenſium, quibus nunc accedunt celeber. SCHEIDII opera. Nec tacendi ſunt REHTMEYER. et PFEFFINGER.

9. Res Megapolitanas dilucidant WESTPHALII monimenta rerum Germanicarum. MATTH. IOHANN BEEHR res Mecklenburgicae opera cel. KAPPII editae, qui diſſertationem praemiſit de ratione, qua Germani merita ſua in ſtudium hiſtoricum in poſterum amplificare poſſunt. Würtenbergicos hiſtoricos enumerat MOSER in miſcell. Part. I pag. 19 ſqq. et in CRUSII annalium Sueuiae edit. noua germ. Hiſtoriae Haſſiacae interpretes nouimus ex illuſtr. SENCKENBERGII tom. V ſelect. item ex AYRMANNI *Einleitung in die Heſſiſche Hiſtorie.* KUCHENBECKER. edidit analecta Haſſiaca, ESTOR origines iuris publici Haſſiaci. SCHMINCK. monimenta Haſſiaca. BERNHARD antiquitates Wetterauicas. Rebus Holſaticis intelligendis inſeruit MOLLERI Iſagoge ad hiſtoriam Cherſoneſi Cimbricae. LACKMANNS *Einleitung zur Sleſwig-Hollſteiniſchen Hiſtorie* STRUV. cap. 24 §. 5 ſqq.

10. BECKMANNI hiſtoria Anhaltina inſigni laude digna. VBBO EMMIUS et BRENNEISEN in hiſtoria Friſiae orientalis elaborarunt. Aliorum principum et comitum annalium auctores indicat STRUV. cap. 24 et 25. De comitibus Wolffſteinenſibus erudite commentatur KOELER; de Papenheimenſibus DÖDERLINUS; de Kirchbergenſ. AVEMANN; de Erbacenſibus SCHNEIDER; de Oldenburgicis HAMMELMANN; de illuſtri ſtemmate Ruthenico PET. BECKLER.

11. Ciuitatibus operam ſuam dicauit KNIPSCHILD. Ad hiſtoriam Norimbergenſem pertinet WAGENSEILII libellus ſingularis. Codex diplomaticus hiſtoriae Norimbergenſis et ſingularia Norimbergenſia, IOH. ab INDAGINE *Beſchreibung der Stadt Nürnberg*. Res Auguſtanas explicat PAULUS a STETTEN. Aquisgranenſes BECK et NOPP. Antiquitates Goslarienſes HEINECCIUS. Lindauia lite ſua diuturna ſatis nota. Non Spirenſem tantum, ſed et imperii hiſtoriam enarrat LEHMANNUS in Chronico notiſſimo. Francofurtenſem declarant priuilegia typis exſcripta. STRUV. cap. 25 §. 9 ſqq.

12. Ad Nobilium praeſertim immediatorum res geſtas pertinet LUCAE *Graſſen - und Ritter - Saal*. BURGERMEISTERI ſcripta uaria. BIDERMANNI aliorumque libelli genealogici.

§. CLX.

Cum regno Germanico coniunctum fuit regnum Lotharingicum et Burgundicum ſiue Arelatenſe, cuius quidem hodie reliquiae tenues, hiſtoria tamen huius regni ignorari nequit.

HAHNII diſſ. de iuſtis Burgundici noui uel Arelatenſis regni limitibus. SCHOEPFLINI diſſ. de Burgundia cis et trans Iurana. DEI BENE de regno Burgundiae trans-Iurano et Arelatis. MASCOVII de nexu regni Lotharingiae ac Burgundici cum imperio Romano - Germanico diſſertationes II, et in principiis iuris publ. lib. II cap. 3 et 4. IAC. BOVIS la royale couronne des roys d'Arles. SCHURZFLEISCH. diſſ. quod Carolus IV Aug. non diſſipa-

diſſipauerit imperii patrimonium quoad regnum Arelatenſe. Hiſtoire de Dauphiné. LUDEWIG. Arauſio. CALMET hiſtoire de Lorraine. L'AGUILLE hiſtoire d'Alſace, item SCHOEPFLIN. Alſatia illuſtrata. Scriptores Belgici.

CAPUT XXIII.

DE HISTORIA ALIARUM GENTIUM, PRAESERTIM EUROPAE.

§. CLXI.

Nonnullae gentes literarum monimentis deſtitutae de rebus maiorum ſuorum nihil certi tradunt, aliae ab orbe quaſi diuiſae cum politioribus populis nihil habent commercii; horum itaque res geſtas indagent, qui otio abundant.

Africa et America uarios ſiſtit populos, quorum hiſtoriam fruſtra deſideramus. Notitia omnis fere ex itinerariis haurienda, hiſtoriae tantum naturali et rei mercatorum prodeſt. Vid. DAPPERI *Beſchreibung von Africa.* BOSMANN, et de MARCHAIS voyage en Guinée. LUDOLPH. hiſtor. Aethiopica. GROT. et HORN. de orig. American. BARTOLOM. de las CASAS hiſtoria deſtructionis Indiae occident. Voyages du Pere LABAT aux Isles de l'Amerique. Tom. VI. IO. PETR. MAFFEI hiſtor. Indic. Vid. ſup. §. CXXI. STRUV. c. I. c. XI.

§. CLXII.

Nobis potiſſimum commendatum habeamus hiſtoriam regnorum ac prouinciarum Imperio R. G. finitimarum aut certo foedere iunctarum; praecipuum eſt regnum Galliae, quod in res Germanorum dudum ſe ipſum ſueuit intrudere.

Infinitam ſcriptorum Gallicorum copiam oſtentat IACQUES LE LONG bibliotheque hiſtorique de la France. Conf. etiam FABRICII Iſagoge in hiſtoriam ſcriptorum hiſtor. Gall. STRUV. c. l. c. 13. Gallorum ueterum origines et mores expoſuit SCHRIECK, BOXHORN. PEZRON. Francorum origines inueſtigauit LEIBNIT. VIGUIER, PONTANUS. Ad res eorum pertinent collectiones PITHOEI, DU CHESNE, BOUQUET. Inter ſyſtemata hiſtoriae Gallicae eminet P. DANIEL hiſtoire de France. Add. CORDEMOI, MEZERAY, LE GENDRE, DU PLEIX. IAC. AUG. THUANI hiſtoria ſui temporis. LIMNAEI notitia regni Franciae. IOACHIMS *Einleitung zu den Geſchichten der heutigen Reiche und Staaten von Europa.* Hiſtoria regum propaginis Borbonicae in primis addiſcenda, quam illuſtrant HARDOUIN de PEREFIXE dans Hiſtoire du Roy Henry IV. it. GRAMMOND, le VASSOR; Hiſtoriam Ludou. XIIII tradunt RABUTIN, Comte de BUSSY, ISAAC de LARREY, de la FARE; ROUSSEAU l'hiſtoire du Roi Louis XV.

§. CLXIII.

Belgium foederatum, ratione ſtatus poſtulante, ut ab Imperio Germanico res ſeparatas habere

habere nequit: ita illius hiſtoriam noſſe noſtra quoque intereſt; nec Heluetica hiſtoria a Germanorum rebus diuelli poteſt.

1. Origines et antiquitates Belgarum explicat DIVAEUS et SCHRIECK. Scriptores hiſtoriae Belgicae in collectiones redegere PIRKHEIMER, FREYTAG, SWERTIUS, ANT. MATTHAEI, DUMBAR. MIRAEI opera diplomatica, IOH. de BEKA et WILH. HEDA de epiſc. Vltraiect. etiam diplomata proferunt. Serie iuſta res Belgicas enarrat GROT. in annal. cum BAILLET hiſtoire d'Hollande. De WICQUEFORT l'hiſtoire des provinces unies des pais-bas. BASNAGE annales. IOH. CLERICI hiſtoire des provinces unies de pais-bas. Etat preſent des provinces unies par FRANÇOIS MICHEL IANIÇON. II. Tom. 1741. *Der wahre Zuſtand und Staats-Verfaſſung der vereinigten Niederlande.* Part. VII. 8. Lipſ 1751. STRUV. c. l. c. 14.

2. Scriptores hiſtoriae Heluetiorum complectitur theſaurus hiſtoriae Heluet. Tigur. 1735. f. auctore IO. CONR. FUESLINO in lucem editos. Hiſtoricas acceſſiones exponit etiam *die Helvetiſche Bibliotheck.* Nota ſunt chronica Heluetica STUMPFII, STETLERI, TSCHUDII, IOSIAE SIMLERI de Heluetior. republica Libr. II pro compendio uti poſſumus. STRUV. p. 1303.

§. CLXIIII.

Anglorum hiſtoria rebus Germanorum ualde permixta, hodieque nobis ſcitu eo magis neceſſaria eſt, quod Imperii R. G. et regni Angliae amica foedera terrarum orbis quietem firmant.

WILLIAM

WILLIAM NICHOLSON dedit bibliothecam hiſtoricam. Collectiones hiſtoricas COMMELINUS, SAVILE, CAMDENUS, TWYSDEN et SELDENUS, FELL, GALE, RYMER. Syſtemata hiſtorica LAURENCE ECHARD, LARREY, RAPIN THOYRAS. BURNET hiſtoire des dernieres revolutions d'Angleterre, t. II. Res Scoticas deſcripſit GE. BUCHANAN. Hibernicas CAMDEN. WARAEUS, COX.

§. CLXV.

Si Imperii Romani antiqui amplitudinem conſideremus, multae nationes iſtud reuereri neceſſe habebant; multae aſſurgebant imperio ad Germanos translato. Nunc inter gentes Europaeas ius gentium quoddam colitur, uel pactis uel moribus introductum, quod ſine nationum hiſtoria, praeſertim nouiſſima, intelligi nequit. Quum uero gentium Europaearum poteſtas etiam extra Europam per uarias oras diffundatur, reliquarum telluris partium hiſtoriam, quoad fieri poteſt, negligere nefas. Vt taceam, haud paucos populos ſibi gloriae ducere, ſi ex Germanis principibus reges legere ſibi contingat.

1. Quibus non ſemper placet, de ſtillicidio ius reſpondere: ii res publice geſtas animi ſaltim cauſſa ſcire ſtudebunt, licet ſe regum adminiſtris non adiungi ſatis cognoſcant. Quamobrem neminem primaria capita hiſtoriae Luſitanicae, Hiſpanicae, Danicae, Suecicae, Pruſſicae, Polonicae, Hungaricae, Ruſſicae, Turcicae, Aſiaticae

cae didiciſſe poeniteat. Adiumenta deprehendes in STRUV. c. l.

2. Hiſtoria Luſitanica nunc a ſocietate quadam, Regis Portugall. auctoritate conflata colitur, quae iam aliquot collectorum documentorum uolumina edidit. Ex purioribus fontibus hauſerunt BERNHARDUS de BRITO, ANTONIUS et FRANCISCUS BRANDAON in Monarquia Luſitana. Antiquitates Luſitan. inueſtigauit ANDR. RESEND. Compendia iſtius hiſtoriae exhibuerunt LE QUIEN DE NEUFVILLE *dans l'hiſtoire general du Portugal.* VERTOT *dans l' hiſtoire des revolutions de Portugal.* SCHMAUSS. *im neuſten Staat des Königreichs Portugall.* Hiſpanicae hiſtoricae ſcriptores produnt bibliothecae hiſpanicae a NICOL. ANTON, VALER. ANDR. SCHOTTO, et GER. ERN. de FRANCKENAU conquiſitae. Scriptores ipſos in uolumina plura congeſſerunt ROBERT. BEL, ANDR. SCHOTT. et PRUDENT. DE SANDOVAL. Princeps eorum eſt IO. MARIANA, qui de rebus Hiſpan. L. XXX compoſuit. A. 1704 Bruxell. prodiit *hiſtoire d'Eſpagne depuis le commencement de la monarchie jusqu' à Philippe V.* Initio huius ſaeculi de iure ſuccedendi in regno Hiſpan. multum diſceptabatur. uid. Ius Auſtriacum in monarchiam hiſpanicam aſſertum. 1707. Alios libellos aſſeruant THUCELII act. publ. t. I, II, III. Hiſtoire des revolutions d'Eſpagne par l' Abbé de Vertot. V Tom. 12. Hiſtoire des revolutions d'Eſpagne par le P. IOSEPH D' ORLEANS revue et publiée par les P. ROUILLE et BRUMOY III tom. 4. BUDDEUS de teſtamentis ſummorum imperantium, ſpeciatim Caroli II, Hiſpaniae regis. STRUV. p. 233 ſq.

3. Ad

3. Ad hiſtoriam Danicam pertinet NIC. PETR. SIBBERN bibliotheca Dano-Noruegica; item bibliotheca ſeptentrionis eruditi. Praeſtantioribus ſcriptoribus annumerantur SAXO GRAMMAT. IO. MEURS. IO. ISAAC. PONTAN. ex recentioribus ERIC. PANTOPPIDANUS, LUDOV. HOLBERG. Antiquitates Dan. eruerunt OL. WORM. et THOM. BARTHOLINUS. THORMOD. TORFAEUS rer. Norwegicar. tom. IIII conſcripſit. STRUV. p. 1556 ſq. Veteres rerum Gothicarum ſcriptores collegit BONAVENT. VULCANIUS. Antiquitates illuſtrarunt OL. RUDBECK. in Atlantica; IO. LOCCEN. in antiq. Sueo-Goth. et IO. PERNIGCKIÖLD in monimentis Sueo-Gothicis, qui etiam IO. MESSENII Scandiam illuſtratam in lucem emiſit. CHRIST. NETTELBLADT in bibliotheca Suecica uaria radit anecdota. ANDR. ANT. STIERNMANN in bibliotheca Sueo-Gothica ſcriptores ab a. 1600-1632 exhibet. SAM. PUFFENDORFFII commentarii de rebus Suecicis laude digniſſimi. Quibus nunc iungi poſſunt OLOF DALINS *Geſchichte des Reichs Schweden.* Hiſtoriam eccleſiaſticam Suec. inſigniter ornat ERIC. BENZELIUS. STRUV. p. 1596 ſq.

4. Praecipuos rerum Pruſſicarum ſcriptores commemorat MICH. LILIENTHAL. in ſelect. hiſtor. et literar. contin. n. II p. 85 et DAV. BRAUN in ſcriptor. Poloniae et Pruſſ. catalogo. Euoluatur HARTKNOCHS *alt und neues Preuſſen.* CASP. SCHÜZII *wahrhaffte und eigentliche Beſchreibung der Lande Preuſſen*; SCHÜZIUM continuauit GODOFRED. LENGNICH. *in den Geſchichten der Preuſſiſchen Lande Königlich-Polniſchen Antheils.* Summae utilitatis eſt MICH. LILIENTHAL *erleutertes Preuſſen.* Huc etiam referas

referas res geſtas magiſtrorum ordinis Teutonici. STRUV. p. 1536. De ſcriptoribus hiſtoriae Polonicae ſchediaſma dedit SAM. IOACH. HOPP. BRAUNIO, iam excitato addimus SIM. STAROVOLSCII centum illuſtrium ſcriptorum Polonic. elogia et uitas. Scriptores rerum Polonic. uoluminibus aliquot complecti conati ſunt IO. PISTORIUS, ALEX. GUAGNINUS, GODEFRID. LENGNICH. Hiſtoriam Polonicam enarrant IO. DLUGOSSUS, MART. CROMER. GODEFR. LENGNICH. BERNH. CONNOR. STRUV. p. 1502.

5. Bibliothecam ſcriptorum rer. Hungar. adiecit ſpecimini ſuo Hungariae literatae CZWITTINGER. Index bibliothecae rer. Hungar. et Tranſiluan. auct. MART. SCHMEIZEL. et MICH. GOTTL. AGNETHLER prodiit. Collectiones ſcriptorum debemus IAC. BONGARSIO, MATTH. BELIO. In primis celebrantur nomina ANT. BONFINII, IO. SAMBUCI, NIC. ISTHUANFII, BELII. IO. LUCIUS de regno Dalmatiae et Croatiae. FRANC. FORIS OTROKOCSI de originibus Hungar. Scriptores rerum Hungaricar. et Tranſyluan. prodiere cura IO. GE. SCHWANDTNERI. STRUV. p. 1475.

6. Rerum Moſcouiticarum auctores uarii unum in corpus congeſti Francof. 1600 f. prodiere. GERH. FRIDER. MÜLLERI opera producta fuit *Sammlung Ruſſiſcher Geſchichte*. Rerum Moſcouiticarum commentariis SIGISM. L. B. de HERBERSTEIN olim multa laus tribuebatur. Ad ſuperiora ſaecula ſpectat GOTTL. SAM. TREUERS *Einleitung zur Moſcowitiſchen Hiſtorie*. Praecipue ſcitu dignae ſunt res geſtae Petri I Imp. conf. FRIDR. CHR. WEBERS *verändertes Ruſsland*, I. H. von L. *Leben*

und

und Thaten Petri Alexiewiz Renſslands Selbſthalters. Inſpiciantur etiam libelli, in quibus de titulo Imperat. diſceptatur. STRUV. p. 1630.

7. Turcorum hiſtoriam illuſtrauit IO. LEUNCLAVIUS. Chronicorum Turcicorum tom. III edidit PHIL. LONICERUS. ANTIOCH. CANTIMIR *the hiſtory of the Grovvth and decay of the Othman Empire. London.* 1734. f. *Die neueröffnete Ottomanniſche Pforte* t. II. GER. CORN. *von den* DRIESCH *hiſtoriſche Nachricht von der Kayſerl. Groſs-Botſchafft nach Conſtantinopel.* Norib. 1723. STRUV. p. 203. Scriptores rerum Perſicarum, Tartaricarum, Sinenſium, Indicarum, Arabicarum, Aegyptiacarum, Africanarum et Americanarum recenſet STRUV. c. X et XI. (uid. §. CLXI.)

CAPUT XXIIII.

DE HISTORIA ECCLESIASTICA.

§. CLXVI.

Quantum religio in ſtatu politico uel ordinando uel reformando poſſit, nemo neſcit. Nullus error pernicioſior eſt, nullus foecundior, nullus pertinacior, quam peruerſa de Deo ſententia; proinde ueritatem, quam coetus recte ſentientium ſemper conſeruauit, ſtudioſe exquiramus. Nam, niſi eccleſiae uerae, cui adſcripti ſumus, fata explorata habeamus, nec priuati, nec publici iuris diſciplinam ex omni

omni parte aſſequemur. Fabulae et controuerſiae inanes nos non turbabunt.

1) De idololatriae ſcriptoribus diximus §. CXXXXII. conf. etiam GEBH. THEOD. MEIERI hiſtoria religionis chriſtianae, iudaicae, gentilis et mahomedanae. IOUET *l'hiſtoire des religions de tous les royaumes du monde.* 2) Praeſtantiam et utilitatem hiſtoriae eccleſiaſticae expoſuit IO. CLERICUS in orat. ſingulari. BRUNQUELL. de utilitate ex hiſtoria et antiquitatibus ſacris in iurisprudentiae eccleſiaſticae ſtudio capienda diſſertationem praemiſit Innocent. Cironii obſeruationibus iuris canonici. IO. ERNST. FLOERCK. depromſit *Gedancken von der Nothvvendigkeit und Nuzen der Erlernung der Kirchen-Hiſtorie vor einen ſtudioſum iuris eccleſiaſtici.* HENR. SCHOLZ. progr. de eo quod iuſtum eſt in hiſtoria eccleſiaſtica ICto tractanda. IO. GE. IOCH. progr. de meritis ICtorum in hiſt. eccleſ. Commodis legum ſtudioſi inſeruiunt potiſſimum THOMASII cautelae. 3) Notitiam ſcriptorum eccleſ. ſuppeditant BELLARMIN. GERHARDUS, IO. ANDR. BOSIUS, CASP. SAGITTARIUS, ADOLPH. CLARMUNDUS, THOMAS ITTIGIUS, IO. ANDR. SCHMIDIUS, IO. GE. WALCHIUS, SEVER. WALTHER. SLÜTERUS, MART. SCHMEIZEL. IO. ALB. FABRIC. Vol. XII bibl. graec. IO. GOTFR. OLEARIUS, GUIL. CAVE, LABBEUS, OUDIN; DU PIN in bibl. auctor. eccleſ. cum ſupplemento GOUIET. REMIG. CELLIER. in hiſt. generali ſcriptor. eccleſ. MIRAEUS in bibliotheca eccleſiaſtica. NOURRY apparatus ad bibliothecam maximam ueterum Patrum et antiq. ſcriptor. eccleſiaſt. PFAFF. in hiſtor. liter. theolog.

L §. CLXVII.

§. CLXVII.

Hiſtoria eccleſiaſtica uel ab orbe condito uel a Chriſto nato repetitur. Vterque codex ſacer reliquis omnibus annalibus fide dignior.

Pauci rerum eccleſiaſticarum ſcriptores ab omni labe ſunt immunes. FL. IOSEPHI antiquitates laudantur ab his, culpantur ab illis. Ex latinis honorifice appellandus SULPIC. SEVERUS, quem CHRIST. SCHOTAN. in bibliotheca hiſtoriae ſacrae ſequi inſtituit. Ex recentioribus rerum primordia reſpexere IAC. SALIANUS, AUG. TORNIELLUS, IAC. USSERIUS, NAT. ALEXANDER, FRID. SPANHEIM. AUG. CALMET, IAC. CAPPELLUS, BUDDEUS, LANG. In epitomen hiſtoriam V. T. redegere FRID. SPANHEIM. IO. ANDR. SCHMID. Libros commentitios noſces ex IO. ALB. FABRICII codice pſeudepigrapho V. T. Nonnulli particulas hiſtoriarum tantum tetigerunt. Sic hiſtoriam Paradiſi IO. MARCK. hiſtoriam antediluuianae eccleſiae et Noachicae BALTH. BEBEL. hiſtoriam Patriarcharum IO. HENR. HEIDEGGER. hiſtoriam Prophetarum HERM. WITS. illuſtrarunt. Hiſtoriam ſacram cum gentilium ſcriptoribus contulere IO. IAC. SCHUDT. in compendio hiſtoriae Iudaicae ad ductum IUSTIN. hiſtor. L. XXXIIII. HUMFR. PRIDEAUX in V. et N. teſtament. Iudaeorum hiſtoriam deſcripſerunt D'ANDILLY, PRIDEAUX, BASNAGE; antiquitates iudaicas BENED. ARIAS MONT. antiquitates Moſaicas et Iudaicas GUIL. GOEREUS. His addi poſſunt IO. IAC. SCHUDT *Jüdiſche Merckwürdigkeiten.* IAC. SAURINI diſſ. hiſtor. criticae theol. morales ad praecipuas ueteris et noui teſtamenti hiſtorias.

RICH. SIMON hiſt. crit. V. et N. teſt. D'HERBELOT bibliotheca oriental. 2) Ad iurisprudentiae ſphaeram pertinent potiſſimum ii, qui curam ſuam legibus et inſtitutis Moſaicis impenderunt, e. c. ARND. in manuali legum Moſaic. HOTTINGER. in iure Hebr. THOM. GOODWIN in Moſe et Aaron. SPENCER. in legibus Hebr. ritual. SELDEN. in iure nat. et gent. iuxta diſciplinam Hebr. GISEBERT. in Deuteron. harmonic. uid. THOMAS. caut. c. 4-8.

§. CLXVIII.

Noui teſtamenti hiſtoriam eccleſiaſticam diuerſis interuallis deſcribunt; nobis interualla tria commode ſtatui uidentur, quorum primum a Chriſto nato, alterum a Caroli M. temporibus, tertium ab eccleſiae reformatione ad noſtram aetatem decurrit. Conſiderentur diligenter religionis Chriſtianae fata, ritus, diſciplina, concordia ſacerdotii et imperii, uaria papatus fortuna.

1) Primus ſtudium ſuum in rebus in eccleſia geſtis memoriae mandandis collocauit EUSEBIUS; acceſſere SOCRATES, SOZOMENUS, THEODORETUS, EVAGRIUS. NICEPHORUS non eſt optimae notae. FLOERCKENS. *hiſtor. Nachricht von den Kirchen-Scribenten, welche Juriſten geweſen.* Quum ſacra repurgarentur, inſtituta eccleſiae ueteris auide perueſtigabant, ut ſuae quisque ſententiae munimentum ab antiquitate pararet. Centuriis Magdeburgenſibus, operi ordine iuſto, multaque cura elaborato, BARONIUS annales eccleſia-

 ſticos

ſticos oppoſuit, quos alii emendarunt, ut PAGI, alii continuarunt, ut RAYNALDUS, alii in epitomen redegerunt, ut SPONDANUS, alii refutarunt. uid. BUDDEI iſagoge p. 787. NATALIS ALEXANDRI hiſtoria eccleſiaſtica non adeo ſe probauit pontifici Romano. TIMANN. GESSEL. hiſtoria ſacra et eccleſiaſtica nititur maxime teſtimoniis patrum 3 ſaeculorum priorum. Sed animus non eſt labores omnium hic late recenſere. Operam huius generis hiſtoriae dederunt SPANHEIM. SAGITTAR. HORN. MICRAELIUS, HEINSIUS, RECHENBERG. KORTHOLT. SCHMID. MOSHEIM. PFAFF. WEISMANN. LANG. aliaque nomina ueneranda, quibus iungas hiſtoriam Gothanam, et quem nemo non nouit, GOTFR. ARNOLD, cuius commentariorum fata memorat BUDD. c. l. p. 816. Ex ICtorum ordine hiſtoriam eccleſiaſticam dilucidare annifus eſt cel. PERTSCH. Nec exteri laude ſua defraudentur e. c. BASNAGE, GODEAU, de CHOISY, FLEURY, TILLEMONT. Principiis ſuis perditis indulget CHRISTOPH. SANDIUS in nucleo hiſtor. eccleſ. 2) Nonnulli excolendam ſibi ſumſerunt ſigillatim hiſtoriam patrum, haereticorum, martyrum. HULSEMANNI Patrologia. ITTIG de bibliothecis et catenis patrum. NICOL. le NOURRY apparatus ad bibliothecam maximam ueterum patrum. CUNR. RITTERSHUS. ſacrarum lectionum libri octo, quibus multa ad ius ciuile et ad hiſtorias pertinentia, non pauca etiam in ſanctis patribus aliisque probatiſſimis ſcriptoribus laudantur, illuſtrantur, emendantur. BUDD. Iſag. L. II, c. 3. STOLLE de uita, ſcriptis ac doctrinis patrum eccleſiae quatuor priorum ſaeculor. CAVE uitae patrum. 10.

DAL-

DALLAEUS de uſu patrum. Eccleſia latina colebat maxime Gregorium M. Auguſtinum, Hieronymum et Ambroſium; Graeca Baſilium M. Gregorium Nazianzenum, Ioannem Chryſoſtomum. VOGT. bibliotheca hiſtoriae haereſiologicae. GOEZ. diſſ. de ſcriptoribus haereſiologicis. ITTIG. de haereſiarchis I et II ſaec. ANT. VARILLAS *hiſtoire de l'hereſie.* THEOD. RUINART. acta primorum martyrum. Acta Sanctorum, uaſtum opus. 3) De conciliis et legibus eccleſiaſticis dicemus poſthaec. Antiquos eccleſiae ritus collegit EDM. MARTENE; item IO. STEPH. DURANT. in tribus de ritibus eccleſiae catholicae libris, et BARTH. GAVANT. in theſauro ſacrorum rituum. conf. etiam BINGHAM antiquitates eccleſiaſt. FLEURY *moeurs des premiers Chretiens.* 4) Origines monaſticas inueſtigarunt AUB. MIRAEUS, RUD. HOSPINIANUS. Vetus et noua eccleſiae diſciplina deſcribitur a LUDOV. THOMASSINO. HEIDEGGER. PUFFENDORFF. et CYPRIAN. ortum papatus detexerunt. Hiſtoriam pontificum ſcripſit PLATINA; et haud ita pridem BOWER, Anglus, Exſtat etiam *hiſtoire des Papes* edita Hag. Comit. in V Volum. (auctore FRANC. BRUYSIO.) ANT. SANDINI uitae pontificum Romanor. Patau. 1739. 8 prodierunt. WAGENSEIL. de Romanis pontificibus ex Germanorum gente creatis. I. HILDEBRAND. de donatione Conſtantini Imp. I. GUIL. BAIER. de falſo iactata dignitate et poteſtate Rom. Pontific. tempore Iuſtiniani Imp.

§. CLXVIIII.

Aetatis mediae obſcuritatem redarguunt omnes; ſed quo quis diligentius literarum mo-

nimenta, quibus hodie abundamus, excutit, eo citius caliginem iſtam diſpellet.

1) Pauci quidem hiſtoriae eccleſiaſticae ſyſtemata adornarunt; at chronicorum et annalium auctores eccleſiaſtica ſicco pede non tranſibant; ex his igitur, item ex antiquis tabulis hiſtoria eccleſiaſtica reparanda erit. Quantam curam Carolus M. habuerit rei eccleſiaſticae, oſtendimus in commentar. rei diplom. §. LII, LIII, LVIII. Tribuitur illi liber contra ſynodum Nicaenam II, quo aduerſus adorationem imaginum diſputatur. Hinc inter CHRISTIAN. NIFANIUM et NICOL. SCHATEN. agitata fuit controuerſia: an Carolus M. formaliter fuerit papiſta. uid. etiam IO. HENR. HEIDEGGER. diſſ. de Carolo M. teſte ueritatis. De ſacris literis bene mereri ſtuduerunt OTFRIDUS, NOTKER. WILLERAM. TATIAN. BEDAE uenerabilis hiſtoria eccleſiaſtica maxime ad gentem Anglorum pertinet; HAYMONIS hiſtoria eccleſiaſtica antiquiora reſpicit tempora. conf. IUST. CHRIST. BOEHMERI diſſ. de Bonifacio Germanorum Apoſtolo. BUDDEI diſſ. de uita et doctrina Hrabani Magnentii Mauri. Si quis hanc temporum periodum, praeſertim quod ad Germaniam attinet, accuratius perſpicere cupiat, eum collectiones ſcriptorum, quas §. CLVII indicauimus, ſedulo peruolutare non pigebit. In his etiam ADAMI Bremenſ. hiſtoriam eccleſiaſt. deprehendet. Multum fructum, puto, ſperari poſſe ex EDM. MARTENE et VRS. DURANDI uoluminibus, pariter et BERNH. PEZII theſauro anecdot. Dum tot hominum ingenia multas quotidie ineptias

eptias pariunt, cur induſtria non excurrit in hunc campum ampliſſimum? VRSINI, HACHENBERGII, HECHTII conatus laudandi quidem, ſed tenuibus lineis abſoluuntur. Ad ſcholaſticorum quisquilias perſcrutandas otio pauci uolunt abuti. Obſ. Hal. t. I, 15 de haereſibus ex philoſophia Ariſtotelico-ſcholaſtica ortis. 2) Machinationes pontificum Romanorum, quas Imperatoribus praeſertim et nationis Germanicae libertati ſtruxerunt, detegantur; unde querelae infinitae, et religionis diſcordia. Gregorii VII P. auſus in iure publico Germ. admodum memorabiles. AD. RECHENBERG. de dictatu Hildebrand. uid. THOMAS. hiſtoria contentionis inter imperium et ſacerdotium. PETR. de MARCA de concordia ſacerdotii et imperii, SCHILTER. de libertate eccleſ. German.

§. CLXX.

Sacrorum emendatio ut maxime erat neceſſaria: ita non eccleſiaſticum tantum, ſed et politicum ſtatum, in Germania praecipue, mutauit inſigniter.

1) Scriptores hiſtoriae reformationis indicat HOFFMANN in biblioth. iur. publ. p. 139 ſq. De ſtatu religionis et reipublicae ſub Carolo V Caeſ. commentarios praeclaros conſcripſit IO. SLEIDANUS, quos continuauit MICH. CASP. LUNDORP. His addantur HORTLEDERI *Handlungen und Urſachen vom Smalcaldiſchen Krieg.* THUANI hiſtoriarum libri. Hiſtoria Lutheraniſmi ill. SECKENDORFFII, opus perenne, quo LUD. MAIMBURGII errores corriguntur. Documenta proba attulerunt

WILH. ERNST. TENZEL *im hiſtoriſchen Bericht vom Anfang und erſten Fortgang der Reformation Lutheri.* VALENT. ERN. LOESCHER. *in vollſtändigen Reformations-Actis und Documentis.* Hiſtoriam literariam reformationis edidit HERM. von der HARDT. Nec negligenda eſt IO. HENR. MAII hiſtoria reformat. IO. CASP. FUNCK. *kurzgefaſſte Reformations-Hiſtorie*, ut alios, qui uel compendia uel ſingularium regnorum, prouinciarum, ciuitatum hiſtoriam reformationis ſcripſerunt, quos indicat PFAFF. in introd. in hiſt. theol. liter. P III, L. IV p. 313. ſq. Huc etiam pertinent, qui hiſtoriam Auguſtanae confeſſionis illuſtrarunt, ut CHYTRAEUS, CYPRIAN. SALIG. SCHMID. 2) De grauaminibus Imperatorum imperiique principum ac procerum totiusque nationis Germanicae aduerſus ſedem Romanam commentatus eſt IAC. FRID. GEORGII. IO. ERH. KAPP. *Schauplatz des Tezeliſchen Ablaſs-Krams.* ID. de ſoloeciſmis politicis circa reformationem Lutheri commiſſis. G. S. TREUER *von den politiſchen Fehlern des päbſtlichen Hofs, welche die Reformation Lutheri befördert haben.* IO. FRID. MEYERI diſſ. de pontificiis Leonis X proceſſum aduerſus Lutherum improbantibus. AD. RECHENBERG. diſſ. de obſtaculis progreſſuum reformationis Lutheranae. 3) MART. LUTHERI, magnum reformationis opus primum molientis, uitam deſcripſerunt PHIL. MELANCHTHON. IO. MATHESIUS, NIC. SELNECCER. CHRIST. IUNCKER. Nec memoria intermoritur PHIL. MELANCHTHONIS, GEORG. SPALATINI, IO. BUGENHAGII, VRB. RHEGII, IO. REUCHLINI, VLR. de HUTTEN. uid. etiam HEINECC. progr. de ICtis reformationi eccleſiae praeludentibus. FRID.

FRISII

FRISII progr. de ICtis, qui reformationem Lutheri adiuuerunt. BOEHMERI orat. de meritis Auguſtanae confeſſ. in rem iuridicam cum diſſ. de beneficiis iuris Aug. confeſſ. AUG. LEYSER. flores ex Themidos hortis collecti in Auguſt. confeſſ. ſparſi.

§. CLXXI.

Etſi tres religioſi cultus formae per Inſtrumentum pacis Oſnabrugenſis in Germania ita ſtabilitae fuerunt, ut cuiusque aſſeclae eodem ciuitatis iure fruantur, fraternoque ſe amore complectantur: diſſidia tamen inter illos perpetuo gliſcunt, quibus innocentium uita grauiter affligitur, animique uehementer exacerbantur. Tam longe aberramus a Chriſti lenitate.

Pudeat Chriſtianos tot *grauaminum religionis* uolumina coaceruare. Querelas gemitusque acta publica paſſim referunt. uid. FABRI Cancellar. Stat. Europ. partes ſingulas. HOFFMANNI et STRUVII *Religions-Beſchwerden.* Concordiae conſilia uel nondum ſatis ingenue propoſita uel temere contemta fuere. De ſcriptis ſyncretiſticis ac irenicis dicemus alias.

§. CLXXII.

Quemadmodum in imperio Rom. Germ. una Chriſtiana religio, tribus formulis diſtincta, dominatur: ita quae in aliis regnis principatum teneat religio, quae ſectae tolerentur, circum-

ſpiciendum, quia et peregrina dogmata ſcire iuuat, ne uel inique de iis ſentiamus, uel improuidi erroribus irretiamur.

Iudaei certo pacto ubique fere tolerantur, quod Chriſtianis non contingit. BOEHMERI diſſ. de cauta Iudaeorum tolerantia. Apud Anglos et Belgas iis quoque ſectis indulgetur nonnihil libertatis, quae a religione domina ualde diſſident, u. c. ſectae Quackerorum, Mennoniſtarum, Fanaticorum. Socinianis etiam eſt, ubi ſedem figant. Scelus interdum pietiſtarum laruam ſumit. IO. FRID. MAYERI pietiſta per ſtatus Euangelicos accuſatus et iudicatus. BOEHMER. de tolerantiae religioſae effectibus ciuilibus.

CAPUT XXV.

DE HISTORIA LITERARIA.

§. CLXXIII.

Literarum ſtudiorum originem et fata omnium aetatum omniumque populorum deſcribere, immenſi laboris eſt; quam uaria notari oporteat, paucis indicabimus.

Si quis ſtudii huius iucunditatem parui pendat: inſignem tamen illius utilitatem non poteſt non perſpicere. Literae oriuntur, creſcunt, decreſcunt, moriuntur, reuiuiſcunt; non omnis fert omnia tellus, omnis aetas. IUST. CHRISTOPH. THORSCHMID. diſſ. de ſtudiorum ratione ad genium ſaeculi compoſita. In errores uix excuſandos

ſandos incidimus, ſi rerum in orbe literato geſtarum notitia nulla adiuuemur. Huiusmodi *αβλεψίας* ſpecimina memorat REIMMANN. hiſt. lit. t. I p. 131 ſq. LILIENTHAL. de ſoloeciſmo literar. IO. FRID. MAYER. de turpi circa auctores ignorantia. Multi difficultates ſibi fingunt infinitas, multoque labore parum proficiunt, quia inſtrumenta ſcientiarum aptiſſima neſciunt. Alii neſcio quae arcana ſibi inueniſſe uidentur, quae eruditis iam diu nota ſunt. Nonnulli praepoſtere ſtudiis operam nauant, ſaepiusque de diſciplinis ac literatis peruerſe ſentiunt, quod rectam ad eruditionem perueniendi uiam, ſapientumque ſtudia ignorant. Dum ſibi ſapiunt, nec, quam late pateat eruditio, auent cognoſcere: mentem ad uitam mercenariam abiiciunt, muſarum amoenitatibus indigni. HENR. MEIBOM. in praefat. ad Henr. Vogleri introduct. uniuerſal. in notitiam cuiusque generis bonorum ſcriptorum, de fine et fructu et utilitate hiſtoriae literariae egit. CHR. FRID. SCHMID. de hiſtoria literaria pragmatice tractanda. STOLLII progr. *vom Nuzen der Hiſtorie der Gelehrheit.* CLERICI bibliotheque ancienne et mod. t. VI p. 218. IO. GOTTL. OLEARII diſſ. de utilitate et neceſſitate rei literariae in iurisprudentia. Quemadmodum uero hiſtoria literaria nos tantum ad ueram eruditionem praeparat: ita nemo facile in diſciplinarum apparatu congerendo omnem aetatem conſumet. Genio ſuo liberalius indulgere poſſunt, qui abundant otio. S. I. APINI ſchediaſma de nimio, eoque noxio hiſtor. literar. ſtudio.

§. CLXXIIII.

§. CLXXIIII.

Hiſtoria literaria uniuerſalis eſt et particularis; utraque chronologica, geographica, technologica, biographica et bibliographica. Legum cultor ſibi maxime commendatam habeat uniuerſalem et artis ſuae hiſtoriam literariam.

Vniuerſalem hiſtoriam literariam perfecit nemo, nec perficiet quisquam. FRANC. BACO VERULAM. L. II de augment. ſcient. c. 4 ideam illius expreſſit. CHRISTOPH. MYLAEUS ſcribendae uniuerſitatis rerum hiſtoriae lineas tenues duxit. FABRIC. in praefat. ad MORHOF. Polyhiſt. quinque methodos hiſtoriam literariam tradendi refert, chronologicam, lexicam ſiue alphabeticam, realem ſiue claſſicam, geographicam, criticam. LAMBECIUS in prodromo ſuo hiſtoriae literariae inde ab orbe condito orditur telam ſuam, numquam pertexendam. Idem tentauit nuper IO. GE. IAC. ALBERTINUS *in der Hiſtorie der Gelahrheit*. IO. IONSIUS de ſcriptoribus hiſtoriae philoſophicae ita commentatus eſt, ut ipſam hiſtoriam literariam attingeret. CONRINGII commentarium de ſcriptoribus XVI poſt Chriſtum natum ſaeculorum edidit GOTTLOB KRANZ. Princeps omnium habetur MORHOFII polyhiſtor. Non tamen inferior eodem STOLLII *Hiſtorie der Gelahrtheit*. Acceſſere STRUV. GUNDLING. REIMMANN. ARND. SCHMEIZEL. BERTRAM, atque ex iis nonnulli, qui hiſtoriam uniuerſalem expoſuere, ut CELLARIUS, ROTH. KOELER. FREYER. Compendium ex omnium ſententia utiliſſimum adornauit uir ſumme reuer. ac celeberr. CHR. AUG. HEUMANNUS, quod annotationibus

nibus ſuis amplificarunt GUNDLING. et STOLL. Hiſtoriae literariae ſpecialiſſimae documenta plurima oſtendit iurisprudentia.

§. CLXXV.

Quando artem ſcribendi inuenerint mortales, incertum; nullum tamen ſcriptum ad hunc usque diem proferri potuit, quod Moſe antiquius fide dignum eſſet.

Alii Adamum, alii Moſen, literarum auctorem perhibent. Aliis binae legum tabulae Moſi traditae primum literarium monimentum uidentur. conf. An Eſſay upon Literature: or an Enquiry into the Antiquity and original of Letters proving, that the two Tables, written by the Finger of God in Mount Sinai, was the firſt Writing in the World, and that all other Alphabets derive from the Hebrew &c. Lond. 1725. 8. STUSS. in diſſ. ſingul. Ioſepho artis ſcribendi inuentionem tribuit. Quae de re literaria antediluuiana circumferuntur, fabuloſa ſunt. IO. MADER de bibliothecis antediluuianis. OBSERVAT. HALL. tom. I n. 19 de ſcholis antediluuianis. VOCKERODT. hiſtoria ſocietatum et rei literariae mundi primi ſiue antediluuiani. FABRICII codex pſeudepigraphus ueteris teſtamenti. Scriptura hieroglyphica antiquiſſima uidetur, unde forſan ortae ſunt literae ebraicae, quibus uetuſtiores nondum repertae. OBSERVAT. HALL. tom. VI n. 4. de ordine Alphabeti literarum coniectura. THOM. BANG. de ortu et progreſſu literarum.

§. CLXXVI.

§. CLXXVI.

Materia, in qua ſcribitur, uaria, folia, cortices, ſaxa, lintea, papyrus, membrana, charta, quibus de rebus interdum disquiritur non ſolum in foro critico, ſed etiam iuridico. Modi ſcribendi itidem erant uarii.

Hiſtoriam artis ſcriptoriae expoſuit in diſſ. quadam FLORIAN KLEPPERBEIN. HERMANN. HUGONIS de ſcribendi origine libellum annotationibus locupletauit TROZIUS. Veterum ſcripturam ſcrutati ſunt IO. NIC. FUNCCIUS, PETR. HOLMIUS, WALTON, MUT. PANSA, BALTH. FRID. SALZMANN; STRUV. in actis literar. faſc. I, cap. I; MONTFAUCON in Palaeographia graeca, MABILL. in opere de re diplomatica. Praecipue euoluatur FABRICII bibliograph. antiquaria cap. 21 §. 7 et 9. CALMETII diſſ. de antiquitatibus ſcriptoriis. Supellectilem literariam et ornamenta codicum ueterum explicauit SCHWARZIUS. IO. CLERKIUS de ueterum ſtilo, pennis et papyro nonnihil tradidit. Originem chartae noſtrae ex pannis detritis confici ſolitae indagat LUDEWIG *in gelehrten Anzeigen* Part. II, p. 270. Hodie negotia quaedam pergamenae, alia chartae, interdum ſignatae inſcribi ſolent. De charta ſignata uid. diſſert. BARTHOLDI. Ex accuratiore literarum, chartae et atramenti contemplatione de documenti authentia ſaepius decidi poteſt. Conf. GE. PAUL. DREHER. de literarum comparatione. De encauſto ſacro uid. diſſ. STRYKII et IO. BEHMII. De purpura ADRIANI STEGERI. Notae ſiue ſigla, interpunctiones, librariorum ſphalmata haud raro angunt criticos

IUSTI-

IUSTINIAN. Imp. L. 2 §. 22 Cod. de uet. iur. enucl. ſigla adhiberi uetuit. Accentus uocabulis adſcripti interdum, ut in graeca lingua, neſcio magisne turbent, quam illuſtrent. HENR. CHRIST. HENNINIUS graecam linguam ſecundum accentus non eſſe pronunciandam in diſſertat. ſingul. monſtrauit. Hebraeorum punctorum origo dubia. conf. cel. HEUMANNI conſpectus rei literariae cap. 3, §. 3 - 17.

§. CLXXVII.

Artis typographicae inuentum, quod Germanis ſine dubio debetur, breui tempore incredibilia cepit incrementa.

Conf. IO. LUD. BUNEMANN. notitia ſcriptorum artem typographicam illuſtrantium. IO. CHR. WOLFFII bibliotheca typographica praemiſſa eiusdem monumentis typographicis. FRID. CHRIST. LESSERS *Nachrichten und Urtheile von den Scriptoribus de arte typographica.* Praemittuntur eiusdem *Hiſtorie der Buchdruckerey*, ſiue typographiae iubilanti. CHRIST. GOTTL. SCHWARZII diſſert. III de primariis quibusdam documentis de origine typographiae. IO. GE. HAGER. de arte typographica. Hiſtoire de l'origine et de premier progrés de l'Imprimerie. Item MAITTAIRII et ORLANDI annales typographici (uid. ſup. §. XX.) Elementa artis huius docent GESSNERS *die ſo nöthig, als nützliche Buchdrucker-Kunſt und Schrifft-Gieſſerey. Leipz.* Vol. IV. eiusdem *in der Buchdruckerey wol unterrichteter Lehrjung, oder der Buchdrucker-Kunſt Anfangs-Gründe.* IO. HENR. GOTTFR. ERNESTI *wohl-*

einge-

eingerichtete Buchdruckerey. La Science pratique de l'Imprimerie par MARTIN DOMINIQUE FERTEL.

§. CLXXVIII.

Literarum ſtudia primum colebant Chaldaei, Aegyptii et Ebraei. Ex Aegypto tranſierunt in Graeciam, e Graecia in Aſiam. Quantum Romani graecae literaturae tribuerint, auctorum latinorum multa loquuntur teſtimonia.

1) Syſtematis antiquitatis literariae Aegyptiacae ideam delineauit REIMMANN. In controuerſia, inter Conringium et Borrichium de medicina hermetica agitata, res literaria Aegyptiorum nonnihil dilucidabatur. Apud Hebraeos eruditionem multo in honore fuiſſe, coniicimus ex Salomonis uerbis Eccleſiaſt. XII, 12. Scholarum prophetarum mentio fit I Sam. X, 5. XIX, 18. II Reg. II, 3 et IV, 38. Conf. WITS de prophetis cap. 10. EHREG. DAN. COLBERG. ſapientia ueterum Hebraeorum. 2) Athenae, bonarum artium mercatura, per orbem uniuerſum celebres erant. Vnde ludi literarii Athenaea dicti, Cicero graeca in omnibus fere gentibus legi ait. De rebus Atticis illuſtrandis bene meritus eſt IO. MEURSIUS. Literarum fama florebant quoque Antiochia, Tarſus, Pergamus, Rhodus, Epheſus. Alexandriae nomen ſeruauit Ptolomaeorum regum liberalitas, bibliotheca et muſeum. Eruditae Graeciae literarum monimenta late enumerat FABRICIUS in biblioth. graeca; egregios cuiusque artis ſcriptores laudabimus loco, quo decet. 3) Ideam hiſtoriae literariae Romanorum expres-

ſit

ſit CHRIST. FALSTER. et IO. GE. FRICK diſſeruit de initiis eruditionis apud Romanos. WALCH. de uariis modis literas colendi apud Romanos. CELLARIUS de ſtudiis Romanorum literariis in urbe et prouinciis. KRIEGK. de peregrinationibus Romanorum academicis. Auctores latinos cognoſcimus ex FABRICII bibliotheca latina, et ex HEDERICH. notitia auctorum. 4) In Germanorum hiſtoria literaria explananda multum operae poſuit REIMMANNUS. Nonnihil opis ferunt ſcriptores cap. XXII excitati. De Germanis literarum ſecreta ignorantibus ad Taciti Germaniam cap. 3 commentatur HEUMANNUS in tom. I poeciles lib. 4. BERGER. de priſco germano haud illiterato. IO. AUG. EGENOLFI obſeruatio probans, Germanos ab antiquiſſimis temporibus uſum literarum nouiſſe, propriasque literas habuiſſe in miſcell. Lipſ. t. I p. 256.

§. CLXXVIIII.

Nec chriſtianae ueritatis doctores literas optimas primum auerſabantur, cum praeſertim nonnulli patres antehac ethnici Chriſti dogmata defenderent; ſed poſtea artes humanas odio proſequi coeperunt nonnulli rei ſacrae antiſtites; accedebant incurſiones barbararum gentium; hinc literarum exilium et linguae latinae interitus.

Saeculo ſexto barbaries maxime regnabat in occidente. BOETIUS et CASSIODORUS ultimi erant, qui nonnihil, quod aetatem ferret, literis mandarunt; tum longum eruditionis intercesſit in-

terregnum. Saeculum ſeptimum et octauum oſtentat BEDAM uenerabilem, ALCUINUM, PAULUM DIACONUM; in oriente IOANNEM DAMASCENUM. Carolus quidem M. ſummopere nitebatur, ut literarum cultum inſtauraret, ſed noluit uotis Caeſaris reſpondere ignauum ſaeculum. De ſtatu rei literariae ſub Carolo M. nonnihil diximus in commentariis noſtris de re diplomatica §. LVIII. Conf. EGINHARD. de uita Caroli M. KOELERI diſſ. de bibliotheca Caroli M. De l'etat des ſciences dans l'étendue de la Monarchie Françoiſe ſous Charle magne par Mr. l'Abbé le BOEUF. De artibus liberalibus ante et poſt Caroli M. tempora diſſerit IO. IUST. WINCKELMANN. in notitia hiſt. pol. uet. Saxo-Weſtphal. CELLARIUS de initiis cultioris Germaniae. In Anglia AELFREDUS rex; in oriente LEO ſapiens, imperator et PHOTIUS literas fugientes retardarunt. Saeculum nonum tulit RHABANUM MAURUM, HAYMONEM, WALAFREDUM, STRABONEM, OTFRIDUM, HINCMARUM, REGINONEM, ANASTASIUM bibliothecarium.

§. CLXXX.

Saeculum X obſcurum et fabulis deditum; ſaeculis ſequentibus non deſunt quidem ſcriptores, ſed parum elegantiae prae ſe ferunt. Scholaſtici enim et gloſſatores rerum potiebantur, donec Academiis inſtitutis literae reuiuiſcerent. Lux Euangelii reuocata, lucem quoque bonis artibus impertiuit.

POLYCARP. LYSER. medii aeui barbariem fictam eſſe putauit, ſed iam ſat refutatus fuit. Vid. HEU-

HEUMANN. conſpectus rei literariae pag. 125. Obſcuritatem ſaeculi X illuſtrant clariſſima nomina SYLVESTRI II pontificis, CONSTANT. PORPHYROGENITI imperatoris, LUITPRANDI et RHOSWITHAE. DAN. PEUCERI progr. quo ſaeculum X obſcurum lucis haudquaquam eſſe expers probat. Numb. 1732. Periculoſum erat tunc temporis nomen inter eruditos profiteri. Saeculum XI celebrat DITMARUM Merſeburgenſem, HERMANNUM CONTRACTUM, LAMBERTUM Schaffnaburgenſem, SIGEBERTUM Gemblacenſem, BURCHARDUM Wormatienſem qui brocardicis nomen dedit, AVICENNAM. Saeculo XII famam conciliat IRNERIUS, IVO CARNOTENSIS, PETRUS ABAELARDUS, PETRUS LOMBARDUS, IOANNES SARISBERIENSIS, HELMOLDUS, GUNTHERUS Poeta, OTTO FRISINGENSIS, WIBALDUS Abbas Corbeienſis, GUILIELM. TYRIUS, ANNA COMNENA, AVERROES. Scholae Pariſienſis laus late uagabatur. Arabes philoſophiam Ariſtotelis excolentes prouocabant Scholaſticos, de quibus cap. ſeq. Saeculo XIII literis fauebat FRIDERICUS II imperator, et ALPHONSUS X, rex Caſtellae et Legionis. Prodibant eruditi multi. PETRUS DE VINEIS, VINCENTIUS BELLOVACENSIS, RAYMUNDUS LULLIUS, IOANNES SEMECA, GERVASIUS TILBERIENSIS, ACCURSIUS, CONRAD. URSPERGENSIS, MATTH. PARIS. ALBERTUS STADENS. Saeculo XIV condita fuit Academia Viennenſis, Heidelbergenſis, Pragenſis, Colonienſis, Erfurdenſis; Bononienſis fama laliis longe excellebat. Audiuntur nomina memorabilia BARTOLI, BALDI, IO. TAULERI, IO. WICLEF, RICHARDI SVISSET, HENRICI SUSONIS, IOANNIS RUSBROCH. FRANCISC. PETRAR-

TRARCHA tenebras diſſipare ualde laborabat. Saeculum XV palingeneſiae literarum initiis deſtinatum fuit, adiuuantibus in Italia NICOLAO V pontifice, LAURENTIO MEDIC. MATTH. CORVINO, Rege Hungariae, ALPHONSO, Rege Neap. et Arragoniae. conf. CHR. FRID. BOERNERI diſſ. de altera migratione literarum graecarum e Graecia in Italiam. it. de exulibus Graeciae, iisdemque literarum in Italia inſtauratoribus. Ex Germanis literatis nominaſſe ſufficiat RUDOLPHUM AGRICOLAM, IO. TRITHEMIUM, CONRADUM CELTEM, IO. REGIOMONTANUM, ALBERTUM KRANZIUM, MARTINUM BEHAIMUM. Sicut ſuperſtitio uerae religioni olim admixta artes liberales opprimebat: ita ſuperſtitione eiecta literae redibant. Nemo neſcit, rem literariam, auxiliante Deo et Maximiliano I imperatore indulgente, reparatam fuiſſe eodem tempore, quo ſacra reparabantur. Nota ſunt merita REUCHLINI, ERASMI, LUTHERI, MELANCHTHONIS. Studium omnium incendebatur; Academiarum et ſcholarum numerus creſcebat; ſcientiae perpoliebantur, amplificabantur, reformabantur, literae typis exſcribebantur, ita, ut hodie non tam ignorantia, quam librorum mole et doctorum copia laboremus. Ex quo meliora uiderunt et per uaria rerum diſcrimina libertatem genti literatae reſtituerunt FRANCISCUS BACO DE VERULAM. CARTESIUS, GROTIUS, PUFFENDORFF. CHRIST. THOMASIUS, LEIBNIZIUS, quilibet ſibi noua ſyſtemata fingendi poteſtatem ſumit. Immenſum foret, omnium, qui ſaeculis hisce recentioribus auctorum gloriam adepti ſunt, nomina recenſere. Nonnulla diſces ex HEUMANN. cit. loc.

§. CLXXXI.

Si quis uitas eruditorum deſcribere ſatagat, is omni partium ſtudio ſepoſito characteres illorum pingat, ac doceat, quo quisque conſilio, quibus auxiliis, quo euentu ſtudia tractauerit. Biographi ſaepius minutias ſectantur, tacentque, quantum quisque ad commoda ſcientiarum augenda contulerit. Caue, eruditorum merita ex librorum, quos ediderunt, multitudine aeſtimes.

CHR. FRID. GE. MEISTER. diſſ. epiſt. de utilitate, uirtutibus et naeuis hiſtoriae literar. biograph. Vitarum ſcriptores nominant STRUV. in introd. ad hiſtor. literar. cap. 7; MORHOF Part. I, lib. 1, cap. 19; LABBE. in biblioth. bibliothecarum a TEISSERIO locupletata. Inter ueteres clarus PLUTARCHUS, SUIDAS et Lexicographi, iuniores CAROL. STEPHANUS, HOFFMANN, MORERI, BUDDEUS, BAYLIUS, CHAUFEPIE, IOECHER, Lexicon uniuerſale Baſileenſe, *Groſſes vollſtändiges Univerſal-Lexicon*, cuius iam uolumina LXIV ſumptibus Zedleri proſtant. DAV. van HOOGSTRATEN Lexicon uniuerſale Belgice ſcriptum. Adde KOENIGII bibliothecam, PAUL. BOYER. bibliotheque univerſelle. Alii quorundam tantum eruditorum uitas exhibuere, aut nullo delectu habito, aut opera certae claſſi, aetati, ſocietati, Academiae, nationi addicta. In hunc cenſum ueniunt VERDIER, THEVET, BOISSARD, PAUL. FREHERUS, CLARMUNDUS, ADAMUS, MEUSCHEN, WITTENIUS, ROLLIUS, BOECLERUS, MIRAEUS, TEISSERIUS. Plures uitarum,

elogiorum, iconum eruditorum collectiones indicat catal. bibl. BUNAU. t. I, p. 509 et t. II. Vitas quoque expoſuerunt nonnulli hiſtoriae literariae auctores, REIMMANNUS ſcil. et STOLLIUS, tam in ſyſtemate ſuo hiſtoriae literariae, quam in notis ad HEUMANNI conſpectum. Vitas eruditorum ſaec. XV et ſequentium deſcripſit NICERON, quas nunc germanice quoque legimus. Virorum doctrina illuſtrium in NICERONII libris occurentium nomina offendimus apud HEUMANNUM cap. 7 §. 4. Noſtri aeui literatorum res geſtas refert GOETTEN. RATHLEF. STRODTMANN *in dem jeztlebenden gelehrten Europa*, quorum inſtitutum continuatur *in den Beyträgen zur Hiſtorie der Gelahrtheit*. BRUCKER uitis addit effigies. Vitarum egregie ſcriptarum ſpecimina dedit GASSENDUS. Non moramur micrologiae literariae ſcriptores, qui de uiris doctis res minoris momenti narrarunt. Vid. IO. ADAM. BERNHARDI *curieuſe Hiſtorie der Gelehrten*, IO. GOTTOFR. BUCHNER. de uitiorum inter erud'tos occurrentium ſcriptoribus. Sed epiſtolae non negligendae ſunt, quippe quae non literas tantum, ſed et uitas literatorum maxime illuſtrant. Conf. BUDDEI diſſert. de aucta inſigniter per recentiſſimas quasdam epiſtolarum collectiones re literaria. Epiſtolarum collectores producit MORHOF. lib. I, cap. 23 ſqq. SILV. IO. ARENHOLD. in conſpectu bibliothecae uniuerſalis hiſtorico - literario - criticae epiſtolarum typis expreſſarum et manuſcriptarum. Hanov. 1746. 4.

§. CLXXXII.

§. CLXXXII.

Non fruſtra laborant, qui eruditis homonymis, pſeudonymis, anonymis, plagiariis, impoſtoribus dignoſcendis operam nauant.

Sic utile eſt, inter ſe diſcernere diuerſos FABRICIOS, SCHMIDIOS, MAIEROS, PAULLINOS, ASINOS, HASIOS, WOLFFIOS. IO. MOLLER homonymoſcopia hiſtorico-philologico-critica. FRID. GEISLER. diſſ. de nominum mutatione et anonymis ſcriptoribus ad l. un. C. de mutat. nom. VINCENT. PLACCII theatrum anonymorum et pſeudonymorum, quod ſuppleuit IO. CHRISTOPH. MYLIUS; HEUMANNI ſchediaſma de libris anonymis et pſeudonymis. IO. DECKHERR. de ſcriptis adeſpotis, pſeudepigraphis et ſuppoſititiis coniecturae. DAHLMANN *Schauplatz der maſquirten Gelehrten.* De plagio literario diximus §. XXII. Adde GUIL. HIERON. BRUCKNER. de plagio literario in ſtudio iuris. FRANC. DUARENI epiſtolam de plagiariis et ſcriptorum alienorum compilatoribus. FABRICII centuriam plagiariorum, FRID. OTT. MENCKII duas decades plagiariorum in nouis miſcellaneis Lipſ. tom. I pag. 86. CHRIST. LUDW. SCHLICHTERI catalogum plagiariorum in ſymbolis literariis Bremenſibus tom. I, Part. I, pag. 43 et Part. II, pag. 64.

§. CLXXXIII.

Etſi eruditum hominum genus imperio ciuili omnino pareat, atque adeo, ubi pernicioſas diſſeminat ſententias, iuſtis poenis coerceatur, inſigni tamen et ſentiendi et ſcribendi li-

bertate fruitur respublica literaria, quae faciem propemodum ſtatus naturalis refert; nihil enim iuris alteri in alterum conceditur, licet non omnes ſint meritorum gloria et dignitate pares.

Nonnullos tam incredibilis ingenii uis animat, ut multis diſciplinarum generibus lucem poſſint affundere, alii in ſecundis tertiisque ſubſiſtunt; illi literarum fundum amplificant, hi eumdem colunt ac tuentur. Quod ſi igitur illis primatus uindicetur, prouideant tamen, ne reliquos contemnant; nam artibus nonnullis plus prodeſt asſiduitas, quam ingenium acre, quod facile extra limites uagatur. Conf. IO. GE. PRITII de re publ. literaria. LOEBER. de forma regiminis reipublicae literariae. Rerum utiliſſimarum inuentoribus aut artium reformatoribus, ut heroibus literariis, maximus honos debetur; deinde ampliſſima laude efferuntur, qui ſcientias ad ακμην perduxerunt. De rerum inuentoribus uid. POLYD. VIRGILIUS, GUIDO PANCIROLLUS, item *geöffneter Ritter-Platz* Part. III.

§. CLXXXIIII.

Respublica literaria multum debet ergodioctis ſuis, adminiſtris et conſiliariis; neque ii laude ſua defraudandi ſunt, qui in eruditionis apparatu colligendo tantum elaborant.

1. Ingenia magna ſaepius tot negotiis diſtrahuntur, ut ipſis per multa ſe diffundere uolumina non liceat, ſed de literis fructuoſius excolendis et breuia ſuppeditant conſilia, et alia excitant ingenia conſiliis ſuis perficiendis apa. Profecto ad

ad ſalutem literarum pertinet, breues magnorum uirorum obſeruationes, meditationes, animaduerſiones &c. colligi, quae ſaepius uoluminibus uaſtis praeſtant. De collectionibus huiusmodi uid. HEUMANN. cit. loc. pag. 473, de polygraphis p. 452, de agraphis p. 462. Bibl. BUNAU. P. II p. 1727. Fuere, qui quid in omni ſcientiarum orbe adhuc tentari conueniat, perſpexerint, prout VERULAMIUS, CONRINGIUS, LEIBNIZIUS; alii ſingulares diſciplinas ſibi cordi habuerunt, quo pertinent conſilia de litigandi licentia cohibenda.

2. Collectores baiuli quidem uidentur in republica literaria, ſed eorum ope nullo pacto carere poſſumus. Muneri ſuo ſatis fecerunt, ſi literarios theſauros ſincere in lucem proferunt, nec uiri eruditiſſimi ſibi probro duxerunt, collectorum numerum augere; iterum honoris cauſſa nomino LEIBNIZIUM. Ecquis non nouerit MURATORIUM? tanti uiri, quas expoſuere, merces ſcite decorare ſolent. Germanorum collectorum notiſſimi GOLDASTUS et LUNIGIUS.

§. CLXXXV.

Maecenatum et Euergetarum memoria nunquam intermoriatur in republica literaria.

Muſis opus eſt tutoribus, opus eſt adiutoribus, quo plures ſaeculum quoduis tulit, eo laetius florebant literae. Nulla honeſtiore ratione reges, principes, homineſque fortunati ad immortalitatem graſſari poſſunt, quam bonis artibus fauendo ſubueniendoque. SIGISM. FRITZSCH. de

praecipuis antiquioribus et recentioribus literarum ſtatoribus ac Maecenatibus diſſ. II.

§. CLXXXVI.

De libris ſcribendis, legendis, diiudicandis, dictum §. XVIII-XXII; nunc de notitia librorum acquirenda cogitabimus. Indicibus omnibus longe praeferenda eſt αὐτοψία.

1) Scriptores ad librorum notitiam ducentes pleniſſime enumerat catalogus bibliothecae Bunauianae tom. I, pag. 468. Quibus aditus ad bibliothecas locupletiores patet, iſti hanc opportunitatem non parui pendant. Bibliothecas celebriores indicauit STRUV. in introd. ad notitiam rei literariae. Quod ſi libros ipſos inſpiciendi poteſtas non detur, in catalogis uel publico uel poſſeſſoris cuiusque iuſſu accurate confectis acquieſcendum eſt; pluris aeſtimantur ii, quibus annotationes hiſtoricae aut criticae aſperguntur. Bibliotheca Caeſarea Vindobonenſis caput inter omnes dudum extulit. Magnificum, quo reconditur, aedificium in aere Kleiner. et Sedelmaier. exprimere, nos autem deſcriptione qualicunque illuſtrare conati ſumus. Commentarios Auguſtae huius bibliothecae a LAMBECIO coeptos continuauit NESSELIUS. Guelferbytanae bibliothecae copioſiſſimae hiſtoriam et ſingularia tradidit CONRING. Dresdenſem bibliothecam deſcripſit GOEZ. Ciuitates nonnullae et Academiae inſignes librorum theſauros cuſtodiunt, ſed paucorum extant indices. Literatorum nonnulli rei communi bene conſuluerunt, quod librorum

brorum ſuorum apparatum, dum uiuerent, literis diuulgarunt. Exempla praebuere IO. FABRICIUS, IO. BURCKH. MENCKE, REIMMANNUS, UFFENBACH, STOLLIUS, et, qui omnes antecellit, illuſtriſſ. Comes DE BUNAU. Bibliothecarum poſt obitum poſſeſſoris uenum exponendarum catalogi plerumque negligentius conſarcinantur; laudantur tamen catalogi bibliothecae Schraderianae, Gundlingianae, Ludwigianae, Rinkianae, Loeſcherianae. 2) Indices librorum uniuerſales nobis ſuccurrant, etiamſi non ex omni parte perfecti ſint aut fide digni. Vid. IO. GOTTF. UNGER. diſſ. de libris bibliothecarum nomine notatis, ubi centum et triginta recenſentur. Notus eſt CONR. GESNERUS cum ſuis continuatoribus, DRAUDIUS, LIPENIUS; VOGLERI introductionem in notitiam cuiusque generis bonorum ſcriptorum auxit MEIBOMIUS, BOECLERI bibliographiam criticam nouo ueſtitu donauit KRAUSIUS, qui etiam adornauit *die umſtändliche Bücher-Hiſtorie*, CASP. GOTTSCHLING. edidit *Einleitung zur Wiſſenſchafft guter und meiſtentheils neuer Bücher.* Prodeſt et eruditis et bibliopolis THEOPH. GEORGII *allgemeines Europäiſches Bücher-Lexicon.* 3) Alii in certo quodam librorum genere deſcribendo deſudarunt. Sic mira induſtria IO. ALB. FABRICIUS concinnauit bibliothecam graecam et latinam, item bibliographiam antiquariam, IO. CHRIST. WOLFF. bibliothecam hebraicam, STRUV. bibliothecam hiſtoricam, philoſophicam, iuridicam &c. Reliquos iam ſuis locis aſſignauimus.

§. CLXXXVII.

§. CLXXXVII.

Faciliori negotio ad librorum notitiam hodie perueniunt, quos diaria literaria perluſtrare non piget. Nonnulla inſcriptiones librorum tantum referunt, alia librorum argumenta recenſent, adduntque iudicia et uarias obſeruationes exhibent.

Ephemeridum literariarum tanta copia, ut earum perquirendarum ſtudium hodie non ſit poſtrema pars hiſtoriae literariae. CHRIST. IUNCKERI ſchediaſma hiſtoricum de ephemeridibus ſiue diariis eruditorum. CAMUSAT hiſtoire critique des Journaux. BOUCHER d'ARGIS Hiſtoire abregée des Journaux de Jurisprudence Françoiſe pour ſervir de Supplement à l'Hiſtoire critique des Journaux de CAMUSAT. STRUV. cit. loc. cap. 5. et Hiſtoire des Journaux, tirée de l'Introduction à la connoiſance des Livres &c. de Mr. STRUVE, mais rectifiée et augmentée, dans les Memoires de Trevoux, Fevrier, 1712. p. 217-236. et dans les Journal des Sçavans, Octobr. 1712, p. 444 et ſuiv. Edit. d'Amſt. *Curieuſe Nachricht von denen heut zu Tage grand - Mode gewordenen Journal-Quartal-und Annual-Schrifften*, auctore MARCO PAULO HUHOLD. Notitiam diariorum literariorum Europae ampliſſimam MORHOFII Polyhiſtori praemiſerunt IO. ALB. FABRICIUS et IO. IOACH. SCHWAB. Multa defierunt, ſed multo plura uigent etiamnunc et quotidie naſcuntur noua. Memoriae obuerſantur THOMASII et TENZELII colloquia menſtrua, *Neue Bibliothec*, *Neuer Bücher-Saal*, Acta eruditorum, *Zuverläſſige Nachrichten*, *Freymüthige Nach-*

Nachrichten von neuen Büchern, *Berliniſche Bibliothec*, *Critiſche Bibliothec*, *Halliſche*, *Hannoveriſche*, *Erlangiſche &c. Anzeigen*; Journal des Scavans, Bibliotheque univerſelle auctore CLERICO, Nouvelles de la republique des lettres auctore BAYLIO, Hiſtoire des ouvrages des Scavans (HENRICI BASNAGII), Memoires des Trevoux, Bibliotheque raiſonnée, Bibliotheque impartiale &c. Et quis omnes nouellas literarias enumeret? Vid. HEUMANNI conſpectum pag. 25 et 319. *Vollſtändige Einleitung in die Monaths - Schrifften der Teutſchen.* Erlang. 1747. Quum multi libelli academici, qui mole ſua ſe tueri nequeunt, obliuione ſepeliantur, nunc bono conſilio apud nos recenſio omnium commentationum academicarum typis exſcriptarum quotannis prodibit; nec acta ſcholaſtica BIDERMANNI negligenda ſunt. 2) Erecta de libris iudicia ad ueram eruditionem contendentibus multum lucis accendunt, ſed nulla prouincia durior eſt quam cenſoris. Conf. THOM. POPE BLOUNT cenſura celebriorum auctorum. BAILLET Jugemens des Scavans. Huc etiam pertinent libri: *Ana* dicti, de quibus uid. WOLFFII et LILIENTHALII diſſ. OBSERVAT. HALENS. germanicae Part. II, num. 8. Bibl. BUNAU. P. II p. 1735. MAIZEAUX duob. uol. in 8 collegit Scaligerana, Thuana, Perroniana, Pithoeana et Colomeſiana. Ad auctoris ſcopum librorumque hiſtoriam multum ualent interdum dedicationes et praefationes. Vid. DAN. FRID. IANI diſſ. hiſtor. et literaria de fatis dedicationum librorum. EL. SILBERRAD. diſſert. de dedicationum literariarum moralitate. FRIED. PETR. TACK. commentatio hiſtorica et literaria

teraria de dedicationibus librorum. 10. SAM. STRYK. diſſ. iuridica de iure praefat. GOTTL. HENR. PIPPING. diſſ. de imprecationibus libris adſcriptis.

§. CLXXXVIII.

In tam immani librorum copia arduum eſt definire, qui libri ſint optimi. Multi libros non ſeligunt, ſed colligunt; alii conquirunt rariores, manu ſcriptos, improbatos.

1) conf. §. XX et XXII. Criterium boni libri a cel. HEUMANN. conſp. p. 329 exhibitum minus quidem fallit, ſed uix exſpectandum eſt, ut liber uno ore laudetur. adde eiusd. programmata de bibliotheca ſelecta in Poecil. t. III L. IV. THOM. CREN. de libris ſcriptorum optimis et utiliſſ. diſſ. V. Quid de libris mutilatis et poſthumis iudicandum ſit, uid. apud HEUMANN. c. l. p. 343, 350. 2) De raritatis librorum cauſſis uariis diſſeruit WENDLER. item SHELHORN t. II amoenit. lit. p. 321. 10. VOGTII catalogum librorum rariſſimorum ſuppleuit FREYTAG. Nouam librorum rariorum collectionem edidit HIERON. AUG. GROSCHUFF. accedit DAN. GERDESII florilegium hiſtorico - criticum librorum rariorum. Catalogus *von den rareſten Buchern und MSctis, welche in der Hiſtoria liter. noch nicht zum Vorſchein gekommen, Francof.* 1726. SAM. ENGEL. bibliotheca ſelectiſſima. Bibliotheque curieuſe hiſtorique et critique ou catalogue raiſonne des livres difficiles à trouver par DAV. CLEMENT Maximum libri decus, ſi mendorum purus prodeat; qua in re iure ſuo ueterum quorumdam, eorumque

que eruditorum, typographorum officinae, quas cognoſces ex STRUVII introd. in rem lit. c. ult. et FABRICII bibl. lat. t. I p. 885 ſq. et in ſupplem. Centuriam correctorum in typographiis eruditorum protulit IO. CONR. ZELTNER. HIERON. HORNSCHUCH. dedit ὀρθοτυπογραφιαν germanice uerſam ſub titulo: *der bey Buchdruckereyen wol unterrichtete Corrector*, 1739. Nonnullos libros non praeſtantia ſua, ſed ſcelus raros fecit, ut librum de tribus impoſtoribus. uid. IO. GOTTL. KRAUSE *neueſte Nachricht von dem Buche de tribus impoſtoribus in der Bücher-Hiſtorie* P. II p. 28. (§. XIX huius libri). IO. CHR. KLOZ. diſp. de libris auctoribus ſuis fatalibus. SCHELHORN. de uariis poenis in libros ſtatutis c. l. t. VIII p. 338. ANDR. WESTPHAL. de libris publica auctoritate combuſtis. SCHELHORN. de eod. argum. t. VIII p. 463, t. VIIII p. 651 & 752. CHR. SCHOETTGEN. commentationes de indicibus librorum prohibitor. et expurgand. DAN. FRANCI diſquiſ. de Papiſtarum indicibus librorum prohibitorum. STRUV. c. l. c. 9. §. 2.

§. CLXXXVIIII.

An noui ſcriptores praeſtent antiquis, uana diſceptatio.

Veteres ingenii et induſtriae gloria noſtris non ſunt inferiores, ſed uarias artes dies et rerum uſus expoliuit. Haec controuerſia maxime feruebat, claſſicum canente CAROLO PERRALTO in carmine: *le Siecle de Louis le Grand*. Hiſtoriam litis memorat STOLL. in hiſt. erudit. cap. prooem. §. 22. Libellos eriſticos enumerat Catal. bibl. BUNAU.

BUNAU. p. 452. PERRALTO recentiorum cauſſam dicenti renitebantur DACIER, BOILEAU, TEMPLE. conf. IO. ALB. FABRICII progr. ueteresne recentibus, an priſcis noſtra aetas palmam ingenii cedere debeat. IO. CHPH. OTTONIS diſſ. de aeſtimanda ueterum et recentiorum eruditione. HEUMANN. c. l. p. 432.

§. CLXXXX.

Vniuerſae reipublicae literariae ſtatu perſpecto, ii, quorum intereſt, ad ſingularium regnorum, prouinciarum, ciuitatum notitiam literariam tranſeant.

1. Germanorum hiſtoriam literariam explanare ſtuduit REIMMANN. HACHENBERG. in Germania media. WALCH. progr. de Germania hiſtoriae literariae ſplendore noſtra in primis aetate, illuminata. (uid. §. CLXXVIII, 4.) Quidam ingenia Germanorum aduerſus obtrectationes exterorum uindicarunt, ut IO. FR. CRAMER. RICHEY, GOTTSCHED, IO. GOTHFR. WALTHER. Ephemeridum Germaniae notitiam ſuggerit *die vollſtändige Einleitung in die Monathſchrifften der Teutſchen*, quae Erlangae prodit. Quae §. CLXXXVII attulimus, illis adiungimus *Bibliotheque Germanique*, *Journal litteraire d'Allemagne, de Suiſſe, et du Nord*, *Helvetiſche Bibliothec*, Tempe Heluetica, Muſeum Helueticum.

2. Ad Gallorum rem literariam pertinet CLAUDE PIERRE GOUJET bibliotheque Françoiſe ou hiſtoire de la literature Françoiſe. a. 1741 ſq. 12. Hiſtoire literaire de la France par des Religieux Bene-

Benedictins de la congregation de S. Maur. 1733 ſq. 4. Bibliotheque Françoiſe. 1733 ſq. 8. Actes literaires 1750. 12. SCAEVOLAE SAMMARTHANI elogia Gallorum. CHARLES PERRAULT les hommes illuſtres, qui ont paru en France pendant un Siecle.

3. Anglicam hiſtoriam literariam illuſtrant BALAEUS, TANNER. *Bibliotheque Angloiſe, memoires de la grande Bretagne, Bibliotheque Britannique. The britiſh librarian.* HENR. LUDOLPH. BENTHEMS *Engelländiſcher Kirchen - und Schulen - Staat.* Lettres ſur les Anglois par M. de VOLTAIRE.

4. Cur humanitatis ſtudiis maius hodieque a Batauis, quam a Germanis ſtatuatur pretium, disquiſiuit in progr. IAC. BURCKHARD. Bibliothecas Belgicas compoſuerunt VALER. ANDREAS et IO. FRANC. FOPPENS. adde FRANC. SWEERTII Athenas Belgicas. Bibliotheque Belgique. a. 1731. 12. Les lettres ſur les Hollandois.

5. De Italorum ſtudio literario uid. MURATORII differt. aliquot in antiquit. Ital. med. aeui t. II et III. GIACINTO GIMMA idea della ſtoria dell' Italia letterata. IO. ALB. FABRIC. conſpectus theſauri litterarii Italiae. *Giornale de letterati d'Italia, Oſſervazioni letterarie. Bibliotheque Italique. Raccolta d'opuſcoli ſcientifici e filologici.*

6. Poloniam literatam noſtri temporis hoc anno deſcripſit IO. DAN. IANOZKI, qui etiam de literarum in Polonia inſtauratoribus et propagatoribus commentatus eſt. *Die Polniſche Bibliothec* de libris ad Poloniae & Pruſſiae hiſtoriam pertinentibus differit. *Das erläuterte Preuſſen* iam laudauimus §. CLXV, 4. add. *das gelehrte Preuſſen,*

N cum

cum continuat. De re literar. Hungar. uid. §. CLXV, 5. Hiſtoriae Hungaricae literariae antiqui, medii atque recentioris aeui lineamenta &c. prodiere ſtudio et ſumtu H. M. Hungari, Alton. et Serueſt. 1745. De praeſenti Ruſſiae literariae ſtatu exſtat epiſtola a. 1725 ſcripta in append. ad Vol. I act. nat. curioſ. p. 131. uid. §. CLXV, 6. Bibliothecam ſeptentrionis eruditi collegit IO. MOLLER. Nec omittenda eſt OL. WORMII Danica literatura antiquiſſima, ALB. THURA idea hiſtoriae literariae Danorum. *Däniſche Bibliothec*. IO. MOLLERI Cimbria literata. *Schwediſche Bibliothec*. Acta literaria Sueciae. *Der Königl. Schwed. Acad. der Wiſſenſchafften Abhandlungen*. Literarum fata apud barbaros inueſtigabit, cui libet ac licet. Ampliſſimam hiſtoriae literariae particularis ſcriptorum notitiam repetimus ex catal. bibl. BUNAU. t. I p. 545. De Sinenſium, glorioſae nationis, eruditione memoriae prodidere multa THEOPH. SPIZEL. RENAUDOT, PARENNIN, DU HALDE. BAYER in muſeo Sinico. FOURMONT. de literatura Sinica.

§. CLXXXXI.

De ſcholarum et academiarum conſtitutione §. VI - XV diximus. Hiſtoria earumdem literaria hodie patet latiſſime.

1. Hiſtoriam ſcholaſticam GE. STAMPEL. hiſtoriam originis ac progreſſus ſcholarum inter Chriſtianos GE. GOTHOFR. KEUFFEL conſcripſit. Antiquitates hebraicas ſcholaſtico - academicas expoſuit GE. URSIN. THEOPH. CHPH. LILIENTHAL in meditatione

tione epiſtolica de Νομικοῖς, Iuris utriusque apud Hebraeos doctoribus priuatis diſſeruit; GE. NIC. KRIEGK. commentatio de iuſtitiae ſcholis apud Perſas. IO. ANDR. SCHMID. de gymnaſiis literariis Athenienſium. IO. GE. WALCH. de gymnaſiis literariis ueterum Rom. Ad mediam aetatem pertinet IO. LAUNOII liber de ſcholis celebrioribus ſeu a Carolo M. ſeu poſt eumdem per occidentem inſtauratis. CHR. SCHOETTGEN. diatribe hiſtorico-literaria de ſtatu ſcholarum ante Reformationem. IAC. BURCKHARD. diſſ. de uariis Germaniae ſcholarum a Caroli M. temporibus usque ad ſaec. XVI mutationibus.

2. Bibliothecam hiſtoricam academicam CONRINGII antiqu. acad. adiectam debemus HEUMANNO. Hiſtoriam academiarum declarant FRID. LUCAE *Europäiſcher Helicon*; IO. GE. HAGELGANS orbis literatus academicus Germanico-Europaeus. Scriptores hiſtoriae ſcholarum, academiarum, itemque ſocietatum literariarum larga manu exhibet catal. bibl. BUNAU. t. I p. 887.

CAPUT XXVI.

DE PHILOSOPHIA.

§. CLXXXXII.

Si philoſophos hodie audias, eorum ſcientia rerum omnium, quae cogitari poſſunt, rationem ſufficientem reddit, atque adeo nullis terminatur finibus; ſed uulgo philoſophia a di-

ſciplinis primariis et artibus liberalibus ſecernitur.

De uaria philoſophiae uocis ſignificatione uid. WALCHS *Entwurff der allgemeinen Gelehrſamkeit* p. 128. De uoce philoſophiae, germ. *Weltweisheit*, agit HEUMANN. in act. philoſ. P. I. De uera philoſophiae notione, eiusque ab aliis ſcientiis diſcrimine uid. diſſ. HOLLMANNI. It. Obſ. Halenſ. t. VI n. 20.

§. CLXXXXIII.

Vt nemo neſcit, philoſophiam rationis lumine niti, quod uel prauitate uel imbecillitate mentis ſaepius obſcuratur: ita mirum non eſt, ueritatem iam antiquiſſimis temporibus miſere afflictam diſcerptamque fuiſſe, quam, Dei ſingulari beneficio, in ſolis literis ſacris integram ſeruatam ueneramur.

1. Veram philoſophiae originem in exercitatione quadam acad. oſtendit ULRIC. OBRECHT. HEUMANN. in act. philoſoph. t. I p. 246 *von dem Urſprung und Wachsthum der Philoſophie.* FEUERLINI diſſ. de philoſophia Adami putatitia. VOCKERODT. conſultat. de philoſophiae pretio, uſu et abuſu.

2. Hiſtoriam philoſophicam rimati ſunt VOSSIUS, IONSIUS, STANLEIUS, IAC. THOMAS. BUDDEUS, WALCH. HEUMANN. GENTZKEN. SCHMERSAHL, et, qui perfecit opus, IAC. BRUCKERUS. Quidam hiſtoriam philoſophicam ſyſtematibus ſuis praemiſerunt, ut HEINECC. elementis philoſoph. rat. et moralis, IUNCKER. et FEUERLIN. tabulis ſuis.

WALCH.

WALCH. introduct. ad philoſoph. Plures producit STOLL. in hiſt. liter. P. II c. I. STRUV. in bibl. phil. c. 3. *Hiſtoire critique de la philoſophie* auctorem agnoſcit DES LANDES.

3. Nomenclatorem ſcriptorum philoſophic. atque philologic. edidit ISRAEL SPACH. Bibliothecas philoſophicas adornarunt PAUL. BOLDUANUS, LIPEN. STRUV. Vitas ueterum philoſophorum deſcripſerunt PLUTARCHUS, DIOG. LAERTIUS, PHILOSTRATUS, EUNAPIUS, HESYCHIUS. Ex recentioribus notetur HENRY GAUTIER Bibliotheque des Philoſophes et des Sçavans tant anciens que modernes. WINDHEIM. *philoſophiſche Bibliothec*, uid. STRUV. bibl. phil. c. III.

§. CLXXXXIIII.

Philoſophia tripartita eſt, ebraica, ethnica, chriſtiana.

Vid. BUDDEI introduct. ad hiſtoriam philoſophiae ebraeorum. FR. ANDR. WALTHERS *Geſchichte der Weltweisheit der alten Hebräer.* HEUMANNS *Nachricht von der Philoſophie der Patriarchen oder alten Hebräer* in actis philoſoph. t. I pag. 755. t. II pag. I. De tribus ſectis Iudaeorum, Phariſ. ſcil. Sadduc. et Eſſaeorum ſcripſerunt NIC. SERRARIUS, IOS. SCALIGER, IO. DRUSIUS, AUG. PFEIFFER; HEUMANNS *Abhandlung von den Therapevtis*, *Jüdiſchen philoſophis in Ægypten* tom. III pag. 503. Origines philoſophiae myſticae ſiue Cabalae ueterum Ebraeorum explicant *Obſeru. Hall.* tom. I, obſ. I. et Cabala denudata (auctore KNORRIO).

§. CLXXXXV.

Ethnica philoſophia diuiditur in barbaricam, Graecam et Romanam; barbarica in Aſiaticam, Africanam et Europaeam; Aſiatica reſpicit Chaldaeos, Perſas, Phoenices, Arabes, Indos, Sabaeos, Sinenſes.

Conf. CHRIST. KORTHOLT de origine, progreſſu et antiquitate philoſophiae barbaricae. STANLEI philoſophia orientalis; OTT. HEURNII Babylonica, Indica, Ægyptiaca &c. philoſophiae primordia. HEUMANN. catalogus ſcriptorum de philoſophia ueterum in oriente barbarorum in actis philoſ. Part. VIII p. 173 et Part. XV p. 485. ERNEST. FRID. NEUBAUER. programma de quaeſtione: an nullae inter Chaldaeorum philoſophos fuerint ſectae? THOM. HYDE hiſtoria religionis ueterum Perſarum. De Zabiis diſſertationes habuerunt GUST. PERINGER, IO. CHRIST. WOLFF, IO. HENR. MAIUS; LACKEMACHER de fatis ſtudiorum apud Arabes. Philoſophiam Turcicam in oratione propoſuit SAM. SCHELGUIG. IO. LEO de uitis philoſophorum Arabum ſcripſit. De Brachmanibus, ueterum Indorum philoſophis, extant diſſertationes ELIAE OBRECHTI et IO. ALB. FABRICII. De Gymnoſophiſtis Indorum diſſertatio IO. SCHMIDII. De Sinenſium ſcientia uid. §. CLXXXX, 6. Hic addimus LEIBNIZII Lettres ſur la philoſophie Chinoiſe, REIMMANNI hiſtoriam philoſophiae Chinenſis, WOLFFII orationem de philoſophia Chinenſium, IO. GE. PRITII orat. de controuerſia circa cultum Confucio a Sinenſibus praeſtitum in eccleſia Romana inter Soc. Ieſ. Patres

Patres et Dominicanos agitata. 2) HEUMANNS *Abhandlung von der Philoſophie der alten Ægyptier*; IAMBLICHUS de myſteriis Aegyptiorum; IO. CONR. SCHRAMM. progr. de philoſophia Canadenſ.

§. CLXXXXVI.

Europaea philoſophia ad nos eo magis ſpectat, quo maiorem Europae partem populi Germanicae originis incolunt. Quare philoſophiam Scytharum, Celtarum, Gothorum, Thracum ſcire iuuabit.

IO. LOMEIERI diſſ. de ueterum Scytharum philoſophia. ULRIC. OBRECHT. de philoſophia Celtica. PHILIPP. FRID. HAHNE de ingeniis gentium borealium philoſophicis. FABIAN. TOERNER. de ueterum Gothorum ſapientia. OLAI RUDBECKII Atlantica. De Druidis uariae occurrunt commentationes, quarum nonnullas collegit IO. GE. FRICKIUS.

§. CLXXXXVII.

Philoſophiam graecam alii diuidunt in mythicam et realem; alii in empiricam et theoreticam. Theoretica initio tres gignebat ſectas, Ionicam, Eleaticam et Italicam, auctoribus Thalete, Xenophane et Pythagora. Quod ad practicam philoſophiam attinet, nullus Socrate nominis fama maior; quamquam diſcipuli eius nouas inſtituerint ſectas, ut Plato academicam; huius autem diſcipulus Ariſtoteles peripateticam, Ariſtippus Cyrenaicam, Phaedo Eliacam,

Euclides Megaricam, Antiſthenes Cynicam, Epicurus Epicuream, Zeno Stoicam, Pyrrho Pyrrhonicam ſiue ſcepticam.

Hiſtoriam et dicta illuſtriorum ſeptem Graeciae ſapientum diſſertationibus VIII expoſuit BUDDEUS. add. HEUMANNS *Abhandlung von den ſieben Weiſen in Griechenland* in actis philoſoph. t. II p. 493. IO. FRICK. de ortu philoſophorum apud Graecos. REINH. HENROLL. de ſectarum philoſophicarum ſcriptoribus graecis potioribus diſſert. II. De philoſophia Ionica uid. HEUMANNI acta philoſoph. tom. III pag. 159. Scriptores philoſophiae Italicae recenſet idem cit. loc. Part. II p. 370, Part. IV p. 751, Part. IX p. 487. Philoſophiae Cynicae Part. XII. p. 899. philoſophiae Stoicae Part. IV p. 730, Part. VII p. 161, Part. IX p. 478. CARPENTAR. *les choſes memorables de Socrate.* Ariſtotelicae philoſophiae uniuerſam hiſtoriam atque dogmata cum ueterum placitis collata declarauit FRANC. PATRICIUS in diſcuſſionibus peripateticis. IO. LAUNOIUS de uaria Ariſtotelis in acad. Pariſ fortuna, cui accedit IO. IONS. diſſ. de hiſtoria peripatetica. HANSCH. de enthuſiaſmo platonico. IEAN PIERRE de CROUSAZ *Examen du Pyrrhoniſme ancien et moderne.*

§. CLXXXXVIII.

Romani una cum aliis Graecorum artibus philoſophiam quoque adoptabant; nonnulli Epicuri, alii Platonis, plures Stoicorum dogmata ſecuti.

Conf.

Conf. PAGAN. GAUDENT. de philoſophiae apud Romanos initio et progreſſu. Epicuro adhaerebat LUCRETIUS; CICERO Platoni; Stoicam philoſophiam colebant CATO, SENECA, ANTONINUS Imp. plurimique ICtorum. Quamobrem ad Pandectas rite interpretandas etiam nunc commendatur huius philoſophiae cognitio. De philoſophia ueterum ICtorum Stoica uaria docuerunt EV. OTTO, BOEHMER, SCHAUMBURG, HERING. et GUNDLING. add. LIPSIUS manuduct. ad philoſophiam Stoicam.

§. CLXXXXVIIII.

Vera philoſophia ut Chriſti doctrinae non aduerſatur: ita falſa putanda eſt, quam Apoſtoli reiecerunt. Nonnulli patres eccleſiae ſibi Platonicam et Stoicam philoſophiam probabant. Poſtea caput extulit Ariſtoteles, cuius ſententiae cum AVICENNAE et AVERROIS, itemque theologiae dogmatibus permixtae procrearunt philoſophiam ſcholaſticam.

GURTLER. oratio de fatis philoſophiae in eccleſia Chriſtiana. IO. GOTTL. HEINECCIUS de philoſophis ſemichriſtianis. MOSHEIMII diſſ. de turbata per Platonicos religione Chriſtiana. Le Platoniſme devoilé. BALTUS defenſe des Saints Peres accuſés de platoniſme. Per ſcholaſticos omnis rerum diuinarum et humanarum ſcientia obſcurata fuit. Anteſignani eorum erant PET. ABAELARDUS, PETR. LOMBARDUS, ALBERTUS MAGNUS, THOMAS AQUINAS, IO. DUNS. SCOTUS, WILH. OCCAM, DURANDUS, GABR. BIEL, quorum non-

nulli ſectas inſtaurarunt. MORHOF. de doctoribus ſcholaſt. in Polyh. Part. II lib. 1 cap. 13 ſqq. IAC. THOMAS. de doctoribus ſcholaſt. ADAM. TRIBBECHOVIUS de doctorib. ſcholaſt.

§. CC.

Redeuntibus literis ſacrisque integriorem faciem induentibus, alii ueterum ſapientum, Ariſtotelis praecipue et Platonis, auctoritatem reſtituere conati ſunt; alii eclecticam philoſophandi rationem profiteri coeperunt.

Vid. MAR. NIZOL. de ueris principiis et uera ratione philoſoph. contra pſeudophiloſophos. BOIVIN. diſſ. de contentione Platonicos inter atque Ariſtotelicos ſaec. XV agitata inſeruit HEUMANN. actis philoſ. Part. X p. 537. Scholaſticorum ineptias excuſſerunt DESID. ERASMUS, LAUR. VALLA, LUDOV. VIVES, RUDOLPH. AGRICOLA. Platonicae philoſophiae dediti erant GEMISTUS PLETHO, BESSARION, Cardin. MARSIL. FICINUS; Ariſtotelicae IO. ARGYROPOLUS, GEORG. Trapezunt. HERMOL. BARBARUS, IAC. FABER. PHIL. MELANCHTHON. BART. KECKERMANN. philoſophi Altdorfini; Stoicae IUST. LIPSIUS, Epicureae PETR. GASSENDUS.

§. CCI.

Sectaria quidem philoſophia hominem ratione ſua quaſi priuat ac libertate, multaque damna eruditioni affert; ſed noli tibi perſuadere, eclecticam ex omni parte pulchram eſſe et ſalutarem. Nonne ſaepius allicit ad ſcepticiſmum,

mum, ſyncretiſmum, fanaticiſmum, atheismum? Quid? quod hodie multis eſt aſylum ignorantiae.

PETR. RAMUS ab Ariſtotele diſſentiens ſectam Rameam inſtituit. Scepticorum partes tuebantur FRANC. SANCHEZ, DE LA MOTHE LE VAYER, HENR. CORN. AGRIPPA, BAYLE; in atheiſmum incidit SPINOLA; ineptiis ſcatent CARDANUS et CAMPANELLA. Alii opus cordatius aggreſſi plus profecerunt, FRANC. ſcil. BACO de Verulam. RENAT. CARTESIUS, GROTIUS, CHRIST. THOMASIUS. Conf. WESENFELD. de philoſophia ſectaria et electiua; ZOPF de origine philoſophiae eclecticae, STURM et OLEARIUS de philoſophia eclectica. EHRENBERGER. diſſ. de ſtudio nouitatis in philoſophia. HOLLMANN. de reformatione philoſophica, condendisque libris in philoſophia ſymbolicis. VAL. ERNST LOESCHER. hiſtoria enthuſiaſmi philoſophici. BUDDEUS et CHRIST. ALB. ERCK de ſyncretiſmo philoſophico. IO. CHRIST. WOLFF. de ſcepticiſmo philoſophico, eiusque cauſis. STURM. de Carteſianis et Carteſianiſmo. Voyage du monde de Deſcartes. De philoſophia Carteſiana ſcriptores complures exhibet STRUVII Bibliotheca philoſoph. p. 118 et 236. Vix omnes appellare licet, quae noſtra aetate ſyſtemata philoſophiae in lucem emiſerunt. Memoriae offeruntur BUDDEUS, WALCHIUS, HEINECCIUS, FEUERLINUS, SCHMIDIUS, AEPINUS, SYRBIUS, LEHMANN. AUGUST. FRID. MULLER, GENZKEN. RUDIGER, BUTTNER, HOLLMANN, GOTTSCHED, ERNESTI, FROBESIUS, WINCKLER. BAUMEISTER. Ex Gallis BUFFIER, PIERRE CAL-

LY,

LY, POURCHAT, LE LEVEL. Suppetunt etiam Lexica WALCHII, CHAUVIN.

§. CCII.

Philoſophia noua, cuius auctores LEIBNIZIUM et WOLFFIUM Muſa uetat mori, ad exquiſitam rerum cognitionem ducit. Fuit aliquamdiu ſectaria, ſed uideant alii, annon hodie a commentatoribus obſcuretur magis, quam illuſtretur.

Non mirum, hanc philoſophiam, ut nouam, initio contumeliis acerbis laceratam fuiſſe. Fata illius enarrat CAR. GUNTHER. LUDOVICI et GE. VOLCKM. HARTMANN. Conf. etiam WOLFFII *ausführliche Nachricht von ſeinen eigenen Schriften.* Cum multi ſectatores in cortice haereant, philoſophiae huius fructus in alias diſciplinas, ut par eſt, nondum redundarunt.

§. CCIII.

Subtilius diſquirere nolumus, quot diſciplinas complectatur philoſophia, quo ordine iſtae ſint proponendae; nec de methodo philoſophandi diſceptabimus, eam optimam exiſtimantes, quae ex principiis certis reliqua legitimo modo colligit.

Vid. STRUVII biblioth. philoſophica cap. 3 §. 17 et 18. WALCHENS *Gedancken vom philoſophiſchen Naturel.* WOLFFII ratio praelectionum.

§. CCIV.

§. CCIV.

In tanta philoſophandi licentia ac diuerſitate cum uix habeat, ubi mentem figat legum ſtudioſa iuuentus, uerae non ſimulatae philoſophiae ſectatrix: haec conſilia ſecum reputet.

1. Quia poſtulandum non eſt, ut ſuo quisque ingenio ueritatis iam diu detectae quoduis genus indaget, duce quidem opus eſt; ſed ideo iurabis in uerba nullius.
2. Talem ducem eliges, qui ſanam rationem principium habet cognoſcendi, qui experientiam magiſtram ſequitur, qui diſcipulos, ut ſententias ſuas expendant, ipſi adhortatur, qui non iraſcitur aliis a ſe diſſentientibus.
3. Philoſophia tota dubia non eſt; ueritates igitur firmiſſimas ac primarias diſces; ineptias, nugas et ſubtilitates nimias uitabis. Sic paucis erit philoſophandum.
4. Caue exiſtimes, philoſophiam omnium artium eſſe principem, reliquas omnes appendices; haec faſtum produnt et inſignem imperitiam. Multi uana hac opinione turgentes inutilia terrae pondera euaſerunt.
5. Memento, Theologiam non rationis tantum, ſed et alio niti fundamento eoque firmiori; memento, leges ac conſuetudines non ſine ratione ſufficiente fuiſſe ſtabilitas; ſed ratio licet minus ſit idonea, licet nobis ſit obſcura, legi tamen obtemperandum eſt.
6. Suſpecti ſunt illi philoſophi doctores, qui, ueris iuris prudentiae fontibus et adminiculis neglectis, ſemper de methodo diſputant, legislatorem maledictis inſectantur, definitiones nouas,

ſed

ſed deceptrices condunt. Conſiderent uelim, philoſophiam a iurisprudentia non abſolute, ſed hypothetice tantum admitti. Philoſophiae et iurisprudentiae cognationem monſtrarunt multi. Conf. DAN. GUIL. MOLLERI diſſ. de indiſſolubili nexu philoſophiae cum iurisprudentia; IO. HENR. MYL. diſſ. de coniunctione iurisprudentiae cum philoſophia; IOH. SHUTE de ſtudio philoſophiae coniungendo cum ſtudio iuris Romani; IOH. NIC. FUNCC. de uſu philoſophiae in ſtudio iuris; VBERT. FOLIETA de philoſophiae et iuris ciuilis inter ſe comparatione; GOTTL. SLEVOGT de ſectis et philoſophia iurisconſultorum; IOH. REFTELIUS de philoſophia iuridica; IO. BRANDES, LUD. MALQUYTIUS et EVERH. OTTO de uera non ſimulata iurisconſultorum philoſophia; CHRISTIAN. WOLFF. de habitu philoſophiae ad publicam priuatamque utilitatem aptae in horis ſubſeciuis Anni 1729. GOTTSCHEDS *Rede daſs ein Iuriſt ein Philoſoph ſeyn müſſe.*

CAPUT XXVII.
DE LOGICA.

§. CCV.

In nullo litterarum ſtudio feliciter progrediemur, niſi mentis noſtrae uim ueritatem cognoſcendi ſatis excitauerimus, quo negotio occupatur Logica, quam alii dialecticam, philoſophiam inſtrumentalem, rationalem, artem cogitandi dicunt.

Uterque

Uterque fallit, et qui mentis noſtrae uiribus omnia, et qui nihil tribuit. Deus animo noſtro lumen indidit haud ſpernendum; idem Deus rationem ueritate ſublimiore patefacta adiuuat. Caute igitur tam in logica quam in iure naturae de mentis caecitate diſputandum eſt, ne, dum naturaliſmum uitare ſtudemus, incidamus in enthuſiasmum. Notae ſunt DAN. HOFFMANNI et PET. POIRETI opiniones peruerſae. Nota eſt BAYLII et IAQUELOT. controuerſia. COLLIN de la liberté de penſer refutatus fuit a BENTLEIO, BUDDEO, CROUSAZ. LEIBNIZIUS in Theodicaea acute diſſeruit de concordia rationis et fidei. LOCK. de enthuſiasmo.

§. CCVI.

Sapientes ueteres ui ueritatis perſpiciendae menti iam inſita contenti nullas regulas logicas docebant. Ariſtoteles primus Logices architectus putatur.

De natura et conſtitutione Logices commentatur VOSSIUS. Hiſtoriam Logices WALCHIUS inſeruit parergis Academicis, cui adiungas REIMMANNI *critiſirenden Geſchichts-Calender von der Logic*. IOH. ALB. FABRICII ſpecimen elenchticum hiſtoriae Logicae; LUDEWIGII hiſtoriam rationalis philoſophiae apud Arabes et Turcas; KECKERMANNI praecognita Logica; GASSEND. de origine et uarietate Logices; WEGNERI diſquiſitionem de origine Logices; KOCHII initia et incrementa polyhiſtoris Logici. Nonnulli compendiis ſuis Logicis hiſtoriam huius ſcientiae praemiſerunt, ut BUDDEUS, SYRBIUS, THOMASIUS; GROS-

SER *in der Einleitung zur wahren Erudition* p. 780. Bibliographiam Logicam debemus FROBESIO; FEUERLINUS uarios modos Logicam tradendi in diſſert. ſingulari expoſuit.

§. CCVII.

Etſi Ariſtotelis organon non tam ueri indagandi remedia, quam artem uerboſe ac ſophiſtice diſſerendi tradit; illius tamen praecepta ubiuis terrarum regnare coeperunt. Quare PETR. RAMUS crabrones ſibi funeſtos excitauit, cum animaduerſiones in Ariſtotelem atque inſtitutiones dialecticas Ariſtotelicae ſententiae contrarias diuulgaſſet.

Ut ZABARELLAM, aliosque ueteres Ariſtotelis commentatores omittam, honos huius magni philoſophi inter cultiores philoſophos nondum plane interiit. Exempla non temnenda praebent PHILIPPUS MELANCHTHON, IO. PAUL. HEBENSTREIT, GE. PAUL. ROETENBECK, IAC. FACCIOLATI. RAMUS caput ſectae, legum cultori memorabilis; Ramea enim methodus dichotomica et quatuor cauſſarum per plurimos Iurisconſultorum libros ac diſſertationes diſſeminatur, u. g. WESEMBECII, VULTEII, LYNCKERI, TABORIS, LAUTERBACHII etc. FREIGIUS, Rami diſcipulus, uitam magiſtri ſui pulchre deſcripſit. CORN. MARTIN. commentarios logicos contra Ramiſtas euulgauit.

§. CCVIII.

Poſtea nemo ſibi religioni duxerat, Ariſtotelis theſes deſerere, impugnare, irridere. Sua quisque inuenta proferebat, antiquis dogmatibus

matibus non ſemper meliora. Recentiores de ideis accuratius praecipiunt, ſed artem ſyllogiſticam, quae olim Logices caput princeps erat, minus ſtudioſe tractant.

Prae aliis multo cum plauſu Logicam purgare annitebatur CARTESIUS, eiusque aſſeclae CLAUBERG. et ANTONIUS LE GRAND. CARTESIUS ipſe de methodo recte utendi ratione et ueritatem in ſcientiis inueſtigandi ſcripſit. CHRIST. BREITHAUPT de tribus Logicae inſtauratoribus RAMO, VERULAMIO atque CARTESIO. Conf. STRUVII bibliotheca philoſophica p. 114. Deinde ingens eclecticorum, qui nobis ingenii ſui monimenta reliquerunt, agmen prorupit. Ex multis notetur P. MALEBRANCHE de la recherche de la verité. AUCTOR de l'art de penſer. THOMAS. introductio ad philoſophiam aulicam eiusque *Vernunft-Lehre*. LOCK. de intellectu humano, TSCHIRNHAUSEN. et LANGII Medicina mentis. CLERICI, CROUSAZ, s' GRAVESANDE, BUFFIER, PORT-ROYAL, GUNDLING. BUDDEI, REUSCHII, HOLLMANNI Logices elementa etiam approbantur. add. traité de l'opinion ou memoires pour ſervir à l'hiſtoire de l'eſprit humain par Mr. CHARLES le GENDRE. Hodie ill. WOLFFII eiusque ſectatorum Logica compendia primas tenent. Imo quilibet fere homo nouus orbi literato artem ſuam cogitandi obtrudit; quamquam nil niſi crambe ſex centies recocta apponitur. Nonnulli praeter neceſſitatem nouas locutiones, nouasque ſed falſas definitiones fingunt ac ſplendidam in literas barbariem immittunt.

O §. CCVIIII.

§. CCVIIII.

Iuriſconſulti quidem haud ſecus ac alii eruditi ratione in ueritate cognoſcenda utuntur; at in quibusdam argumentis peculiares ſeruant regulas, quas in Logica iuridica exponi conueniret. Libelli hoc titulo iam inſigniti deſideriis noſtris non reſpondent.

Logices utilitatem in iurisprudentia declarat CICERO in Bruto cap. 41: Sic enim exiſtimo iuris ciuilis magnum uſum et apud Scaeuolam et apud multos fuiſſe; artem in hoc uno, quod nunquam effeciſſet ipſius iuris ſcientia, niſi eam praeterea didiciſſet artem, quae docet, rem uniuerſam tribuere in partes, latentem explicare definiendo, obſcuram explicare interpretando; ambigua primum uidere, deinde diſtinguere, poſtremo habere regulam, qua uera et falſa iudicarentur et quae quibus poſitis eſſent, quaeque non eſſent conſequentia. Conf. etiam CLERICI bibliotheque choiſie tom. IV pag. 141. IOH. GUIL. HOFFMANN. progr. de dialectica ueterum iurisconſultorum. Dialecticae iuridicae fabricatores ADR. BEYER. IO. THOM. FREIG. PACIUS, HOTOMANN. REGNER. SCHICKARD. TREIBER. VIGELIUS, APPELLUS, BREDEROD. NEIDECCER. POTT. REUSNER. STEPHAN. ZAS. NIC. EVERHARD. aliique, quos reperies in LIPENII bibliotheca iuridica uoc. Logica, dialectica, topica, id ſibi negotii dederunt, ut logicam uulgarem exemplis ex iure petitis illuſtrarent. Sed hoc modo ſcientiae omnes ueſtem iuridicam poſſunt induere, prout ADAM.

ERDM.

ERDM. MIRUS diſciplinas permultas ſacras eſſe iusſit. FEUERLINI progr. de logicis paradigmaticis, theologicis, iuridicis aliisque. Meliora tradit in analytica iuris SCHILTERUS.

§. CCX.

Initia cognitionis noſtrae recte collocamus in ideis ſat determinatis ac definitionibus; quare legum ſyſtemati Romano pariter ac iuri canonico titulus de uerb. ſignif. adnectitur, quem praemitti oportebat; ſed definitiones iuris immenſis inuoluuntur difficultatibus; aliam enim unius rei definitionem ius naturae, aliam ius ciuile ponit. In iure ciuili iterum et ciuitates et temporum periodi inter ſe diſcernendae ſunt.

Logices quatuor partes conſtituuntur: ὁριςικη, διαιρετικη, συλλογιςικη, μεθοδικη. Artem ideas euoluendi optime docuit perill. WOLFFIUS. Hiſtoriam philoſophicae doctrinae de ideis conſcripſit BRUCKER. De definitione in iure periculoſa uid. WILLENBERGII diſſ. et noſtra commentatio. De nobili ueterum iurisconſultorum in definitionibus ex arte conficiendis ſolertia CHRISTOPH. WENDINI exſtat diſſ. LUD. AUG. WÜRFFELII iurisprudentia ciuilis definitiua. Multum auxilii praeſtare poſſent Lexica iuridica, ſi omni, qua par eſt, cura concinnarentur (uid. §. XXXXII). Succurrant interim BRISSON. de uerb. ſign. et HOTTOMANN. de uerbis iuris. In iure interdum diſputatur de uerbis diſpoſitiuis et enunciatiuis,

de uerbis directis et obliquis, de uerbis honoris &c.

§. CCXI.

Definitionibus uacillantibus, uacillant etiam definitiones; hinc iurisprudentia diſtinctionibus abundat ineptis, falſis, inutilibus.

Conf. IO. IAC. AVIANI diſſ. de diſtinctionibus magiſterialibus improbatis. id. de ueterum iuris interpretum diſtinctionibus approbatis. IO. SIM. BECCENSTEIN de inutilitate diſtinctionum quarumdam. IAC. FR. LUDOVICI uſus pract. diſtinct. iuridicar. CAR. HENR. MÖLLER. de uſu pract. diſtinct. feudal.

§. CCXII.

Regulae iuris, quae axiomatum inſtar eſſe debent, ſaepiſſime non niſi hypothetice admitti poſſunt, ſi nimirum uel ad certum iurisprudentiae genus, uel ad ſingularia negotia referuntur; multae ratione firma non nituntur.

Etſi in titulos iuris de regulis iuris interpretes magnam uim ingenii effuderunt; regulas tamen ipſas rarius rite determinarunt, inutilesue reiecerunt, quare aliis, e. c. ANTONIO CURSETO, IO. BAPT. NICOLAO, BARTHOL. SOCINO *fallentias* regularum iuris ſcribendi oblata fuit occaſio. Add. KUNHOLD. progr. de abuſibus circa interpretationem tituli de regulis iuris et uerb. ſignificat. CARPZOV. progr. de naeuis tit. de R. I. immerito affictis. KESTNER. diſſ. de inutili legum et brocardicorum allegatione. FREISLEBEN. progr. de uſu axiomatum ſeu brocardicorum iuris in iuris-

iuriſprudentia. conf. LIPENII bibl. iur. u. axioma, brocard. regul. iur.

§. CCXIII.

Ut omne ueritatis robur per demonſtrationem explicatur: ita non dubitamus, quin ueritas iuridica demonſtrationem capiat, hoc eſt, principiis certis nitatur, etſi principia haec anguſtis ſaepe finibus circumſcribantur.

1. Operam et oleum perdunt, qui in ſyſtemate iuris pro uniuerſa Germania apodictice componendo deſudant. Ea enim procerum Germaniae auctoritas eſt, ut a iure communi diſcedere, nouasque leges condere queant.
2. Ius tamen noſtrum non ſemper, quod THOMASIO uiſum eſt, in uerisimilibus haeret, quia prouinciae ac ciuitates multae in primariis legum ſcientiae capitibus iure certo utuntur, et hactenus locum habet demonſtratio.
3. Id uero maxime turbat artem iuris, quod legislator uel uſus non ſemper ex principiis ſtabilitis rite argumentatur.
4. Iudex uim demonſtrandi examuſſim intelligat, quoniam in quauis lite probatione nihil prius; probatio autem requirit principia ciuiliter ſaltim certa. Tametſi enim olim per ineptas probationes uulgares haud magis patefiebat ueritas, quam hodie per iusiurandum, praeſumtionem iuris et de iure &c. mathematica demonſtratio abſolui poteſt; leges tamen haec principia tamquam minime dubia approbarunt, atque adeo argumenta probabilia ad ueritatis certae faſtigium adſcendere iuſſerunt. Ars ueritatis probabilis in-

ueſtigandae aeſtimandaeque ad uſum forenſem nondum ſatis exculta uidetur, quin ipſa iurisprudentia hac in re adiumento eſſe poteſt philoſophis. Solertiae cel. KAHLII debemus elementa logicae probabilium et IACOBUS BERNOULLI in arte coniectandi principia quaedam generalia propoſuit conf. etiam CHLADENIUS de probabilitate. Nuper acceſſit *la Logique des vraiſemblances* et EBERH. CHRIST. CANZII tractatio ſynoptica de probabilitate iuridica ſiue de praeſumtione. Ceterum demonſtrationem in iure probatione inferiorem eſſe conſtat. uid. ERNEST. TENZEL. diſſ. de conuenientia et diſconuenientia probationis et demonſtrationis. Locum de probationibus iureconſulti non ſolum in commentariis ad titulos de probationibus, teſtibus, fide inſtrumentorum, ſed etiam ſingularibus uoluminibus illuſtrarunt. Quem fugiant libri MASCARDI de probationibus, MENOCHII de praeſumtionibus, FARINACII de teſtibus, BORNITII aliorumque de inſtrumentis, STRYKII de cautelis iuramentorum. Largam ſegetem exhibet bibliotheca LIPENII, his uocibus. Cauſſidicorum uulgus opiniones communes coaceruare ſolet, multumque in illis collocat praeſidii. Conf. THOMASIUS de protractione litis per allegationes legum et doctorum.

§. CCXIIII.

Ad ueritatem cognoſcendam proponendam, roborandam, defendendam nulla methodus aptior eſt naturali, qua mathematici utuntur; ſed ex ſuperioribus apparet, quatenus iſta methodus in iurisprudentia adhiberi poſſit.

De methodo iuris §. CCLXXXXVIIII dicemus. Nonnulli de arte ſyllogiſtica parum honorifice iudicant laudantque cum THOMASIO methodum Socraticam. Conf. GOTTER. STRAUSS de ſyllogiſmo iuridico; CORN. MARTINI de analyſi materiae et formae ſyllogiſmi. Interim hodie diſſertationibus academicis, ſyllogiſtice defendendis, nihil frequentius. IO. BERN. WIEDEBURG. diſſert. de uariis diſputandi modis, IOH. GEORG. LEIGH. diſſert. de origine et cauſis diſputationum; BOEHMERI methodus diſputandi et conſcribendi diſputationes iuridicas.

CAPUT XXVIIII.

DE CRITICA ET HERMENEVTICA.

§. CCXV.

Criticam non artibus philoſophicis, ſed philologicis uulgo accenſeri non neſcio, ſed quoniam Critica uerum a falſo diſcernere docet, nec hodie in uerborum tantum, ſed et in rerum excogitatarum concinnitatem inquirit, artem criticam Logicae annectere non dubitaui.

Hiſtoriam artis huius inueſtigarunt DAN. HEINSIUS in diſſ. de uerae critices apud ueteres ortu et progreſſu. De Criticis ueteribus Graecis et Latinis HENRICI STEPHANI exſtat diſſertatio, et IO. ERN. IMMAN. WALCH. diatribe de ortu et progreſſu artis criticae apud ueteres Romanos. *Nachrichten vom Urſprung und Wachsthum der Critic bey den*

Teutſchen reperiuntur *in der Sammlung critiſcher und poetiſcher Schrifften*, p. 81 *Zürich* 1741. FRANC. ROBORTELLUS artem ſiue rationem corrigendi antiquorum libros primus ſibi informaſſe uiſus eſt. CASP. SCIOPPIUS in commentario de arte critica oſtendit, quaenam ratio in latinis ſcriptoribus ex ingenio emendandis obſeruari debeat; IOH. CLERICUS plenius elaborauit ſyſtema Critices, quam uocat artem intelligendorum ueterum ſcriptorum ſiue numeris adſtricta, ſiue ſoluta oratione utentium, et dignoſcendi, quaenam eorum genuina ſcripta ſint, quae ſpuria, tum etiam quae ſint ad regulas artis exacta, quae uero ſecus. Sed ex ſententia cel. HEUMANNI in commentatione de arte critica et ſpeciatim de arte therapeutica latius patet critica. De critices arte neceſſitate, utilitate ac moderato uſu diſſertationem IOH. BENCIN. exhibuit nella raccolta d'opuſcoli ſcientifici et filologici, tom. XVIII. Ex Gallis, quos huius ſtudii cura tangit, notentur HENR. VALESII de critica libri II, P. HONORÉ DE SAINTE MARIE reflexions ſur les regles et ſur l'uſage de la critique touchant l'hiſtoire de l'egliſe; DE LA MOTTE reflexions ſur la Critique. CESAR VICHARD DE SAINTREAL traité de la Critique dans les oeuvres. Cours de belles lettres diſtribué par exercices. Principia huius artis in WOLFFII logica latina iam propoſita deprehendimus.

§. CCXVI.

Criticus linguarum, arcanorumque Grammaticorum notitia probe liberaliter inſtitutus, inue-

inueſtiget menda et fraudes impoſtorum, dignoſcat uaria ſtili genera, diſpiciatque, utrum loco dubio remedium afferri oporteat, an lectio defendi queat. Nil temere, nil timide. Criticum ampliſſimam eruditionem acquirere decet, ſi polyhiſtoris elogium ſibi iure uelit aſſerere.

De linguarum, hiſtoriarum, antiquitatum, diplomatices ſtudiis ad Criticorum ſphaeram pertinentibus iam diſſeruimus; nec primarias tamen diſciplinas ignorare debent critici, quamquam magna quaedam lumina philoſophiae plane expertia reperiuntur; alii ingenio nihil, codicibus omnia debere uolunt. Caue putes, ueteres ſemper optime ſcripſiſſe. Caue, auctori partem legitimum auferas, ſpurium ſupponas. De locis et ſcriptis ſpuriis a genuinis ſecernendis regulas affert CLERICUS in arte crit. uol. II, ſect. II. Criticorum opera recenſet MORHOF. polyh. P. I, L. V c. 1. Inſigniorum quorumdam criticorum commentarios collegit IAN. GRUTER. in theſauro, quem lampada liberal. art. appellauit, itemque GAUDENT. ROBERT. in miſcellan. Italic. erudit. Quos utrumque opus complectatur libellos, docet FABRIC. bibliograph. antiqu. c. 3 §. 7. Pulchriorum literarum cultores magni faciunt LIPSIOS, TURNEBOS, SCALIGEROS, REINESIOS, BARTHIOS, BOCHARTOS, SALMASIOS, GRONOVIOS, CASAUBONOS, GRAEVIOS, BURMANNOS, SCHWARZIOS, aliosque.

 §. CCXVII.

§. CCXVII.

Non pauci criticorum in minutiis grammaticis omnem eruditionis cardinem uerti exiſtimantes cum ueram ſapientiam, tum etiam morum elegantiam infra ſe duxerunt; inde euenit, ut ars critica apud politiores uiros non ſemper bene audiat.

Iam IUST. LIPS. ſatyram Menippeam in critic. ſub tit. ſomnium ſcripſit. Ineptias criticorum ſalſe perſtringit MATANASIUS ſiue auctor libri: *Chef d' oeuvre d'un inconnu.* add. *le Parnaſſe reformé par l'abbé* GUERET *et la relation d'une aſſemblée tenue au bas du Parnaſſe.*

§. CCXVIII.

Si ulla ſcientia, iuris certe prudentia, quam crebris in ſalebris haerere animaduertimus, critices ope indiget.

Quod uberius monſtrat IO. GOTTL. HEINECC. in praefat. de artis criticae utilitate in iurisprudentia, deque boni critici officio praemiſſa CORNEL. van BYNCKERSHOEK obſeruat. MOSER de nexu ſtudii critici cum prudentia iuris publici. MEIER. de arte critica ICto neceſſaria. MAIUS de iurisprudentia critica. SCHROETER de ſobria iuris critica. Studio iuris optime conſuluere ICti, qui humanioribus literis adiuti omnem ſtribliginem e corpore iuris eiicere laborarunt; quare honos ſemper manebit et nomen CUIACII, DONELLI, AUGUSTINI, GODOFREDORUM, NOODTII, BYNCKERSHOEKII, HUBER. HEINECCII aliorumque, qui

non

non ſemper grandia uolumina commentariorum, ſed obſeruationes, emendationes, interpretationes, miſcellanea, parerga, lectiones, amoenitates, opuſcula in lucem emiſerunt, quorum nonnulla EVERH. OTTO in theſaurum coegit, quem GER. MEERMANN nouis uoluminibus locupletare inſtituit. conf. STRVVII bibl. iurid. p. 348. Therapeuticae criticae illi maxime rationem habuerunt, qui antinomiis mederi annifi ſunt, ut MERCER. DIONYS. GOTHOFRED. Quae ſuperioribus ſaeculis in iure Romano enucleando collocata fuit induſtria, ea nunc ad leges quoque patrias fauſto omine profertur.

§. CCXVIIII.

Inſignem critices partem conſtituit hermeneutica. Si, ex ſententia QVINCTILIANI lib. XII Inſtit. orat. c. II, quaeſtio iuris omnis aut uerborum proprietate, aut aequi diſputatione aut uoluntatis coniectura continetur: hermeneutica nusquam latius diffuſa cernitur, quam in iurisprudentia. Conſtat autem ars iſta non ſolum praeceptis grammaticis et logicis, ſed et iurisprudentiae propriis.

Ut uerba recte interpretemur, ſiglas, notas, geminationes, uocabulorum fata perſcrutari debemus; ad mentem legis pernoſcendam hiſtoriarum et antiquitatum notitia requiritur; hinc interpretatio perhibetur authentica, uſualis, doctrinalis; item declaratiua, reſtrictiua, extenſiua. Lex non ſemper argumentatur ab uniuerſali ad particulare, a genere ad ſpeciem, a maiori ad

minus;

minus; interdum fingit, nunc in ueritate plus eſt quam in opinione, nunc ſecus. GROT. et PUFFENDORFF. ſolidioris interpretationis initia expoſuere in iure naturae. FRID. WEIS. diſſ. II de conſtitutione et officio hermeneutices edidit. De hermeneutica iuris ciuilis ſoliciti erant IO. a FELDEN, HOTTOMANN. FORSTER. CONRING. HAHN. STRUV. HORN. Regulas interpretationis iuridicae praeſtantiores propoſuit RITTER. BOEHMER. de interpretatione contra eum facienda, qui clarius loqui debuiſſet. Eximium hermeneutices iuris compendium nobis tradidit cel. CHRIST. HENR. ECKHARD. Nec praetermittendi ſunt, qui artem interpretandi teſtamenta, contractus, beneficia, priuilegia docuere. u. c. MANTICA de coniecturis ultimarum uoluntatum, THOMASIUS de interpretatione beneficiorum principis. IO. FRID. POLAC. de noxia et incongrua fauorabilium ac odioſorum interpretatione. Huc etiam pertinet IO. PHIL. SLEVOGT. diſſ. de argumentis legum caute formandis. KULPIS. de analogia iuris. ALTESERRA de fictionibus iuris. TITIUS de natura fictionum Romanarum. REINHART. progr. de uſu et non uſu practico doctrinae de fictionibus iuris.

CAPUT XXVIIII.
DE METAPHYSICA.
§. CCXX.

Metaphyſices nomen inuiſum iis, qui ſubtiles nomenclatores ac futiles eſſe putant meta-

metaphyſicos; ſed cum haec doctrina iuniori aeuo rectius tractata non ſolum omnis cognitionis noſtrae initia, uerum etiam alias diſciplinas perquam utiles complectatur, ea ſuo non defraudanda eſt honore.

CANZIUS in meditat. philoſ. cap. praelim. fundamentum partium metaphyſices oſtendit. De doctrinae metaphyſices laudibus, uituperatione, natura, uſu, pretio et cultu in diff. ſingul. egit IOACH. LANG; SYRBIUS de philoſophia prima in locum et honorem ſuum reſtituenda. GOTSCHED. orationem pro utilitate et neceſſitate metaphyſicae in comtemtores eius habuit. Hiſtoriam metaphyſices IAC. THOMAS. erotematibus metaphyſicis addidit et SYRBIUS ſynopſi philoſophiae primae. BUCHERII hiſtoriam metaphyſices edidit IO. HERM. ab ELSWICH. Libros iuriſconſultorum non intelligemus, niſi in ſcholaſticorum ratione dicendi eruditi fuerimus. Viam monſtrare poterunt SCARFII, STAHLII, HEBENSTREITII, WEISSII, SCHEIBLERI enchiridia, itemque philoſophia Altdorffina. Foecundiorem hanc doctrinam reddere ſtuduerunt recentiores CLAUBERGIUS, CLERICUS, ac potiſſimum LEIBNIZIUS et WOLFIUS, horumque nonnulli (non omnes) diſcipuli. Conf. FROBES. de recentiorum philoſophorum meritis in logicam et metaphyſicam.

§. CCXXI.

Ontologia eruit principia uniuerſalia, primasque rerum, eſſentiae ſcil. ſubſtantiae, accidentis,

dentis, cauſſae, facultatis, ordinis, perfectionis &c. notiones declarat, quarum uſus manifeſtus eſt in iurisprudentia.

Quare non abſonum eſt, metaphyſicam iuridicam conſcribere, quod HARTUNG. VELTHEM. WEIDLING. fecerunt. add. HEDLERI progr. de metaphyſica a legum cultore non contemnenda; ſed labor iſte nondum ex uoto ceſſit. Legum quidam interpretes ſingularia themata metaphyſica pro uſu forenſi explanarunt. In conuentionibus ac praeſertim in iure feudali ſaepius diſceptatur de eſſentialibus, naturalibus et accidentalibus. De impoſſibili et poſſibili differuit ERASM. UNGEPAUER. PETR. MULLER de impoſſibilitatis exceptione. WILDVOGEL et STREIT. de infinito. LYNCKER. de indiuiduitate. HOFFMANN. et LINK. de particula quaſi.

§. CCXXII.

Coſmologia de mundo licet generatim disquirat: haec tamen ſcientia tum ob totius eruditionis nexum, tum quia notiones quasdam legum ſtudio profuturas euoluit, non negligenda eſt.

Scilicet in coſmologia explicatur natura rerum uniuerſa, qua etiam ius naturae nititur, proinde principium iuris naturae a quibusdam in ordine mundi ponebatur. Vid. etiam ABRAH. WIELING. oratio de natura una omnis iuris ac uirtutis norma. Hic iterum commendentur meditationes LEIBNIZIANAE. Haud ita pridem prodiit Eſſais de Coſmologie auctore MAUPERTUIS. Ad

rem

rem literariam huius diſciplinae pertinet FRID. CHR. BAUMEISTERI hiſtoria doctrinae recentius controuerſae de mundo optimo. MART. GOTTL. PAULI hiſtoria philoſophiae corpuſcularis ueteris et recentioris. Hiſtoire univerſelle des ſyſtemes de philoſophes anciens et modernes, touchant l'origine et la creation du monde, traduite de l'anglois. 1740. Non eſt, quod moneamus, coſmographiam diſciplinis mathematicis annumerandam eſſe.

§. CCXXIII.

Pneumatologia ſpirituum naturam inueſtigat, ſed niſi nobis lux diuinior ſubueniat, hac in re facile labimur.

Hiſtorice de pneumatologia egit BUDDEUS in Iſagoge. GENTZKENIUS in prolegomenis pneumatologiae. Olim philoſophi hanc diſciplinam ſeorſim non interpretati ſunt. CHRIST. THOMAS. liber: *Verſuch von dem Weſen des Geiſtes*, multos offendebat, nec WOLFFII ſcitis pneumaticis omnes aſſentiebantur. add. CLERICI pneumatologia et IO. ZACH. HILLIGER. inſtitutiones pneumaticae eclecticae. Incredibili cupiditate ſpirituum indolem pernoſcendi agitantur homines ac ſingulari ſtudio hiſtoriolas de apparitionibus, ſpectris, faſcinis, colligunt. Angelos et daemones exiſtere, docent literae ſacrae. Angelos etiam ad forum iuridicum trahi poſſe, monſtrauit WILDVOGEL in diſſ. de eo, quod iuſtum eſt circa angelos, et in progr. de cantibus angelicis. CHRIST. DONDORFF. in progr. de quaeſtionibus iuris circa angelos. Hominibus genios bonos et malos aſſigna-

aſſignatos fuiſſe, memoriae proditum eſt. Vid. GOTFR. OLEARIUS de Socratis daemonio; IO. CLODIUS de ſpiritibus familiaribus; MASIUS de exiſtentia daemonum, quatenus e naturae lumine innoteſcit.

§. CCXXIIII.

Ut quisque legislator uel iudex de ſpiritibus ſtatuit: ita etiam de quaeſtionibus in forum traductis iudicabit. Sane ex quo phantaſmata et narrationes magicae accuratius excuti coeperunt, cognitiones cauſſarum huius generis propemodum ceſſarunt.

Frequentiſſimae quaeſtiones de rebus magicis olim uexabant iudicia, quae neſcio qua ſuperſtitione obcaecata in rem ipſam, ut fas erat, nolebant inquirere. Tanta copia ſcriptorum magicorum extat, ut EBERH. DAN. HAUBER. bibliothecam magicam tribus uoluminibus colligere potuerit. Euoluat, qui naeniis iſtis delectatur, malleum maleficarum, IO. BODINI Daemonomaniam, SPRENGERI, ZEZNER. DELRIO. WIERI, TORREBLANCAE, WEBSTERI aliorumque libellos. BALTH. BEKKERI mundo faſcinato (*bezauberten Welt*) multi obnitebantur. Sic et in alia iuit THOMASIUS in diſſ. de crimine magiae, de origine proceſſus inquiſitorii contra ſagas, item de non reſcindendo contractu conductionis ob metum ſpectrorum. Illuſtrarunt etiam hunc locum GE. WOLFFG. WEDEL. de ſpectris. FLOERCKE de crimine coniurationis ſpirituum; DAN. RICHTER. in diſſ. magicotheurgicis de conciliatione ſpirituum; HENR. BODINUS

DINUS de fallacibus indiciis magiae. Ceterum ſatis conſtat, magiam naturalem ab iſta occulta probe diſcernendam eſſe. Vid. BULENGER. ſyſteſta opuſculorum de magia licita et uetita, HILDEBRANDI et MARTII magia naturalis. Huc etiam pertinent disquiſitiones phyſicae de mandragora, de uirgula Mercuriali, de ſympathiae uiribus.

§. CCXXV.

Pſychologia empirica et rationalis de anima uaria tradit certa, incerta, uana. In philoſophia morali pariter ac in omni iurisprudentia teneamus, animam noſtram intelligendi concupiſcendique facultate, libertate & immortalitate praedictam eſſe.

Philoſophumena ueterum ac recentiorum de anima et eius immortalitate in diſſ. ſingulari CHRIST. AUG. SALIG. recenſet, cui adiungas IOH. HERMANN. ab ELSWICH. diſſ. de recentioribus de anima controuerſiis. IOACH. OPORINI hiſtoriam criticam de animi humani perennitate. Practice in hac doctrina uerſantur, qui, qua ratione animae facultates excoli debeant, docent. Sic mnemonica uaria exhibet memoriae ſubſidia, de quibus late MORHOF part. I, libr. II, cap. VI. IORD. BRUNUS de imaginum, ſignorum et idearum compoſitione ad omnia inuentionum, diſpoſitionum et memoriae genera, COSMI ROSSELII theſaurus artificioſae memoriae, WINCKELMANNI logica mnemonica. De ſubſidiis iudicii agit MORHOF. c. l. cap. III. Ingenii culturam ſibi cordi habent opera melioris guſtus. Simili-

ter de temperamentis et affectibus in ſcholis iuriſconſultorum diſquiritur, conf. §. CCLI. ERNST. IOH. FRID. MANZEL. de uſu doctrinae de temperamentis in iurisprudentia; SCHWARZ. de affectuum morali aeſtimatione; LUDOVICI diſſ. an et quatenus affectus in foro humano conſiderentur. Ut omittam commentationes iuridicas de metu, ſpe, ira, odio. Quae noſtra aetate de commercio animae et corporis, LEIBNITIO et WOLFIO harmoniam praeſtabilitam aſſerentibus, diſputata fuerunt, ea ad uſum uitae parum momenti habent. uid. STOLL. hiſt. lit. parte II, cap. III, §. 14.

De Theologia naturali dicemus §. CCCLXXXXVI.

CAPUT XXX.

DE PHYSICA.

§. CCXXVI.

Phyſica hodie iuſtae experientiae principiis fulta, multo accuratius, quae ad corporum naturam pertinent, exponit, quam ea a ueteribus exponi potuerunt.

CICERO de finibus L. I recte: omnium rerum natura cognita, inquit, leuamur ſuperſtitione, liberamur mortis metu, non conturbamur ignoratione rerum, e qua ipſa horribiles ſaepe exiſtunt formidines, denique etiam morati melius erimus. Phyſices laudes extollit BOYLE exercitatio

tatio de utilitate philoſophiae naturalis et experiment. ANDALAE oratio de praeſtantia, utilitate et iucunditate phyſices. STURM. de philoſophia naturali ad uitam beate degendam facem praeferente; LOESCHER. oratio de phyſica ad rempublicam accommodanda. Hiſtoria naturalis uniuerſa pro dignitate nondum ſatis eſt enucleata; interim conf. BURNET in archaeologia philoſ. IO. PET. DE CROUSAZ praelectio philoſophica de phyſices origine, progreſſibus, eamque tractandi methodo; CONRING. de natura phyſices eiusdemque auctoribus; MICH. BERNH. VALENTINI diſſert. de ortu et progreſſu philoſophiae naturalis; eiusdem hiſtoria phyſices experimentalis; IOH. ANDR. SCHMID. de ſectis phyſicorum in genere, REGNAULT l'origine ancienne de la phyſique nouvelle Vol. III. IOH. IAC. SCHEUCHZER. bibliotheca ſcriptorum hiſtoriae naturalis. IUL. BERNH. DE ROHR *phyſicaliſche Bibliothec.* De phyſicis antiquis et recentioribus uid. MORHOF. tom. II, lib. II. STOLL c. l. cap. IIII, IAC. LE LONG commentat. de ſcriptoribus naturalis hiſtoriae Gall. Varia diaria ad phyſicam ſpectantia u. c. NEUE VERSUCHE *nuzlicher Sammlungen zur Natur- und Kunſt-Geſchichte.* (§. CCLXXXVIIII.)

§. CCXXVII.

Nonnulli naturae inueſtigatorum Moſis, alii Ariſtotelis auctoritatem ſecuti ſunt; hodie experientia, ut fas eſt, dux eligitur.

Ad claſſem priorem referendi ſunt ROB. FLUDD, AEGID. GUTMANN., QUIR. KUHLMANN., IOH. AMOS COMENIUS, EDMUND. DICKINSON. In ſacris literis

ueritas quidem ſemper exponitur, ſed ſyſtema phyſicum fruſtra in illis quaerimus. ARISTOTELES experimentis legitimis deſtituebatur; nemo tamen iſtis, quibus regnabat ſaeculis, eidem obloqui audebat, quia facile aliquis nomini ſuo atram notam inurere poterat, quod contigit ROG. BACONI, ALBERTO MAGNO, RAYM. LULLIO, THEOPH. PARACELSO. Viam rationis et experientiae iterum ingreſſi ſunt FRANC. BACO DE VERULAM. CARTESIUS, GASSENDUS, ROB. BOYLE, STURM, OTTO VON GERICKE, FRANC. TERTIUS DE LANIS, LOEWENHOECK, LEIBNITIUS, NEWTON, VERDRIES, KEIL, DU HAMEL, ROHAULT, SCHEUCHZER, BERNOULLI, WOLFF, HAMBERGER, KRÜGER, et quis omnes enarret, qui ſaeculum noſtrum ornant? Quidam diuerſas opiniones inter ſe conciliare ſtuduerunt, ut STURM. in phyſica conciliatrice. De libris phyſicis ſecretioribus, praecipue chemicis agit MORHOF lib. I, cap. XI. conf. SCHOTTI phyſica curioſa. Alii Dei exiſtentiam obſeruationibus phyſicis roborarunt, uti DERHAM et NIEUWENTYT.

§. CCXXVIII.

Quum phyſices ſtudium oceanus ſit inexhauſtus, illius amplificandi cauſa laudabili conſilio ſocietates coierunt. Nonnulli phyſici particulam tantum ſibi illuſtrandam ſumſerunt.

ACADEMIA CAES. NAT. CURIOSORUM, ſuaſore IOH. LAURENT. BAUSCH., excitata etiam nunc floret ſociis longe celeberrimis. Societatis Anglicanae, VERULAMII cura inſtitutae, hiſtoria prodiit Lon-

Londini 1702. Academiae ſcientiarum a Rege Galliae fundatae hiſtoriam ſcripſit IO. BAPT. DU HAMEL. Societ. Berolinenſis hodie, Regis optimarum literarum ſtatoris maximi auſpiciis, laetiſſime uiget. Acceſſere Academiae ſcientiarum Suecica et Petropolitana, quarum omnium induſtriae et ingenii monimenta extant copioſiſſima, uid STRUV. in introduct. in hiſt. lit. cap. X. Phyſicorum quibusdam placuit diligentius indagare naturam aeris, aquae, animalium, plantarum, metallorum etc. In ciuitate Norica multos in hoc phyſices ſtudio particulari occupatos eſſe animaduertimus. Bibliothecam animalium edidit FRANC. ERN. BRUCKMANN, ichthyologicam PET. ARTEDUS, ſalinariam CASP. THURMANN., hydrographicam IO. MATTH. GROSS, metallicam CHRISTIAN. EHRENFR. SEIFFERT, et IAC. LEUPOLD; hiſtoriam piſcium et auium illuſtrat KLEIN, adde FRISCH. et RÖSEL, deſcript. inſect. REAUMUR memoires ſur les inſectes; Leçons de phyſique de l'abbé NOLLET, aliaque ſcripta in uim corporum electricam inquirentia. PLUCHE ſpectacle de la nature.

§. CCXXVIIII.

Tametſi in noſtro legum ſyſtemate de rebus corporalibus & incorporalibus uaria ſtatuta legimus: iurisconſultus tamen corpora refert tantum ad meum et tuum; at in hoc quoque negotio rectius uerſabitur, ſi phyſices doctrina imbutus fuerit.

Non agitur quidem de glebis, ſed de iure territorii; nihilominus tamen de terra multifariam

forenſi more diſquiri poteſt. Quemadmodum terra ad meliorem cultum redigi poſſit, ad quaeſtiones politicas et oeconomicas pertinet. Numquam phyſices et iurisprudentiae limites accurate deſignari poſſunt. Documento ſunt tot iurisconſultorum commentationes, in quibus corpora quaelibet in ius quaſi uocantur. Sic CARPZOV. diſſeruit de iure circa aerem, STRYK. de iure principis aereo; LINK. de iure uentorum. Quantum clima ad leges ferendas ualeat, oſtendit auctor DE L'ESPRIT DES LOIX. BOEHMER. in diſſ. de iuribus diuerſis ex diuerſitate climatum natis. Lumen conſideratur in ſeruitutibus; aqua et flumina tam in iure priuato, quam publico materiam diſceptandi praebent. Vid. MEURER. de iure aquarum; REINHART de iure aquarum metallicarum ſingulari. Abundamus etiam ſcriptoribus forenſibus de metallis, ſalinis, animalibus, arboribus, quos indicat LIPENII bibliotheca iuridica. Conf. etiam IO. ABRAH. BIRNBAUM de inſigni phyſices in iurisprudentia utilitate.

§. CCXXX.

Quibus politiae cura commiſſa eſt, ii rerum ad uitae neceſſitatem et commoda ſpectantium naturam ſtudioſius rimentur, caueantque, ne quid detrimenti capiat communitas.

Iam ueteres iureconſulti Romani in Digeſtis paſſim, praeſertim ad aedilitium edictum, rerum naturalium haud rudes ſe fuiſſe comprobarunt. Conſulto hodie conſtituuntur inquiſitores et inſpectores pecudis, farinae, deguſtatores uini et cere-

cereuiſiae. Definiuntur etiam uitia pecorum uenalium. Conf. RÖVENSTRUNCK. et STRAUCH. de aedilitio edicto. BUDER. de uitiis animalium.

§. CCXXXI.

Proximi ſumus nobismet ipſi; quare ſapientiae ſtudioſus quilibet, quidni legum cultor, hominem noſſe debet penitus.

Anatomicas demonſtrationes non negliget iuris arti deditus; anatomiam uero iure diuino ac humano licitam eſſe monſtrauit SCHWENDENDÖRFFER. De ſcriptoribus anatomicis uid. KAESTNERI bibliotheca medica tom. I, cap. 1, ſect. 2. et tom. II cap. 1, ſect. 1. Quam uariae quaeſtiones quotidie agitantur de partu hominis, de ſenſu integro, de uulneribus! quas latius tractat medicina forenſis. Conf. §. CCCCIIII. MORHOF. de paradoxis ſenſuum, STRYK. de iure ſenſuum.

CAPUT XXXI.

DE DISCIPLINIS MATHEMATICIS.

§. CCXXXII.

Nunc ad philoſophiam practicam pergendum eſſet; ſed ne eam a iurisprudentia, cui fundamenta ſua ſubſternit, nimium diuellamus, cum phyſices tractatione non inepte coniungemus diſciplinas mathematicas, quae rerum pondera, numerum, menſuram, durationem, definiunt;

finiunt; nihil autem rerum finitarum, quod certam menſuram non capiat, reperitur. Matheſis ergo ſcientias theoreticas reliquas et utilitate et antiquitate longe ſuperat.

1. Ars haec oſorem hodie uix habet, niſi ignorantem. Mathematicorum dogmata tam certa ſunt, ut nusquam terrarum in dubium uocentur; quae gloria aliis diſciplinis denegatur. Deinde matheſis mentem excitat et acuit, aliisque artibus methodum ſuam commodat, dummodo eadem recte adhibeatur. Vid. CROUSAZ reflexions ſur l'utilité des mathematiques; VON ROHR *vom Nuzen und Beſchaffenheit der mathematiſ. Wiſſenſchafften.* TSCHIRNHAUSEN. *gründliche Einleitung zu den nutzlichen Wiſſenſchafften, abſonderlich zu der Matheſi und Phyſica*; AUGUST. GRISCHOV. iſagoge ad mathematica ſtudia ſeu mathematum praecognita; KEMMERICH. *in der eröffneten Academie* lib. II c. 13 ſingularum diſciplinarum mathematicarum utilitatem declarat. EHRENBERG. diſſ. de matheſi nobilibus digna. FAESCH *Vorſchlag wie junge von Adel zur Matheſi anzuführen.* SAM. REYHER. matheſis regia, qua matheſin imperatoribus, regibus, principibus utilem et neceſſariam eſſe demonſtratur.

2. De uniuerſae matheſeos natura et conſtitutione commentatus eſt VOSSIUS et STURMIUS, iunior. Matheſis primum a Chaldaeis et Aegyptiis exculta ad Graecos peruenit. Catalogum mathematicorum offendimus in FABRICII bibl. graeca lib. III cap. 23. De originibus et antiquitatibus mathematicis differtat. habuit IO. AUG. KREBS; hiſtoricam narrationem de ortu et progreſſu ma-

theſeos

theſeos edidit ANDR. TACQUET. Hiſtoriam matheſeos explanauit etiam DE CHALES in mundo mathematico. add. IO. CHRIST. HEILBRUNNER. hiſtoria matheſeos uniuerſae. PASCH. de nouis inuentis cap. 7. STOLLII hiſtor. literar. Part. I, c. 7, § 6. FROBESII hiſtorica et mathematica ac dogmatica ad matheſin introductio; MARPERGER. de fatis matheſeos. GE. ALB. HAMBERGER. progr. de meritis Germanorum in matheſin. HANSCHII praefatio ad epiſtolas Kepleri de eodem argumento. IO. GUIL. BAIER. ſchediaſma de mathematum in academias et ſcholas Germaniae ſuperioris introductione. CORNEL. A BEUGHEM bibliographia mathematica et artificioſa. WOLFF. de ſcriptoribus mathematicis in tom. V elementor. matheſeos.

3. Qui fuerint mathematici in iure, expoſuerunt commentatores e. c. ALBERICUS GENTILIS, MENCKE, ENGELBRECHT, ULRICUS IUNIUS, ad titulum Codicis de maleficis et mathematicis. De iureconſultis mathematicis diſſ. exſtat ZACHAR. ZÖLLERI. add. BASTINELLER. de praeſtantia ſcientiarum mathematicarum in iure; IAC. SIGISM. SCHELHAMMER. de iure matheſeos; IO. FRID. WEIDLER. de iuribus mathematicorum; PETR. WARTBERG. de utilitate matheſeos et philoſophiae in ſtudio iuris. Maxime uero commendatur POLAC. matheſis forenſis, qui etiam progr. de fatis mathematicorum in iurisprudentia ſcripſit; praeterea hic locum inueniunt ſcriptores de ponderibus et menſuris WASARUS, ALCIATUS, MARIANA, NICOL. MYLERI metrologia, ZIEGLER.

P 5 de

de iure conſtituendi menſuras, STRUV. de eo quod iuſtum eſt circa menſuras et pondera.

§. CCXXXIII.

Matheſis diuiditur in puram et mixtam. Huius campus eſt uaſtiſſimus, quamquam aliam partem alia utiliorem eſſe non negamus.

Quum cognitio mathematica ut ſummus cognitionis noſtrae gradus latiſſime diffundatur, ſemper, accedente cultura, partes nouae adiici poſſunt. Ad encyclopaediam mathematicam erudierunt SCHOTT. DECHALES, STURMIUS uterque, WIDEBURG. WEIDLER. OZANAM, TACQUET, et qui inſtar omnium eſt WOLFFIUS, cui etiam debemus Lexicon mathematicum. Animi reficiendi cauſſa perluſtrari poſſunt SCHWENTERI *mathematiſche Erquickſtunden*; SCHOTTI technica curioſa.

§. CCXXXIIII.

Arithmeticam docemur iam in ſcholis inferioribus, quia nemo ea carere poteſt; ſed erudita cohors in regularum rationes inquirit, illasque per computum literarum memoriae certius infigit.

Vid. IOH. GOTTFR. BÜCHNER. *kurzer Entwurf einer Hiſtorie der Rechenkunſt*; GEORG. HENISCH. de numeratione multiplici ueteri et recenti. EHRENBERGER de origine numeri denarii. AUG. CALMET recherches ſur l'origine des chiffres d'arithmetique, dans les Memoires de Trevoux, Sept. 1707, p. 1620-1635. IO. FRID. WEIDLERI diſſertatio de characteribus numerorum uulgaribus,

et

et eorum aetatibus, ueterum monumentorum fide illuſtratis. Viteb. 1727, 4. Miranda uaria per arithmeticam produci poſſe, nonnullis exemplis comprobat VOSSIUS de matheſi cap. VII, §. 6. Compendia arithmetica compoſuerunt STIEFEL, TACQUET, POETIUS, PESCHECK, aliique multi ad uſum uulgarem. De uſu arithmeticae in iurisprudentia diſſeruit FOUQUEROLLE. Uſus autem illius potiſſimum cernitur in iuſtitia commutatiua et diſtributiua, in iudicio familiae herciscundae, in computatione diuerſarum quartarum, ſocietatis, interuſurii, et generatim in rationibus reddendis. Conf. etiam THEOD. BALTH. NACKEN diſſert. de iure numeri; SAHME de iure numeri ſeptenarii, WOLDENBERGII tr. de numeris utriusque iuris ciuilis et canonici, SCHMOTHERS *Dreſdniſcher Canzley-mäſſiger Schreiber und Rechner*; DOEPLERS *getreuer und ungetreuer Rechnungs-Beamter*, IOH. GOTTFR. BOLZENS *Einleitung zum Amtirungs- und Rechnungs-Werck*.

§. CCXXXV.

Οὐδεὶς ἀγεωμέτρητος εἰσίτω.

Etſi hodie Geometrae publice conſtituuntur, qui artem ſuam plerumque mechanice expediunt; ſatius tamen eſt, ne in errores incidamus, principia certa perſpecta habere. Practicorum commodis inſeruiunt, MALLET, SCHWENTER, CANZLER, CLAVIUS, quibus iungas ſcriptores de ſtercometria doliorum (*viſiren*) IOH. HARTMANN, BAYER, KEPLER; item WEIDLERI inſtitut. geometr. ſubterraneae. Theoreticam geometriam diſcimus ex EUCLIDE, cuius ueſtigia recentiores etiam ſequun-

quuntur. Inter problemata uexata refertur potiſſimum quadratura circuli. Ad uſum forenſem ſpectat FERD. ERN. Comitis ab HERBERSTEIN erotema politico-philologicum: an ſtudium Geometriae rempublicam adminiſtranti obſtaculo ſit, an adminiculo, IO. BUTEONIS diſſert. Geometriae notitiam eſſe Iuriſconſulto neceſſariam; eiusdem liber de fluuiaticis inſulis ſecundum ius ciuile diuidendis; IAC. RIEGGER diſputatio de Geometria legali; BECK. et OETTINGER. de iure limitum; POLAC. c. I. ſect. II.

§. CCXXXVI.

Si nullam rebus quotidianis utilitatem afferret Algebra, quamquam illius uſus multiplex eſt; mentis tamen noſtrae aciem et attentionem mirum in modum auget.

Algebra hodie ad omnes ſcientias mathematicas accommodari ſolet, forſan et ad alias artes olim applicabitur. Specimen iam dedit BERNOULLI in arte coniectandi. Hiſtoriam literariam huius artis delineauit ERN. CHRIST. SCHROEDTER. in progr. de algebrae nomine, antiquitate et uſu. IOH. MELCH. STEINBRUGK. de magia mathematica ſiue algebra commentatio, ortum, progreſſum et praeſtantiam huius artis exhibens. Inter ueteres ARCHIMEDES de ſphaera et cylindro praecepta reliquit. Aetas iunior celebrat nomina CARTESII, HARIOTI, HOSPITAL, OZANAM, WALLISII, LEIBNITII, NEVVTON, BERNOULLIORUM.

§. CCXXXVII.

§. CCXXXVII.

Architectonice ciuilis et militaris, ut eſt antiquiſſima, ita etiam praeſtantiſſima.

Vid. ANONYMI diſſertation de l'origine de l'architecture dans l'Extraordinaire du Mercure galant, 1679, Tom. VI, p. 266 - 291. FELIBIEN recueil hiſtorique de la vie et des ouvrages des plus celebres Architectes. Hanc hiſtoriam germanice uertit PAUL. IAC. MARPERGER. GIORGIO FOSSATI ſtoria dell' Architettura, Venezia 1747. Apud ueteres nominis fama floret VITRUVIUS; apud recentiores PALLADIO, VIGNOLA, SCAMOZZI, BLONDELL, STURM, GOLDMANN. PENTHER. Add. *Cours d'architecture par* DAVILER, augmenté par LE BLOND. In architectura militari excellunt VAUBAN, RIMPLER, COEHORN, PAGAN, BEHR, STURM, accedit RITZII *gründliche Unterweiſung wie ein Cavalier in der Mathematic und ſonderlich in der Fortification müſſe informiret werden.* Artem pyrotechnicam excoluerunt SURIREY de St. REMY, BUCHNER, BRAUN, MIETH, GEISLER, BLONDELL. De pulueris pyrii inuentione uid. OBSERVAT. HALENS. Tom. X obſ. XII. LEUTMANNS *Nachricht von gezogenen Büchſen und Anmerckungen von Schieſſen.* 1751. Architecturam nauticam docet *l'art de batir les vaiſſeaux avec les pavillons de differentes nations*; nec omittenda Architecture hydraulique par BELIDOR. 1751. Harum artium elementa et ſcriptores tradit etiam *der geöffnete Ritterplatz* P. 1. Iuriſperito architecturae notitiam perquam utilem eſſe, ex legibus, de aedificiis conſtruendis, in conſtitutionibus politicis paſſim occurrentibus, colligere

gere licet. Si quis ad inſpectionem ocularem prouocet, in rem praeſentem ueniendum eſt, ubi rem non intueri tantum, ſed et cognoſcere conuenit. Multi cum pacis artibus bellica ſtudia coniungunt; inertem igitur iſtam ſententiam abiiciant; militem omnium rerum rudem eſſe decere. Sed quid militem rerum mathematicarum ac praeſertim artis muniendi urbes et caſtra notitia magis ornat? POLAC. cit. loc. part. III. BRUCKNER. de architecto iuriſperito. LEUCHT de iure feneſtrarum.

§. CCXXXVIII.

Ex mechanices artis initiis uariae artes uulgares, ſed utiliſſimae, multaque opera miranda oriuntur.

JUVENEL diſſ. ſur l'origine de quelques arts mechaniques dans le Mercure de France, Juin 1738 p. 1251. diſſ. hiſtorique ſur les manufactures ib. Mars 1738 p. 466. WALLIS. de mechanica ſeu motu. MARIOTTE du choc des corps. de la HIRE traité de mechanique. BION conſtruction et uſage des inſtrumens mathematiques, germanice uertit et auxit DOPPELMEYER. Machines et inventions approuvées par l'academie royale des ſciences. HENNINGS *Sammlung nützlicher Maſchinen und Inſtrumenten.* LEUPOLDI theatrum machinarum. Miſſis aliis, mentionem faciamus molarum, de quibus in iure uarie diſputatur. POLAC. cit. loc. Part. IV. BILER. de arbore et palo molinario. HERING. de molendinis.

§. CCXXXVIIII.

§. CCXXXVIIII.

Cum Aſtronomiae ſtudio prorſus diuino coniunctae ſunt artes maxime neceſſariae, chronologia, geographia et gnomonica.

Dubium non eſt, quin Aſtronomia inter artes antiquiſſimas connumeranda ſit, quia etiam agriculturae auxilium praeſtat. Studii huius hiſtoriam enarrat GASSENDUS in praefatione ad uitam Brahei, IO. KEILL. in introduct. ad ueram aſtronomiam; IEAN DOMINIQUE CASSINI dans le traité de l'origine et du progrés de l'aſtronomie et de ſon uſage dans la geographie et dans la navigation dans le recueil des obſervations; item IO. FRID. WEIDLER, LUD. DE L'ISLE; R. HEATHCOTE aſtronomos ueteres recenſet. FABRICIUS in biblioth. graeca lib. III cap. 5, lib. IV, cap. 14. Alii partem hiſtoriae aſtronomiae illuſtrarunt, quo conſilio CHRIST. FRID. TRESENREUTER. diſſertationes duas de ſcientiae cometicae fatis et progreſſu habuit, et IO. NIC. FROBESIUS in bibliographia ſelenographorum adornanda adhuc uerſatur. De ſtudio aſtronomico optime meriti ſunt IO. REGIOMONTANUS, TYCHO DE BRAHE, RICCIOLI, COPERNICUS, HEVELIUS, CASSINI, FLAMSTAD. MANFRED. GREGOR. KEPLER, NEVVTON, DOPPELMEYER, cuius opera exſtat Atlas caeleſtis. Artis gnomonicae elementa docet itidem DOPPELMEYER et EBERHARD WELPER. Quod ad horologia attinet, uide *hiſtoriſche Anmerckung von der Erfindung der groſſen Uhren in den Leipzig. Sammlungen von allerhand zum wirthſchafftlichen Policey - und Cammer - Weſen dienlichen Nachrichten*, Vol. II, Part. XX, p. 754. Lettre hiſto-

hiſtorique ſur l'horlogerie dans le Mercure de France Avril. 1742 p. 629.

§. CCXXXX.

Optica non ſolum aſtronomiae, ſed et architecturae, pictoriae, aliisque artibus multum utilitatis affert.

Vid. VITELLONIS opera optica. COLHANS. tractatus opticus. MARIOTTE eſſay de la nature des couleurs. NIC. HARTSOEKER. eſſay de dioptrique. P. ANDR. POZZO architectura pictorum et ſculptorum. IOH. CHRIST. REMBOLD. perſpective pratique. ANT. VON LEUWENHOEK opera omnia ſeu arcana naturae, ope exactiſſimorum microſcopiorum detecta. CHRIST. GOTTL. HERTEL. *vollſtändige Anweiſung zum Glaſſchleiffen.*

§. CCXXXXI.

Muſica amoenitatibus ſuis commendabilis, artibusque mathematicis merito reſtituenda, iurisperitis uarias proponit quaeſtiones.

De utilitate Muſices uberius diſquirit VOSSIUS de matheſi. MAIORAGIUS in orat. et ADAM STADEN. in diſſ. ſingul. Quod muſica ars ſit pars eruditionis philoſophicae, declarat diſſ. LAURENT. MIZLERI. Ad hiſtoriam Muſices pertinent IO. ALB. BANNI diſſ. epiſtolica de muſicae natura, origine, progreſſu et ſtudio bene inſtituendo. Traité de l'origine de l'Harmonie, et de ceux, qui l'ont inventée, de ſon uſage et de ſes effets, dans l'Extraordinaire du Mercure galant, Juillet, 1680, Tom. XI, p. 240 - 275. Octob. 1680, Tom.

Tom. XII, p. 56 - 76 et p. 312 - 350. BONNET Hiſtoire de la Muſique et de ſes effets, depuis ſon origine jusqu' à preſent, IV Tomes. GE. ANDR. ANGELINO BONTEMPO Hiſtoria Muſica, nella quale ſi da piena cognitione della Teorica e della Pratica antica della Muſica harmonica etc. WOLFG. CASP. PRINTZ. *hiſtoriſche Beſchreibung der edlen Sing- und Kling-Kunſt.* Scriptores muſicae ueterum recenſet FABRICIUS in bibliographia antiqua cap. 11, §. 15. De cleri Romani controuerſia cum clero Germanico circa muſicam eccleſiaſticam uid. *Obſeruat. Hall.* tom. VII obſ. 17. Hiſtoriam muſices literariam explicat LORENZ MIZLERS *neu eröffnete Muſicaliſche Bibliothec,* IO. MATHESONS gloria muſica *oder Grundlage einer Ehren-Pforte für die tüchtigſten Capell-Meiſter* etc. IO. GOTTFR. WALTHERS *Muſicaliſches Lexicon oder Muſical Bibliothec.* Leipz. 1732. it. *Kurtzgefaſtes Muſicaliſches Lexicon, Chemnitz* 1749. HEUMANN. in conſp. c. V §. 17. Muſicam in republica magni momenti eſſe putauit PLATO; Damonem enim dixiſſe, ait lib. IV de republica, non poſſe muſicam immutari in republica, quin continuo magna ſequatur reipublicae immutatio, propterea Timotheus Mileſius, cum in magade, organo muſico, plures adhibuiſſet neruos, quam antea ſolerent, in iudicium eſt uocatus, quaſi priſcam labefaceret muſicam. Muſica forenſis explicatur in MYLII diſſ. de iure circa muſicos eccleſiaſticos. IO. DAN. STIPPER. progr. de muſica inſtrumentali tempore luctus publici prohibita. IO. FRID. SCHEID. diſſ. de iure in Muſicos ſingulari Rappoltſteinenſi. Electorem Saxoniae buccina-

torum iudicem et protectorem eſſe, in iurisprudentia publica monſtratur. Vid. WILDVOGEL. de buccinatore. *Der prüfenden Geſellſchafft fortgeſezte Bemühungen* Part. IV.

§. CCXXXXII.

Aſtrologia, Geomantia, Chiromantia tamquam artes uanae ac fallaces exterminandae ſunt; ex phyſiognomia caute coniecturas capiamus.

JOSEPH. MAR. MARAVIGLIA pſeudomantia ueterum et recentiorum exploſa. PRAETORIUS *von curioſen Wiſſenſchafften*. SIGISM. SCHMIDER. de aſtrologia iudiciaria Chriſtiano philoſopho indigna. SALMASIUS de annis climactericis et aſtrologia. SAM. STRYK. de phyſiognomia.

CAPUT XXXII.

DE PHILOSOPHIA PRACTICA SIVE MORALI.

§. CCXXXXIII.

Quemadmodum omne ueritatis ſtudium uanum eſt et inefficax, niſi ad noſtram aliorumque felicitatem in uirtutis uſu conſiſtentem referatur: ita diſciplina morum, quae uiam ad uirtutem oſtendit, reliquis philoſophiae partibus longe eſt praeſtantior.

Recte LUCIANUS in conuiuio: *ουδεν οφελος επιςασθαι τα μαθηματα, ει μη τις αρα και τον βιον ρυθμιζη προς*

το

τὸ βέλτιον. In praxi philoſophiae huius uis omnis poſita eſt; idcirco tamen ea regulis non deſtituitur theoreticis, quas quidem multi tenent, tamquam ueritates mathematicas, ſed uita illas non exprimunt.

§. CCXXXXIV.

Etſi hodie philoſophiam moralem in diuerſas diſciplinas, ethicam ſcil. ius naturae, decorum, politicam etc. diſpertire ſolemus; nemo tamen ſibi perſuadeat, has diuerſis niti principiis, aut diuerſa obligandi ratione.

Si alia officia putamus eſſe ſtricti iuris, nonnulla honeſtatis, quaedam decori; illa non diſtinguit aeternus legislator, qui nos omnem uirtutem, qua quicquid eſt officiorum continetur, ſequi iubet. Nos pro diuerſa ſocietatis hominum conditione diſtinguimus; nam in ſocietate magna, cui nos ipſa natura adſcribit, multa exigi nequeunt, quae in ciuitate poſtulantur. At, ubi officia ad initia ſua reducuntur, per omnem diſciplinam moralem eamdem uim legis ualere animaduertimus; quod ex libris philoſophorum apodictice ſcriptis abunde patet. Quare ueteres philoſophi reprehendendi non ſunt, quod officiorum genera ſubtiliter non disiunxerint.

§. CCXXXXV.

Quisquis ratione ſana et experientia recte utitur, hominisque naturam ſtudioſe explorat, is in doctrina morum feliciter progredietur. Veteres his praeſidiis inſtructi de moribus non inepte ſtatuerunt.

 Philo-

Philoſophiae moralis ebraicae, ethnicae et chriſtianae hiſtoriam, et generatim et ſpeciatim, literis illuſtratam fuiſſe conſtat. PLACCIUS de ethici ſtudii hiſtoria differit in commentatione de morali ſcientia augenda. BARBEYRAC. in praefatione ad opus Puffendorfianum eamdem hiſtoriam explanauit. IO. IOACH. ZENTGRAF. dedit ſpecimen antiquitatum moralium, ſiue hiſtoriae moralis antiquae, cui GEORG. PASCH. introductionem in rem literariam moralem ueterum ſapientiae antiſtitum addidit. GUNDLINGII hiſtoria philoſophiae moralis opus praeclarum, ſed imperfectum. STOLLENS *Hiſtorie der Heidniſchen Moral* omni commendatione digna. De fatis ſtudii moralis inter ebraeos diſſertationem edidit HENR. SCHARBAU. EBERTUS ethicam Ebraeam expoſuit. Notitia librorum haurienda ex BENR. IUL. SCHEUERLII bibliographia morali; item ex CASP. GOTSCHLING. bibliogr. ethica, qua nonnulli ſcriptores ethicae, praecipue Galli, recenſiti et iudicati afferuntur. STRUVII bibl. philoſoph. tom. II cap. I.

§. CCXXXXVI.

Veteres philoſophiam practicam ſyſtematice non tradiderunt, ſed uaria methodo, eaque iucunda, homines ad uirtutis ſtudium allicere ſtuduerunt. Hinc praecepta illorum fabularum, emblematum, dialogorum, adagiorum, characterum formas induere iubebantur.

De uariis modis moralia tradendi, item de fabularum et parabolarum uſu commentatus eſt PASCHIUS. Magni facimus SALOMONIS ſententias,

tias, librum Sapientiae et Syracidae. conf. IOSEPH. HALL. *Salomons Regier - Haushaltungs- und Sitten-Kunſt.* Aegyptiorum philoſophia hieroglyphica erat. Perſae laudant SCHICH SAADI roſarium et Arabes LOCMANNI fabulas, quas ERPENIUS latine et ADAM. OLEARIUS theotiſce reddidit. Indis placent fabulae FILPAY. Conf. SEB. GOTF. STARCKE ſpecimen ſapientiae Indorum ueterum. ABR. TRIBBECHOVIUS de philoſophia morum inter barbaros Orientales (§. CLXXXXV). De Sinarum philoſophia morali noſtri quoque philoſophi honorifice ſentiunt. Vid. BILFFINGER. ſpecimen doctrinae ueterum Sinarum moralis et politicae. IO. NIC. FUNCC. de morali Sinenſium philoſophia. (§. CLXXXX, 6). Qui in HOMERI libris ingentem ſapientiam latere putant, minus falluntur, ſi morum philoſophiam ex illis repetunt. STOLLII diſſ. *an Homerus fuerit philoſophus moralis.* MICH. NEANDRI gnomologicum graeco-latinum. AESOPI fabulae plurimis in linguis leguntur. Latine illas narrat PHAEDRUS et AVIENUS. IO. CHRIST. WOLFII diſſ. de mythica moralia tradendi ratione noua antiqua. BUDDEI diſſ. de philoſopho fabularum amatore. IAC. THOMASIUS de fabulis poetarum. ANDR. CHRIST. ESCHENBACH. de fabularum poeticarum ſenſu morali. De fabulis Romanenſibus diximus §. LXXXXVII. Septem ſapientium oracula ſeruarunt PLUTARCHUS, AUSONIUS, STOBAEUS. PYTHAGORAS ſymbolis delectabatur, a quo etiam carmina aurea nomen habent. GE. LUDW. AMBERGER. exercit. de uita et ſymbolis Pythagorae. PHILIPP. BEROALD. de ſymbolis Pythagorae. OMEISII ethica pythagorica.

 THEO-

THEOGNIDIS et PHOCYLIDIS ſententiae praeclarae, ſed non omnes ab iſtis auctoribus profectae putantur. De philoſophia morali ueterum Germanorum orationem habuit CHRIST. STEPH. KAZAUER. Ethicam hiſtoricam ſcripſit IO. IAC. BEURER; paradigmaticam IO. CONR. DÜRR. THEOD. ZWINGER in theatro uitae humanae bonorum atque malorum exempla ethicae philoſophiae praeceptis accommodare maxime contendebat. Per dialogos docent PLATO et LUCIANUS. Ethicae paraeneticae ſyſtema adornauit WILHELM. MECHOVIUS. MELCH. GOLDAST. paraeneticos ueteres edidit.

§. CCXXXVII.

Inter Graecos morum doctores excellunt SOCRATES, ARISTOTELES et Stoici.

De Socratis uirtute iudicia ſunt diuerſa; connumeratur tamen iſte inter ſtatores philoſophiae morum. HEINSII oratio de doctrina et moribus Socratis. GOTTFR. WILHELM. PAULI diſſ. de philoſophia morali Socratis. CHRIST. FRID. BOERNER. oratio de Socrate ceu perfectiſſimo boni ethici exemplo, CHRIST. LOEBER. diſſ. de fundamento legum naturalium ſecundum diſciplinam Socratis; FRID. MENZ. Socrates nec officioſus maritus, nec laudandus paterfamilias. Ethicam Platonicam OMEISIUS ſyſtematice expoſuit. CEBETIS, Socratis diſcipuli, tabula iure commendatur. Ad Stoicam philoſophiam inſtituit enchiridion EPICTETI, SIMPLICII et ARRIANI commentariis illuſtratum. Elementa philoſophiae Stoicae moralis dedit CASP. SCIOPPIUS. Ariſtotelis doctrina moralis ex omni quidem parte perfecta non eſt, mul-

multis tamen ac diu placuit. Egregios THEOPHRASTI, Ariſtotelis diſcipuli, characteres etiamnunc exiſtimamus. De reliquorum philoſophorum praeceptis pauca ſuperſunt documenta. Epicuri dogmata moralia exhibet GASSENDUS; DES COUTURES dans la morale d'Epicure. Add. IO. IAC. ZENTGRAV. diſſ. de fine hominum ſecundum diſciplinam Cyrenaicorum, Eretriacorum et Megaricorum. GUNDLINGS *Gedancken über den weinenden Heraclitus und lachenden Democritus* OTIOR. P. III. BUDDEI exercit. de ſcepticiſmo morali.

§. CCXXXXVIII.

Romani diſciplinam morum et ſyſtematice et multis aliis modis docebant.

CICERO et SENECA tenent primas. IO. CHRIST. FUGMANN. diſſ. de Ciceronis philoſophia morali. ANTON. BUCHER. ethica Ciceroniana. PUBL. SYRI ſententiae et DION. CATONIS diſticha de moribus non ſpernenda ſunt; quibus iungi poſſunt PLUTARCHI et MARCI AUREL. ANTONINI ſcripta moralia. KOELER. de philoſophia Marci Aurel. Antonini Auguſti. BUDDEI introductio ad philoſophiam Stoicam ex mente ſententiaque M. Aur. Antonini.

§. CCXXXXVIIII.

Etſi diuina Chriſti doctrina omnium philoſophorum ſcitis longe anteferenda eſt; rationis tamen praecepta morum abiicere non poſſumus, quia cum iis etiam, qui chriſtiana dogmata non agnoſcunt, uiuendum eſt.

Si Chriſtiani inter ſe ſoli agunt,magiſtri ſui iuſſa et exemplum ſemper cogitent intueanturque, quae tam pura, tamque ſublimia ſunt, ut uel ex iſtis diuina auctoris indoles eluceat. Quare prima Chriſtianorum progenies in praeceptis illis acquieſcebat, nec patribus eccleſiae de moribus, philoſophorum more, commentari placebat. Vid. REMIG. CEILLIERII apologie de la morale des peres de l'egliſe contre les injuſtes accuſations du Sr. Barbeyrac. Traité de la morale des peres de l'egliſe contre l'apologie de la morale des peres du P. Ceillier par JEAN BARBEYRAC. MICH. FOERTSCH. diſſ. de philoſophia morali et iurisprudentia chriſtiana ueterum eccleſiae Doctorum. Eminet inter illius aetatis philoſophos ſcriptores BOETIUS, qui de conſolatione philoſophiae libros V reliquit. Cum deinde Ariſtoteles iterum dominari coepiſſet, Scholaſtici illius praecepta cum ſacris literis, patrum ſententiis et canonibus miſcebant,atque adeo philoſophiam moralem turpiter dehoneſtabant. THOMAE Aquinatis lectiones ethicae minus ineptae putantur. Poſtea, ſaeculo ad meliorem frugem redeunte, Ariſtotelem ipſum interpretari ſtuduerunt uiri de literis optimis bene meriti, e quibus nominaſſe ſat eſt IOACH. CAMERARIUM, PETRUM VICTORIUM, OBERTUM GIPHANIUM. Alii ex mente Ariſtotelis inſtitutiones morales concinnabant, ueluti PHILIPP. MELANCHTHON, HORNEUS, EM. THESAURUS, HENR. IUL. SCHEURL, SAM. RACHELIUS, DÜRRIUS, IAC. THOMASIUS, HEBENSTREIT. Methodo Ramaea ethicam tradebant IOH. THOM. FREIGIUS et RUDOLPH SNELL.

§. CCL.

§. CCL.

Eclectica philoſophandi ratio doctrinam quoque morum hodie peruaſit. Diuerſa, ut exiſtimant, officiorum genera diuerſis definiuntur diſciplinis, et ſuam quisque ſequitur methodum iucundam magis, quam ſeueram.

FRANCISCUS BACO DE VERULAM. in tr. de augmentis ſcientiarum, item, in ſermonibus fidelibus de emendanda philoſophia morali laborauit. MICHEL DE MONTAIGNE et CHARRON libere, ſed acute mores perquiſiuerunt. Ex principiis Carteſianis et enthuſiaſticis philoſophatus eſt MALEBRANCHE. Prodiit etiam Halae 1719. 8. *ethica Carteſiana*. ARNOLDI GEULINX ethica obſcura eſt et uitanda. THOMAS. et BUDDEUS ius naturae, ethicam et politicam ſeparatim tradiderunt. GENZKENIUS addidit officia pietatis. WOLFFIUS philoſophiam practicam ſtabiliuit, qua omnium officiorum initia continentur; nunc ethicam plenius tractare inſtituit. Nec ſilentio tranſire licet IO. NICOL. ALEXANDRI MAUROCORDATI, principis Wallachiae, librum de officiis, graece ſcriptum. Add. GUNDLING. uia ad ueritatem moralem, HEINECCII elementa philoſ. mor. LEHMANNS *neueſte und nützliche Art die ſo genannte Moral zu erlernen*. ISRAEL GOTTL. CANZII diſciplinae morales omnes, etiam eae, quae forma artis nondum hucusque comparuerunt, perpetuo nexu traditae. AUBEE *Grundſätze des Rechts und der Moral*.

§. CCLI.

Non omnibus totum campum officiorum emetiri, ſed locum ſingularem tractare placuit.

Ex huius generis libellis interdum utilitas maior, quam ex ſyſtemate male recocto, peti poteſt.

Quum in commotionibus animi moderandis haud poſtrema felicitatis noſtrae pars ſita ſit: temperamentorum et affectuum indoles haud fruſtra exploratur. FRID. HOFFMANN. de temperamentis fundamento morum et morborum in gentibus erudite diſſeruit. SPENER. hiſtoriam doctrinae de temperamentis expoſuit. De affectibus noſcendis et compeſcendis praecepta reliquerunt LAEL. PEREGRIN. et ALOYS. LUISIN. Euoluantur etiam auctores §. CCXXV excitati. TRIER. *kurtze Fragen von den menſchlichen Gemüths-Bewegungen.* HANSCHII pathologia. Iucunditate ſua ſe commendant, qui characteres hominum depinxerunt, artemque aliorum animos cognoſcendi docuerunt. Enumerauit illos PASCH. in diſſ. de philoſophia characteriſtica et paraenetica. Hic notentur LUD. MOLINAEI, de la BRUYERE, IOSEPH. HALL. characteres. SCIP. CLARAMONTIUS de coniectandis hominis moribus et latitantibus cuiusque affectibus. ABBADIE *l'art de ſe connoitre ſoi meme.* de la CHAMBRE *l'art de connoitre les hommes et les caracteres des paſſions.* IO. IOACH. BECCHER. coſmoglotta ſiue mundi lingua, qua oſtenditur ars diuinandi ſecretiſſima hominum ex actionibus eorum. WALCH. de arte aliorum animos cognoſcendi. THOMAS. *Wiſſenſchafft das verborgene des Herzens anderer Menſchen zu erkennen.* ROHR. de eod. arg. IO. ANDR. FABRIC. *von der moraliſchen Erkenntnus der menſchlichen Gemüther*, §. 12 ſq. notitiam

tiam literariam huius artis promit. Nihil homini dulcius mentis quiete, nihil optatius ſolatio in aduerſis. Itaque facile ſe lectoribus probant libelli de tranquillitate animi, de conſtantia rebus in afflictis &c. uid. PETRARCHA de remediis utriusque fortunae. RUDIGER. et HOFFMANN. et alii *von der Zufriedenheit*. ANT. SARASAE ars ſemper gaudendi.

§. CCLII.

Ubi actiones noſtras, ut par eſt, ad conſcientiam referimus: non deeſt materia de caſibus conſcientiae diſputandi; unde ſcepticiſmus moralis.

Ieſuitas probabiliſmi moralis conſtat inculpari, quem detexit LUDOV. MONTALTIUS ſiue BLAS. PASCALIS in epiſtolis prouincialibus. P. PICOT eidem oppoſuit *apologie des Caſuiſtes*. conf. SAM. RACHEL. examen probabilitatis Ieſuiticae, nouorumque caſuiſtarum. THOM. STEGER. de probabilitate nouo moraliſtarum atque Ieſuitarum dogmate. EL. VEIEL. diſſ. de probabilitate moraliſtarum pontificiorum aſylo. PFAFF. animaduerſiones ad corpus doctrinae moralis Sorbonicum.

§. CCLIII.

Si ab ingenti praeceptorum morum copia ad uerum uirtutis cultum ualeret argumentatio: nullum ſane noſtro ſaeculo foret integrius, nullum ſanctius: at experientia docet, philoſophiam practicam nimis eſſe theoreticam.

Scripto-

Scriptorum ad philoſophiam morum pertinentium numerus hodie uix iniri poteſt. Apud omnes fere gentes cultiores nunc prodeſſe uolunt ſapientes et delectare, ſuisque praeceptis uaria impertiunt ueſtimenta. Germani, Galli et Angli de ingenii gloria certare uidentur. Opera periodica indicauit FABRIC. in noua MORHOFII polyh. editione; ſed in dies creſcit copia. Hamburgenſis, ut dicebatur, *Patriota* multos excitauit imitatores, ſed ſuperatus a nullo. Dein lectorum animos permulcebant et adhuc permulcent *die Tadlerinnen*, *Biedermann*, *Socrates*, *Druide*, *Menſchenfreund*, *Menſch*, *Jüngling*, et alia, quae uocant, mentis oblectamenta. Inter Gallos laudantur fabularum et comoediarum artifices de la FONTAINE, de la MOTTE, MOLIERE, VOLTAIRE; TELEMACHUM nunc omnes norunt. Alii commendant *les memoires d'un homme de qualité, qui s'eſt retiré du monde*; *l'hiſtoire de Cleveland*; *Gilblas*. Liber: *les moeurs*, iudicio non aequo exceptus. *Spectator* anglicus multis aliis longe antecellit; ex eo ortus *Mentor moderne*. Ingenio abundant opera SWIFTII; acute philoſophatur POPE. Danorum gloriam illuſtrat HOLBERG. uid. STRUV. bibl. philoſ. P. II p. 103.

§. CCLIIII.

Quam arcte philoſophia moralis cum iurisprudentia cohaereat, monere nihil attinet, quia legum ſcientiam ex principiis moralibus conflatam eſſe inter omnes conſtat.

Si quis nexum utriusque diſciplinae propius inſpicere cupiat, is conferat IOH. EISENHARD. diſſ. de

de uſu principiorum mor philoſophiae in iur. ciu. condendo et interpretando. IOH. GOTTH. von BOECKELLEN orat. de neceſſitate et uſu philoſophiae practicae in ſtudio iuris; his adiungi poteſt LAUR. ARNOLDI iurisprudentia ethica ſiue collatio philoſophiae mor. cum iure ſcripto, VINCENTII TURTURETI collatio doctrinae mor. cum decretis Iurisconſultorum. Nonnulli in commentariis ad tit. iuris de iuſtitia et iure philoſophiam moralem explicarunt, ueluti DOMINICUS SOTUS, LUD. MOLINA, LEONH. LESSIUS, IO. DE LUGO.

CAPUT XXXIII.

DE IURE NATURAE.

§. CCLV.

Iuris naturae diſciplina hodie legum cultoribus tamquam baſis totius iurisprudentiae commendatur, quamuis doctores eamdem modo latius, modo anguſtius definiant.

Si ius naturae docet, quidquid officiorum ratione magiſtra cognoſci poteſt; id a philoſophia morali diuerſum non eſt, nec ueteribus diuerſum uidebatur; ſed hodie illud plerumque officia ſtricti iuris, quae non ex humanitate, uerum ex neceſſitate manant, comprehendit, ideoque a nonnullis ius naturae cogens uocatur. Haec philoſophiae moralis pars olim ſeorſim non exculta fuit, ut apparet ex hiſtoria iuris naturae, quam uiri ſolertiſſimi ſcripſerunt, BUDDEUS ſcil. LUDO-

LUDOVICI, THOMASIUS, REINHARD., GLAFEY, KEMMERICH. aliique in compendiorum ſuorum exordiis. De praecipuis nonnullis iuris naturae ſcriptoribus commentati ſunt WERNHER. CAROLUS OTTO RECHENBERG, WUCHERER., GEORG. ANDR. VINHOLD. Bibliothecam iuris naturae et gentium adiunxit hiſtoriae ſuae iuris naturae GLAFEY; ſed pleniorem adornare coepit MEISTER. Huc etiam pertinet bibliotheca iuris imperantium, quae Noribergae 1727 prodiit. IOH. GROENING. bibliotheca iuris gentium Europaea et exotica. De meritis Germanorum in iurisprudentiam naturalem ſpecimen tractationis edidit NIC. PRAGEMANN.

§. CCLVI.

Diſciplinae hujus inſtaurator HUGO GROTIUS perhibetur, cuius liber de iure belli et pacis epocham quaſi conſtituit; ſed anceps de eodem, ut in rebus nouis ſit, iudicium erat.

Iam ante Grotium NIC. HEMMING apodicticam methodum de lege naturae euulgauit, pariter ac IUSTUS BENEDICT. WINCKLER. librum de principiis iuris, ſed ſine emolumento. ALBERICUS GENTILIS in tr. de iure belli meliora dedit, quae uel Grotio praelucere poterant. Caue putes, Grotium ex uno principio theſes ſuas duxiſſe, quamquam ſocialitatem ceu fundamentum quoddam poſuiſſe uidetur. Tantam eruditionem libro, qui ratione ſola confici debet, afferre non neceſſe habuerat, niſi ius gentium uariis conſuetudinibus nixum tradere uoluiſſet. Pauci, imo pauciſſimi commentatorum Grotii auctoris ſui doctri-

doctrinam exaequarunt; quare non omnium labores eiusdem ponderis eſſe putantur. Potiores ſunt GRONOVIUS, BARBEYRAC. TESMAR et OBRECHT, COCCEII, VON DER MUELEN. Multi Grotium in alias formas abire iuſſerunt.

§. CCLVII.

Grotii exemplo excitati Angli duo, uiri acutiſſimi, IOH. SELDENUS et THOMAS HOBBESIUS ius naturae noua ratione expoſuerunt.

Ille in tr. de iure naturae et gentium iuxta diſciplinam Hebraeorum, quem BUDDEUS in compendium redegit; hic in elementis de ciue, quae uariam fortunam experta ſunt. Impugnabantur A RICHARDO CUMBERLAND, ROB. SCHARROCK, SAM. STRIMESIO, GISBERT COQUIO. Defendebantur a LAMBERTO VELTHUYSEN, et GUNDLINGIO.

§. CCLVIII.

SAMUEL PUFFENDORFFIUS Grotii et Hobbeſii principia iudicio ſuo ita temperauit, ut iuris naturae ſyſtemata naſcerentur, ſaeculis cunctis profutura.

Scilicet neminem fugit Puffendorffii ius naturae et gentium, et libellus de officio hominis et ciuis. Multorum tela recipere coactus fuit uir ſummus; recepit ac fortiter retudit. Aduerſabantur nimirum ipſi SCHVVARZIUS, BECMANNUS, SCHERZERUS, VALENTIN. ALBERTI, STRIMESIUS, ZENTGRAV, quos nunc caeca nubes premit, Puffendorffius autem ſemper in luce uerſabitur.

Opera,

Opera, quae diximus, non ſolum in uarios ſermones tranſibant, ſed etiam ſtudio celeberrimorum uirorum illuſtrabantur. BARBEYRACII uerſio gallica et annotationes ſunt eximiae. Accedebant etiam HERTII notae. Ius naturae et gentium cum ſuis et aliorum commentariis recudendum curauit GOTTFR. MASCOVIUS. Non ſine fructu HOCHSTETTERUS collegium Puffendorffianum conſcripſit. Libro de officio hominis et ciuis cogitationes ſuas adſperſerunt WEBER., PROELEUS, BARBEYRAC, KEMMERICH, TITIUS, TREUER, EVERH. OTTO, ROTHER.

§. CCLVIIII.

Poſthaec, ſi ulla in re, certe in iure naturae eclectice philoſophari coeperunt; ſuum quisque ſequitur genium, ſua principia, neſcio an ſatis commode.

THOMASIUS inſtitutiones iurisprud. diuinae et fundamenta iuris naturae ex diuerſis principiis tradidit; FLEISCHER. in inſtitutionibus iuris naturae et gentium Thomaſii ſententiae inhaeret. Inter reliquos iuris naturae magiſtros magna nomina reperiuntur, quorum hypotheſes recenſere nunc ſuperſedemus. Notum eſt ſtudium BUDDEI, WERNHERI, COCCEII, GE. BEYERI, EPHRAIM. GERHARDI, GUNDLINGII, GRIEBNERI, GLAFEY, CHRISTIAN et IACOB GABR. WOLFF, KOELERI, HEINECCII, WAGNERI, WEIDLERI, DARIES, CLAPROTH, PÜTTER, et ACHENWALL, HOLBERG. HOLLMANN.

§. CCLX.

Haud diffiteor, iſtos iuris naturae interpretes cum iuri gentium, tum iuri ciuili opem ferre

ferre inſignem, qui pacem ſiue quietem externam fundamenti loco ſumunt; ex hoc enim principio, quid ſit iuris ſtricti, definiri poteſt luculentius; aſt id nondum definitum eſt, quia iuris ſtricti nunc eſt, quod ipſum, mutata paullulum rerum facie, humanitatis eſſe cognoſcitur.

De principio iuris naturae longa diſceptatio. PROELEUS de origine diuerſorum iuris naturae principiorum IOH. GUIL. IANI iudicia eruditorum de principio iuris naturalis cum uera ſententia comparata. Multi in ipſa principii idea hallucinati ſunt. Ratione duce ius naturae diſcimus, ſed ipſa ratio nos ad firma iuris naturae initia reſpicere iubet. Alii ius naturae ſine principio tradi poſſe arbitrantur, ut GRIEBNERUS et PHILIPPI in diſſert. ſingulari: uerum hi ſibimet ipſi contrarii eſſe uidentur, quia ueritates omnes ad principia ſua redeunt firmiſſima. Quidam principia ponunt, quae diſciplina uel latiora ſunt uel anguſtiora. Vitium plurimorum compendiorum commune ac uix uitandum, donec fines officiorum rite terminentur. In hunc cenſum ueniunt, qui uel ſtatum integritatis, uel praecepta Noachi, uel decalogum, uel charitatem aſſumunt. Multis plura placent principia, nec falluntur, ſi non regulas tantum iuſti, ſed et honeſti ac decori iure naturae complectuntur. GLAFEY *im Recht der Vernunfft* p. 282 conſpectum uariorum principiorum exhibuit. Conf. HOMBERGK. ZU VACH dubia iuris naturae.

§. CCLXI.

Officia ſtricti iuris hoc charactere ab aliis diſcernuntur, ſi hominum ſocietas, neglectis iſtis, conſiſtere nequeat, ſed bellum perpetuum in ſtatu libero, perpetuae lites in ciuitate oriantur. Natura omnes homines aequales eſſe iubet, nec in ciuitate hactenus aequales eſſe deſinunt, ut ſe ſuaque, inſtinctu quodam legitimo impellente, conſeruent, tueanturque. Itaque iure ſtricto poſtulare poſſunt, ne laedantur ullo modo, uel quod ad uitam et corpus, uel quod ad exiſtimationem et fortunas attinet. Poſcunt etiam, ne in iure per pactiones acquiſito turbentur. En totius iuris naturae mentibus noſtris infixi epitomen!

Subtiliora officia non tradit iuris naturae diſciplina, quam etiam in homine rudi requirimus. Iura ſint manifeſta, laeſio certa. Si quis damnum ultro ſarcire cupiat, non opus eſt bello. Damnum autem, ut ſarciatur, itidem lex naturae praecipit. Quousque iuris ſtricti fines porrigantur, iuris ciu. doctores optime intelligunt. Si qua diſceptatio naſcatur; ad rationis tribunal res tandem deferenda erit. Interdum enim de legitima defenſione, de pactorum interpretatione &c. diſpiciendum eſt; ſed difficultates iſtae imperium ſuadent. SCHNEIDER. diſſ. de finibus iurispr. natur. regundis.

§. CCLXII.

Iuris ſtricti officia nemo, qui uniuerſa hominum ſocietate continetur, ſubterfugere poteſt;

teſt; at nonnullae ſocietates ſingulares, eaeque minores, quibus nimirum coniuges, parentes et liberi, domini ac ſerui coniunguntur, ſibi ſingularia quoque officia imponunt.

Hanc iuris naturae partem ius ſociale dicunt. Principia quaedam in eo ſuppeditantur ad quaeſtiones aliquas in ciuitate quoque decidendas, u. c. de polygamia, diuortio, poteſtate parentum et maritorum, ſeruitute &c.

§. CCLXIII.

Ut ſtatus libertatis omnium eſſet feliciſſimus, ſi mortales a mentis perturbationibus uacui non ſolum pacem externam, uerum etiam uirtutem colerent: homines tamen cupiditatibus prauis abrepti hanc beatam ſortem aſpernantur, ſuamque ſecuritatem, niſi arctiorem ſocietatem conflent, imperioque ciuili ſe ſubiiciant, uix tueri poſſunt.

Nonnulli quidem homine, chriſtiano praeſertim, indignum putant, formidine poenae officiis adſtringi; ſed quia omnes fere officiorum ſunt immemores, conſultius eſſe uidebatur, omnes, intercedente magiſtratu, ad obſequium redigere. Singularia certe de Groenlandis narrantur, qui imperium licet ac religionem ignorent, quiete tamen uiuunt.

§. CCLXIIII.

Imperium a ſtatu libertatis diſcernendum eſt; ſed tantum abeſt, ut ius naturae, ſeu lex

rationis in ſocietate imperantium et ſubditorum opprimatur, ut in republica gubernanda eniteat maxime.

Iuris publici uniuerſalis principia plerumque iuris naturae ſyſtematibus adiungi ſolent; ſeorſim illa tradiderunt IO. FRID. HORN. in politica architectonica; LOCK *du gouvernement civil.* SIDNEY *diſcours ſur le gouvernement.* ULR. HUBER. in libr. de iure ciuitatis, notis THOMASII illuſtr. ZIEGLER. de iure maieſt. et qui primum locum tenet ill. BOEHMER. in introd. in ius publ. uniuerſum. Idem negotium tractarunt etiam FRITSCH. et P. FRANC. SCHMIER. add. IO. SALOM. BRUNQUELL. *eröffnete Gedancken von dem allgemeinen Staats-Recht und deſſen nöthigen Excolirung.* Singula huius diſciplinae capita de origine ſcil. imperii, de legibus imperii primariis, iuribus maieſtatis, religionis et imperii concordia, tributis, iudiciis &c. iam a multis explanata fuerunt largiſſime. Reipublicae diuerſitas diuerſum efficit ius publicum. De iure publico populi Romani uid. SCIP. GENTILIS. IO. GODESCALC. CLAUSING. uariis libellis tom. III collectis inſcriptionem praefixit: Ius publicum Romanor. (§. CCLXXXV).

CAPUT XXXIIII.

DE IURE GENTIUM.

§. CCLXV.

Sicut homines ſinguli ſocialiter uiuere iubentur: ita gentes magna quadam ſocietate iun-

iunguntur, cuius leges emolumentorum ſuorum cauſſa ſtudioſe debent colere.

Etſi nationes reperiuntur, quae aliena commercia non appetunt, ideoque iura gentium non ubique uigere uidentur; politiores tamen populi ad ius quoddam commune ſaepius prouocant, nec barbaries ſemper eodem loco conſiſtit.

§. CCLXVI.

Ius gentium uel naturae lege aeterna, uel pactionibus, uel conſuetudine nititur.

Prudentes Romani ius naturae dicebant, quod natura omnia animalia docuit; ius autem gentium, quod ratione conficitur. Sed quoniam hodie iuri naturae tam latos fines non impertimus, ius gentium ſtatuimus ius eſſe naturae ſingulorum ad gentes applicatum, cum gentes aut earum moderatores iisdem, quibus in ſtatu libertatis ſinguli homines, uinculis ligantur, nec pudeat reges ſe rationis ubique dominantis legibus adſtrictos profiteri. Quid foedius, quam ferrum ſemper ac flammas minari? Quid principe dignius, quam rationi cedere? Multis ipſa iuris naturae elementa ludibrio ſunt, quare ne offendant, ſingulari pacto cauendum eſt. Mores denique inueterati uim rationis habere cenſentur. Si inter gentes conuentionum et morum auctoritatem ualere diximus, id non ad omnes, ſed ad moratiores tantum populos pertinet. Iuris gentium, ex rationis fonte deriuandi, principia tradunt iuris naturae doctores. GUNDLING. in compendio ſuo iisdem ſingularia

 capita

capita aſſignat. Ius gentium, quod ex conſuetudinibus coaluit, diſci poteſt ex GROTII et PUFFENDORFFII libris. Conf. etiam DAV. MEVII prodromus iurisprud. gentium communis. TEXTOR. ſynopſis iuris gent. *Allgemeines Völcker - Recht*, Francf. 1666. 12. IO. IAC. MÜLLER. inſtitut. iurisprudentiae gent. ZENTGRAV. diſquiſit. de origine, ueritate et obligat. iuris gent. ICKSTATT. elementa iuris gent. WOLFFII ius gentium. GLAFEY *Völcker - Recht*.

§. CCLXVII.

Iuris gentium placita ſaeculorum omnium perquam diffuſa, incerta et recondita explorent, quos harum rerum cura tangit; noſtra maxime intereſt, ius gentium praecipue Europaearum hodie approbatum cognoſcere.

Studium hoc non plane neglectum fuit, quamuis ſyſtematis formam nondum acceperit. De rebus huc pertinentibus agebatur partim in hiſtoricis, partim in notitia rerumpublicarum, partim in politica et iure publico. Cel. SCHMAUSIUS hanc ſcientiam ſtudioſius tractauit, dum non ſolum corpus iuris gentium academicum, ſed et introductionem in ſcientiam ſtatus gentium compoſuit. Haud ita pridem lucem adſpexit ius publicum Europae auctore MABLY, cui acceſſerunt annotationes ROUSSETI. Iam 1732 illuſt. MOSER diuulgarat *Anfangs - Gründe der Wiſſenſchafft von der heutigen Staats Verfaſſung von Europa, und des unter den Europäiſchen Potenzien üblichen Völcker - und allgemeinen Staats - Rechts*; ſed nuper plenius et accuratius principia iuris gentium Europaei ad

pacis

pacis tempora ſpectantis delineauit. add. *Politiſcher Staat von Europa.* P. X. *Dresd.* 1740. ſq.

§. CCLXVIII.

Argumenta perardua in hac diſciplina enodari nemo neſcit; quaeſtiones autem iſtae ab iis, qui experientia fulti fontes inueſtigare poſſunt, optime dirimuntur.

Praeter SCHMAUSII corpus iuris gentium academicum commendatur DU MONT corps univerſel diplomatique du droit des gens. LAMBERTY memoires pour ſervir à l'hiſtoire du XVIII ſiecle contenant les negociations, traitez, reſolutions, et autres documens avthentiques concernant les affaires d'etat. tom. XIV. Recueil hiſtorique d'actes, negociations &c. par ROUSSET. LEIBNIZ. codex iur. gent. diplomaticus. HEMPELS *allgemeines Europäiſches Staats - Rechts - Lexicon oder Repertorium.* Spinoſam controuerſiam de trutina Europae decidere tentarunt HULDENBERG, LEHMANN, KAHL, NEUREUTER. De praecedentia gentium, de titulis et inſignibus, de cerimoniis uid. ZACHARIAE ZWANZIG. theatrum praecedentiarum, LUNIGII theatrum cerimoniarum, STIEV. *Europäiſches Hof - Ceremoniel.* Le ceremonial diplomatique des cours de l'Europe par M. ROUSSET. II tom. Legatorum iura diſcimus potiſſimum ex WICQUEFORT Ambaſſadeur. WALSINGHAM. memoires et inſtructions pour les Ambaſſadeurs; de CALLIERES maniere de negocier avec les ſouverains. HAGEMEIER. diſſertationes uarias de dominio maris, quod Grotio praeſertim ac Sel-

deno diſceptandi materiam praebuit, collegit. Scriptores plures de his multisque aliis capitibus, u. c. de bello, foederibus, commerciis &c. nominat bibliotheca iuris imperantium.

CAPUT XXXV.

DE DECORO.

§. CCLXVIIII.

Officia omnia, ubi naturae legis auctorem reſpicimus, eadem ui obligandi pollere, iam dictum fuit; ſed uitio uertendum non eſt morum magiſtris, quod ratione eorum, quibus debentur officia, pium diſtinguant a iuſto et honeſto, uel ratione gradus neceſſitatis alia abſolute flagitari poſſe exiſtiment, alia cuiusque pudori relinquenda. Hinc iuſtum diuerſum a decoro.

Quamquam ueteres hanc officiorum differentiam non docuerunt, nec omnes hodie eamdem approbant, teſte GLAFEY in hiſtoria iuris naturae p. 170 ſq.; non tamen abſurde officia diſtincte conſiderantur, quae uita hominum ipſa diſtinguit. Reperiuntur enim homines iuſti, ſed parum decori; alii omnis elegantiae ſtudioſi, ſed iniuſti. HENR. CONR. KOENIG, de inſigni utilitate notionum pii, honeſti atque decori.

§. CCLXX.

Decori doctores neque in characteribus huius diſciplinae perpetuis, neque in limitibus defi-

definiendis inter ſe conſentiunt. Nonnulli decorum diuidunt in naturale et politicum.

Alios non offendere, ſuum cuique tribuere, ſunt prima naturae praecepta, quae licet ſeruaueris, tamen diſplicere poteris aliis, niſi decenti modo id, quod debes, praeſtiteris. Vid. IUL. GUIL. THEOD. DIEDE ZUM FÜRSTENSTEIN diſſ. de eo quod eſt iuſtum, ſed non decorum. IO. SAM. STRYK. de iure liciti, ſed non honeſti. CICERONI de officiis lib. I, cap. 27 decorum eſt, quod conſentaneum eſt hominis excellentiae in eo, in quo natura eius a reliquis animantibus differt. Decorum quidam collocant in ſtudio aliis placendi; placemus uero aliis, ſi non ſolum, quae naturaliter pulchra ſunt, ſectamur, et turpia uitamus, ſed et moribus ciuilibus obtemperamus. Alii decorum uocant uirtutem in luce, nonnulli artem amicos ſibi conciliandi iactant. Morum pulchritudinem deſcripſerunt multi, certo principio non praemiſſo. THOMAS. in fundamentis iuris naturae, et in cautel. de decoro accuratius diſſerit. STOLLIUS in diſſ. de decoro politico contra Cynicos, Quakeroſque diſputat. Ex ſcriptoribus reliquis notentur OMEIS, SPITZ, MENCKE, KAHL, EELKING, HACKMANN de decoro. ERASMUS de ciuilitate morum; IO. CASAE Galateus. FRID. DEDEKIND. Grobianus et Grobiana, STEPH. GUAZZI de mutua et ciuili conuerſatione. GENZKENIUS in ſyſtemate philoſophico. ROHR. *Ceremoniel Wiſſenſchafft der Privat-Perſonen.* CAR. GOTH. MÜLLER. praecipua ad ceremoniarum ſcientiam ſpectantia. FRID. FRISII *der vornehmen Künſtler und Handwercker Ceremonial-Politica.* Culturam

huiusmodi regularum maxime ſibi uindicant Galli. Libellos uarios protulit BELLEGARDE: *modeles des converſations*; *Reflexions ſur le ridicule*; *Reflexions ſur ce qui peut plaire, dans le commerce du monde*; *la politeſſe des moeurs*; MADAME SCUDERY *morale du monde*; *Entretiens de morale*; *converſations nouvelles ſur divers ſujets*. AUCTOR *de l'art de plaire dans la converſation*. Item *du traité de la bienſeance*.

§. CCLXXI.

Gentes decorum ſaepius tam acriter urgent, ut huiusmodi officia magis poſtulari, quam expectari uideantur.

Urbanitas neglecta ingentes turbas excitare ſolet. Hinc iuris gentium haud poſtrema pars eſt cerimoniarum notitia. Scriptoribus §. CCLXVIII adductis hic adiungantur ROHR. *von der Ceremoniel-Wiſſenſchafft groſſer Herren*. LETI ceremoniale politicum, BUDDEI diſſ. de eo quod decet circa ſolennia principum. TREUER de decoro gentium circa initia belli. F. C. MOSER *in kleinen Schrifften* P. I egit *von der Staats-Galanterie*; item *von dem Canzley-Decoro*.

§. CCLXXII.

Ecquid iuris ciuilis cultori magis conuenit, quam officiorum genera rite diſcernere? omnis turpitudo eſt uitanda, ſed non omnis poenis coercetur.

Leges ciuiles de iure ſtricto ſtatuunt ſeuere, officia reliqua ſuadent, quamquam humanitas interdum extorqueri ſoleat. Pro genio populi

ac

ac ciuitatis ſtatu uitia quaedam tolerantur, quae apud alios, uel alio tempore grauiter puniuntur. Qua de re uberius diſſerunt interpretes tit. ff. de condict. ob turpem uel iniuſt. cauſſam.

CAPUT XXXVI.

DE POLITICA.

§. CCLXXIII.

Ut agamus iuſte, neceſſitas, ut agamus honeſte ac decenter, uirtus requirit; pietatis officia declarat theologia naturalis, multo plenius ac euidentius theologia reuelata. Reliquum eſt, ut de politica diſpiciamus, qua, quid prudentia non ſolum in uita priuata, ſed et in republica regenda poſſit, docemur.

Prudentia, quae noſtram utilitatem quoquo modo amplificare annititur, in uniuerſalem diuiditur et ſpecialem; illa in ethicam et politicam. Nobis politica alia eſt priuata ſiue communis, alia publica ſiue imperantium. Scriptores huius artis late recenſet STRUV. in biblioth. philoſ. P. II c. 11. Nonnullos etiam cognoſcere poſſumus ex CONRINGII diſſ. de philoſ. ciu. eiusque optimis ac praecipuis ſcriptoribus; item ex SARCMASII (*Schurzfleiſchii*) iudiciis de nouiſſimis prudentiae ciu. ſcriptoribus. add. GABR. NAUDAEI bibliographia politica, CORNEL. A BEUGHEM bibliograph. polit. et iuridica. CAROL. ARNDII biblio-

bibliotheca politico-heraldica et aulico-politica. THURMANNI biblioth. ſtatiſtica; IOH. ANDR. BOSII diatribe iſagogica de prudentia et eloquentia ciu. comparanda; IOH. TOB. WAGNERS *Entwurff einer Staats-Bibliothec nebſt der ganzen politiſchen Klugheit*, 1723. Fata ſtudii politici in academiis in diff. ſingul. enarrauit CHRIST. GOTTOFR. HOFFMANN. IOH. HENR. A SEELEN progr. de incrementis, quae ſtudium politicum ex reformatione Lutheri coepit, edidit; STOLLIUS eumdem locum tractauit. De ſtudio polit. bene inſtituendo, praecepta dedit IOH. HENR. BOECLER; CASPAR. SCIOPPIUS paediam politices.

§. CCLXXIV.

Ut doctrinam morum ueteres in partes ſuas minus ſollicite diſpertiebant: ita etiam regulas politicas cum reliquis permixtas deprehendimus, nec facili negotio inter ſe diſcerni poſſunt.

Sacras literas praecepta optima prudentiae ciuilis tradere, nemo neſcit. Dilucidarunt iſta IOSUA ARND. in manuali legum Moſaicarum, GE. NEUMARCK *im Davidiſchen Regenten-Spiegel*, THEOD. REINKINGK. *in der bibl. Policey*, BOSSUET dans la politique, tirée des propres paroles de l'ecriture ſainte (§. CCXXXXVI). Apud Graecos praedicantur inprimis SOLONIS dicta; ISOCRATIS oratio de regno ad Nicoclem, paraeneſis ad Demonicum; PLATONIS libri de legibus et republica; XENOPHON de Cyropaedia. Ex Romanis hic iterum laudandus eſt CICERO, quamquam illius lib. VI de republica ad nos non peruenerunt; nec PLU-

TARCHI

TARCHI opera ſilentio tranſiri poſſunt. BASILIUS imperator cap. LXVI paraenetica ad Leonem filium, pariter ac EMANUEL II PALAEOLOGUS, praecepta C. educationis regiae ad Ioh. filium; CONSTANTINUS autem PORPHYROGENITUS librum de adminiſtrando imperio compoſuit.

§. CCLXXV.

Multis antecellebat Ariſtoteles et Tacitus.

ARISTOTELES primus politicam ſyſtematice tradidiſſe fertur, ad quam illuſtrandam operam ſuam contulerunt CONRINGIUS, OBERTUS GIPHANIUS, MICH. PICCART, DANIEL HEINSIUS. cf. tamen TREUER de naeuis libr. politicorum Ariſtotelis. TACITO fauebant Itali praeſertim, qui commentariis ſuis eiusdem ſ ntentias abſtruſas explicare laborarunt, e. c. PHILIPP CAVRIAN. VIRG. MALVEZZI, MUTIUS, SCIPIO AMMIRATUS. Inter Gallos de hoc auctore bene meritus eſt AMELOT de la HOUSSAYE; apud Germanos BOECLER et FORSTER. TREUER in diſſ. de idea prudentiae ciuilis ad mentem Taciti.

§. CCLXXVI.

Alii ſuo ingenio, ſuaque ſentiendi libertate uſi, noua politices ſyſtemata condiderunt.

Ex multis, qui non omnes ſunt optimae notae, nominabimus IUST. LIPSIUM, BOECLERUM, BESOLDUM, HORNIUM, HERTIUM, WEISIUM, LEHMANNUM, WOLFFIUM, HOFFMANN. Inſigni plauſu excipiebatur SECKENDORFFII *teutſcher Fürſten-Staat*, cui

cui addi poteſt RÜDIGERS *Klugheit zu leben und zu herrſchen*, ID. in inſtitut. eruditionis p. 672 prudentiam politicam copioſe tractat et Graciani ſententias ad capita certa refert. VON ROHR *Staats-Klugheit*, LOEHNEISEN *Hof Staats-und Regier-Kunſt*. DIDAC. SAAVEDRAE idea principis Chriſtiano-politici.

§. CCLXXVII.

Scriptores quidam themata ſingularia perſecuti ſunt, quorum quaedam per totam fere politicam diſſeminantur; alia ad iura gentium referuntur.

De principum ac perſonarum illuſtrium inſtitutione diximus §. III et XXVII. STRUV. biblioth. philoſ. cit. l. §. VIIII. Huc pertinent teſtamenta, quae uocantur politica Cardinalis Ducis de RICHELIEU, IOH. BAPT. COLBERTI, MELCHIOR AB OSSE. De republica generatim commentati ſunt IO. BODINUS, PETR. GREGOR. TOLOSANUS, MONTANUS; de arcanis rer. publ. CLAPMAR; de ratione ſtatus IOH. BOTERUS. STRUV. c. l. §. XXII. IO. WILH. von der LITH *politiſche Betrachtungen über die verſchiedene Arten der Steuren*. De moribus aulicorum ac de miniſtris SILHON. in libro, cui titulus: le miniſtre d'etat, du REFUGE *im klugen Hoffmann*. STRUV. c. l. §. XXV ADAM. RECHENBERG. de caſibus miniſtrorum in republica eminentium; LEYSER. de miniſtrorum principis delictis; WILH. SCHROEDER. diſſ. de miniſtriſſimo. Nec fruſtra perluſtrantur commentarii, qui uitas clariſſimorum miniſtrorum deſcribunt. it. libri titulos, memoires, anecdotes, lettres, reflexions, negociations

ciations &c. gerentes. Potiſſimum uero hiſtoricos pragmaticos, quos inter PHIL. COMINAEUS, THUANUS, apud nos illuſtriſſ. Comes de BUNAU, HAHN. KOELER. non poſtremum locum occupant, ſibi quisque commendatos habeat.

§. CCLXXVIII.

Nec pſeudo-politicos ignorare licet, quia pernicioſa axiomata politica denudare et in contemtionem adducere expedit.

Sic MACHIAVELLI princeps male audit, tametſi a nonnullis hoc colore defendatur, quod uitia pingat, non ſuadeat. De hiſtoria ſectae Machiauelliſtarum et monarchomachorum uide OBSERVAT. HALL. tom. VI obſ. I. REIMAN. diſſ. de Machiauelliſmo ante Machiauellum. ANTI-MACHIAVELLUS, quem hodie totus orbis litteratus ſumma laude cumulat, omnes Machiauelli neruos incidere uidetur. PACIFICI A LAPIDE homo politicus a CHRIST. PELLERO, ſub inſcriptione politici ſcelerati iterum editus ac refutatus fuit. De monarchomachis generatim egit ACKER. STRUV. c. I. §. XXVIII.

§. CCLXXVIIII.

Quod ad politicam priuatam attinet, abundamus quidem praeceptis; ſed ea optima putamus, quae ipſe rerum uſus approbat, quae iuſtitia, non aſtutia nituntur, quae commoda priuata publicis non anteponunt.

Ut reliqua philoſophia moralis uariam methodum amare ſolet, ita maxime politica. Quae §. LXXXXVII de fabularum, characterum, ſatyrarum

rarum &c. inuentis diximus, ea ad prudentiam ciuilem itidem accommodanda ſunt. BALTHASAR GRACIAN, Hiſpanus ille Socrates, monita utiliſſima breui libello, numquam ſatis laudato, complexus eſt, qui titulum modo fert oraculi, modo hominis aulici, modo hominis uniuerſalis. Hodie in omnibus fere linguis legitur. Germanice uerſus, et notis amplioribus illuſtratus fuit ab AUGUST. FRIDERICO MÜLLERO. Nos olim magnifecimus fabulam iſtam REINECKE FUCHS, auctore HENRICO AB ALCMAR diuulgatam. DER FROSCHMAEUSLER, fabula alia huius generis, ingenio uulpi cedit. Syſtematice cogitationes ſuas expoſuit THOMASIUS, RÜDIGER aliique, quos §. XVI indicauimus. Galli et Angli laudant, e. g. DE CALLIERES ſcience du monde et des connoiſſances utiles de la conduite de la vie; la veritable politique d'un homme de qualité; LE NOBLE ecole du monde. BRITAINE *menſchliche Klugheit.* Nonnulli certius ad ſcopum peruenire ſe poſſe putabant, ſi nouas fingerent reſpublicas, quorum numero cenſentur THOMAS MORUS in Utopia, CAMPANELLA in ciuitate ſolis, KLIMM *in unterirrdiſchen Reiſen*; AUCTOR de l'hiſtoire des Sevarambes; Voyages de GUILLIVER; uariique libri titulo: *Robinſon* inſigniti, uid. PASCH. de fictis rebuspublicis. Ad hanc ſphaeram maxime ſpectat fabula iſta FENELONII notiſſima, les avantures de Telemaque.

§. CCLXXX.

Iurisprudentia a politices ſtudio diuelli nequit, ſiue cautelas in negotiis quotidianis adhiben-

hibendas, ſiue artem nomotheticam, uariasque politicas conſtitutiones (*Policey - Ordnungen*) intueamur.

WERLHOF. oratio de aptiſſimo iurisprudentiae et ciuilium ſtudiorum nexu. OELHAFEN. oratio ſpeculum ueri ac boni iureconſulti, conſiliarii et politici exhibens. PHILIP. RICH. SCHROEDER. de finibus politices et iurisprudentiae. CAROL. OTTON. RECHENBERG. progr. de politiae et iurisdictionis terminis accuratius definiendis. GE. CHRIST. SCHREIBER diſſ. de cauſſarum politiae et earum, quae iuſtitiae dicuntur, conflictu et differentia. LOEN. *Vorſchläge zu Einrichtung einer guten Policey.*

CAPUT XXXVII.

DE STATISTICA SIVE NOTITIA RERUMPUBLICARUM SINGULARIUM.

§. CCLXXXI.

Ex diſciplinis permultis, potiſſimum ex hiſtoria, geographia, politica, iure publico ac gentium conflatur ſtatiſtica, quae de regnorum ſorte et commodis pariter ac incommodis accuratius disquirit.

Populorum notitiam, experientia duce, non ex libris doctorum umbratilium diſcendam eſſe exiſtimarunt quidam, quos refutauit cel. EV. OTTO in praefatione notitiae rerumpublicarum, VA-

LENTIN. IAC. ASSMANN in diſſ. de rerumpublicarum notitia in academia diligentiſſime excolenda. ACHENWALL. in diſſ. de notitia rerumpublicarum academiis uindicata. Re ipſa iam ſatis oſtenſum fuit, hanc artem priuatorum ingenia non ſuperare. Documento eſſe poteſt IO. ANDR. BOSII introductio generalis in notitiam rerumpublicarum orbis uniuerſi. PHIL. ANDR. OLDENBURGERI theſaurus rerumpublicarum, potiori iure Conringio adſcribendus. LUCAE de LINDA deſcriptio orbis et omnium eius rerumpublicarum. LANSII conſultationes de principatu prouinciar. Europ. BECMANNI notitia orbis. GEORG. HORNII orbis imperans. Le monde par PIERRE D'AVITY. GOTTFRID. Archontologia. ZECHII *Europäiſcher Herold.* Atlas hiſtorique par GUEDEVILLE. Lo ſtato preſente di tutti i paeſi e popoli del mondo, naturale, politico e morale, con nuove oſſervazioni e correzioni degli antichi e moderni viaggiatori Venetiis uoluminibus pluribus prodiit. *Lehrreiche Nachrichten für einen Reiſenden in verſchiedene Europäiſche Staaten.* Primaria capita huius doctrinae breui conſpectu exhibuerunt GUNDLING., (cuius labori poſtea largus commentarius acceſſit) et KOELERUS. Uberiora compendia exhibuerunt EVERH. OTTO, GOTTFR. ACHENWALL. et CHRIST. WILH. FRANC. WALCH. Quid in quauis republica conſiderandum ſit, exponit KEMMERICH *in der eröffneten Academie* Lib. II, cap. 25 et WEIS. *in politiſchen Fragen.* Conf. STRUV. bibliotheca philoſoph. t. II cap. 2 §. 19. et biblioth. hiſtor. cap. 35 §. 1.

§. CCLXXXII.

§. CCLXXXII.

Quisquis igitur ex notitia rerumpublicarum fructum capere exoptat, is indaget accuratius reipublicae originem, fata, fines, fertilitatem terrae, montes, mineralia, flumina, maria, incolarum multitudinem et indolem animi corporisque, linguam, fortunas.

Ablegamus hic lectorem ad capita de linguarum, hiſtoriarum, antiquitatum, geographiae ſtudio. Homines ex climate multum trahere, nemo negabit (§. CCXXIX). HENR. FRID. OTTO de ingeniis, moribus et ſtudiis praecipuarum Europae gentium. PHILIP. FRID. HANE de ingeniis gentium borealium philoſophicis.

§. CCLXXXIII.

Diſpiciendum, an gentes floreant artibus cum liberalibus, tum illiberalibus, agricultura, mercatura.

De commerciorum uarietate et amplitudine nunc extant etiam ſcriptores locupletiſſimi. IAQUES SAVARY parfait negociant II tom. Dictionaire univerſel de commerce, ouvrage poſthume de IAQUES SAVARY continué et donné au public par M. PHILEMON LOUIS SAVARY, tom. II. Reflexions politiques ſur les finances et le commerce, II tomes. *Allgemeine Schatz- Cammer der Kaufmannſchafft*. *Leipz.* 1741, 1742. fol. GE. HEINR. ZINCKENS *teutſches Real-Manufactur-und Handwercks-Lexicon*. Encyclopedie ou dictionaire raiſonné des ſciences, des arts et des metiers &c. (§. XXV).

 Hiſtoire

Hiſtoire generale de la marine, tom. I. Eſſai ſur la marine et ſur le commerce par M. D*** (*Des Landes*) avec des remarques hiſtoriques et critiques de l'auteur.

§. CCLXXXIIII.

Maxime uero iuris cultori curae ſint reipublicae gubernandae ratio, religio, leges, comitia, praerogatiuae, controuerſiae, tituli, inſignia, aerarium, milites, ordines equeſtres.

Nemo non animaduertit, harum rerum inueſtigationem hodie iuri gentium uindicari; qua de re conferantur auctores cap. XXXIV excitati, illisque addatur Hiſtoire des religions de tous les royaumes du monde par IOVET, IV tom. Les religions du monde par ALEXANDRE ROSS, traduites de l'Anglois par Thomas de la Grue, II parties. SELDENus de titulis honorum. BECMANN. ſyntagma dignitatum. SCHWEDER. theatrum praetenſionum à cel. GLAFEY auctins editum. ROUSSET *Intereſt preſent et les pretenſions des puiſſances de l'Europe.* CHRIST. GRYPHII *Entwurff der geiſt-und weltlichen Ritter-Orden.* Hiſtoire des ordres monaſtiques, religieux et militaires, (par Helyot) VIII tòmes.

§. CCLXXXV.

Quum paucis campum hunc uaſtiſſimum percurrere contingat, exterarum quidem rerumpublicarum conditionem non ignorare, ſed patriae fortunas penitus ſcire fas eſt.

1. In

1. In aditu primo reſpublicae, quas *Elzevirianas* et *Rengerianas* dicunt, peruolutari poſſunt, ſed quoniam impari ſtudio elaboratae fuerunt, non omnium deſideriis ſatisfacient. Nonnulli hiſtoriarum auctores ea quoque, quae ſtatiſtices propria ſunt, attigerunt. Vid. §. CLXV. Luſitanicis hic accedunt *Relation de la Cour de Portugal ſous Don Pedro II, traduite de l'Anglois, II tomes. Memoires de Portugal, dreſſez par le Chevalier* D'OLYVEYRA, *II tomes.* ANT. VASCONCELLI deſcriptio regni Luſitaniae. FREZIER relation du voyage de la mer du Sud. de GOEBEL. *Abhandlungen, in P. VI von der Beſchaffenheit des Königreichs Portugall.*

2. Ad notitiam Hiſpaniae faciunt Annales d'Eſpagne et de Portugal avec la deſcription de tout ce qu'il y a de plus remarquable en Eſpagne et en Portugal par Don IVAN ALVAREZ de COLMENAR IV tom. 4. Etat preſent de l'Eſpagne par M. l'abbé de VAYRAC III tom. 8. Voyage du P. LABAT en Eſpagne et en Italie VIII tom. 8. Relation de la cour d'Eſpagne par la Comteſſe D'ANNOY; Memoires de la cour d'Eſpagne; GUNDLING. in otiis c. 1. *vom Temperament der Spanier*; L'Hiſtoire du nouveau monde, ou deſcription des Indes orientales par IEAN DE LAET.

3. Regni Galliae ſtatum declarant nouvelle deſcription de la France par M. PIGANIOL de la FORCE, VI tomes. Etat de la France, extrait des memoires dreſſez par les Intendans du royaume par M. le Comte DE BOULAINVILLIERS, III. tom. NEMEITZ ſejour de Paris. Les delices de Verſailles, de Trianon et de Marly par M. PIGANIOL de la FORCE, II tomes. Dictionaire univerſel de la

France, III tomes, à Paris 1725. cf. STRUV. bibl. hiſt. cap. XIII §. XIX ſq.

4. De rebus Danicis uide ERICI PANTOPPIDANI theatrum Daniae uet. et modernae, *oder Schaubühne des alten und jetzigen Dännemarcks*, P. II. LUDWIG. HOLBERGS *Dännemarckiſche und Norwegiſche Staats-und Reichs-Hiſtorie.* ANDERSONS *Nachrichten von Grönland.* Memoires de M. MOLESWORTH. Defenſe du Danemarc, traduit de l'Anglois. Relation du voyage fait en Danemarc en 1702 à la ſuite de l'Envoyé d'Angleterre (M. de Vernon) II tomes. D. CHR. LUD. SCHEIDII diſſ. de regii Vandalorum tituli, Auguſtiſſimis Daniae regibus iam pridem familiaris, origine et cauſſa. Rebus Suecicis cognoſcendis inſeruiunt *Hiſtoriſch-Politiſch-und Geographiſche Beſchreibung des Königreichs Schweden*, P. II. L'etat preſent de la Suede, traduit de l'Anglois de M. ROBINSON, nouvelle edition augmentée de pluſieurs remarques. MICHAEL O WEKIONI epitome deſcriptionis Sueciae, Gothiae, Fenningiae et ſubiectarum prouinciarum in SIMONIS FRID. HAHNII collectione monumentorum ueterum et recentium, tom. II p. 124. Anecdotes de Suede. (ERICI Comitis a DAHLBERG) Suecia antiqua et hodierna. III tomi, f. IOHANNIS LOCCENII ſynopſis iuris publ. Suecani. CHRISTIANI NETTELBLADT. diſſ. qua formula regiminis Sueciae de a. 1634 cum nouiſſimis de a. 1719 et 1720 confertur, et notis illuſtratur, Gryphisvv. 1729. (IACOB. WILDE) Sueciae hiſtoria pragmatica, quae uulgo ius publicum dicitur, Holmiae 1731. 4. ANDREAS ANT. STIERNMANN *aller Schwediſchen Reichstäge und*

Reichs-

Reichs-Convente &c. Abſchiede, *wie auch Erbvereinigungen*, *Regiments-Formen*, *Verſicherungen und Bewilligungen von* 1521 *biſs* 1727. de HAUTEVILLE relation hiſtorique de Pologne. GOTHOFR. LENGNICH. ius public. regni Polon. Eiusd. norma regiminis Pruſſiae Polonic. LUDEWIG. *vertheydigtes Reuſſen wider den Anſpruch des teutſchen Ordens.* BOCKS *Einleitung in den Staat von Preuſſen.*

5. Magnae Britanniae notitiam dedit EDUARD CHAMBERLAINE. Addatur GUY MIEGE *geiſt - und weltlicher Staat von Groſs - Britannien und Irrland.* L'etat preſent de la Grande Bretagne ſous le Regne de George II. III tom. Le guide d'Angleterre, ou relation du voyage de M. de B. Lettres de M. l'abbé LE BLANC, concernant le gouvernement, la politique et les moeurs des Anglois et des Francois, III tom. The State-Anatomy of Great-Britain. Nouveau Theatre de la Grande Bretagne, Londres, II tom. Dictionarium Angliae topographicum et hiſtoricum, an alphabetical deſcription of the chief places in England and Wales by WILLIAM LAMBARDE Lond. 1730. 4. Lettres ſur les Anglois et les François. Ius Parliamentarium or the Povver, iurisdiction, Rights and liberties of the moſt high court of Parliament, revieved and aſſerted by WILLIAM PETYT. II Parts. Lond. 1739. f. Hiſtoire du Whigisme et du Torisme par M. de CIZE.

6. Belgii foederati ſtatum repraeſentant lettres ſur la Hollande par Mr. A. de la BARRE de BEAUMARCHAIS. 1738. The preſent ſtate of Holland, or a deſcription of the united provinces. 1745. Remarques ſur l'etat des provinces unies des

S 4 pais-

pais-bas par Mr. le Chevalier TEMPLE. Memoires ſur le commerce des Hollandois par M. de HUET. Deſcription hiſtorique de gouvernement des provinces unies par M. BASNAGE, praemittitur t. I annal. Hiſtoire du Stadhouderat par M. l'abbé RAYNAL, corrigée par M. ROUSSET. 1749. *Fauoriti Norici* obſeruationes ad Gundlingii diſcurſus de republica Hollandica.

7. Quod ad imperium Rom. Germanicum attinet, uid. c. XXII et c. XXXXV. De imperio Ruſſico agunt lettres Moſcovites. Etat preſent de la grande Ruſſie par le Capitaine JEAN PERRY. PETER VON HAVENS *Reiſe in Rußland.* PHIL. IO. VON STRAHLENBERG. *Nord - und Oeſtliches Theil von Europa und Aſia.* Atlas Ruſſicus, mappa una generali et XIX ſpecialibus imperium Ruſſicum exhibens. Petrop. 1745. MORGENSTERN. ius publicum imperii Ruſſorum. Hal. 1737. 8.

CAPUT XXXVIII.

DE

OECONOMICA.

§. CCLXXXVI.

Oeconomica modum uitae huius ſubſidia prudenter acquirendi, tuendi ac diſpenſandi definit; quamobrem non ultima pars prudentiae ad omnes pertinentis eſſe cenſetur.

Omnes ſcientiae rite tractatae ad rem noſtram familiarem non nihil habent momenti. Hinc oeconomicam latiſſime patere intelligitur. Nulla

ſane

ſane negligentia intolerabilior, quam rerum domeſticarum, etſi illius eruditi ſaepius inculpantur.

§. CCLXXXVII.

Studium oeconomicum antiquiſſimum eſt, ſed ueteres uſu, non literis, id propagarunt. Regulae, quas graecis quibusdam ac latinis auctoribus approbatas legimus, nec ubique ualent, nec omnem oeconomicam complectuntur.

HESIODUS reliquit ἔργα καὶ ἡμέρας; XENOPHON oeconomicum; ARISTOTELES librum oeconomicorum; CASSIANUS BASSUS collegit Geoponicos, ſiue de re ruſtica libros XX. Apud Romanos de re ruſtica ſoliciti fuerunt CATO, VARRO, COLUMELLA, PALLADIUS, VIRGILIUS. Rei agrariae auctores legesque uarias edidit GUIL. GOESIUS. Scriptores oeconomicos exhibet IULIUS BERNH. von ROHR *compendieuſe Haushaltungs-Bibliothec*. Addat. EIUSD. diſſ. de excolendo ſtudio oeconomico tam principum, quam priuatorum.

§. CCLXXXVIII.

Artis huius neceſſitatem Germani probe perſpexerunt; quare eam tanta contentione expolire coeperunt, ut et in academiis profeſſores oeconomices conſtituerent.

ANASTASII SINCERI *Proiect der Oeconomie in Form einer Wiſſenſchafft*; SIM. PET. GASSER. progr. *von der neu fundirten Profeſſion über die Oeconomiſchen - Cameral- und Politiſchen Wiſſenſchafften auf der Univerſi-*

tät Halle, qui inſtitutiones etiam oeconomicas ſcripſit. Primus methodice in hoc ſtudio elaborauit IO. COLER, cuius liber oeconomicus (*Haus-Buch*) ſaepius recuſus fuit.

§. CCLXXXVIIII.

Quoniam oeconomia alia eſt principum, alia nobilium, alia ruſticorum, alia diuitum, alia pauperum; oeconomica recte diuiditur in publicam et priuatam; in uniuerſalem et particularem.

Hodie magiſtrorum copia ſuppeditat, quamcunque oeconomices partem perdiſcere aues. WOLFF HELMHARD Lib. Baro *de Hohberg, von dem adelichen Land- und Feld- Leben* uolumen prolixum literis tradidit; nec ſine laude memoratur P. CHRIST. FISCHERI oeconomia ſuburbana. ANDR. GLOREZENS *vollſtändige Land und Haus-Bibliothec.* Memoires ſur l'utilité d'une Academie d'agriculture dans un Etat policé. STISSERS *Einleitung zur Land-Wirthſchafft der Teutſchen.* VON ROHR *Einleitung zu der allgemeinen Land-und Feld- Wirthſchaffts - Kunſt.* IO. GE. LEOPOLDS *nützliche und auf die Erfahrung gegründete Einleitung zu der Land - Wirthſchafft*, 1750. *Der wohlerfahrne Land - Wirth*, 1751 *in* 8. Oeconomiae publicae curam habuerunt SECKENDORFF. *im Fürſten - Staat*, SCHROEDER *in der Fürſtl. Schatz- und Rent - Cammer*; acc. IO. GE. DÖHLERS *Unterſuchung des heut zu Tag überhand nehmenden Geld - und Nahrungs-Mangels.* ZSACKWIZENS *gründliche Abbandlung der vollſtändigen oeconomiae politicae et cameralis.* ZINCKENS *Grund-Riß einer Einleitung zu den Cameral-Wiſſen-*

Wiſſenſchafften. EIUSD. *Cameraliſten - Bibliothec.* CHARIOTE *Rent - Cammer - Bibliothec. Büdingen* 1716 in 8. DITMARS *Einleitung zu den oeconom. polit. und Cameral - Wiſſenſchafften.* Traité de la richeſſe des princes et de leurs etats et des moyens ſimples et naturals pour y parvenir. Alii contenti ſunt lexicis oeconomicis CHOMEL., LIGER., ZINCK, BEIER. Commoda plura repeti poſſint ex diariis oeconomicis, cuiusmodi ſunt *Leipziger Sammlungen von allerhand zum Land - und Stadt - Wirthſchafften, Policey - Finanz - und Cammer - Weſen dienliche Nachrichten* Partes LXXIX. *Vermiſchte oeconomiſche Sammlungen*; item *oeconomiſche Nachrichten*; *Oeconomiſch - phyſicaliſche Abhandlungen. Oeconomiſche Fama.* Selecta phyſico - oeconomica. PETR. KRETSCHMERS oeconomiſche Practica.

§. CCLXXXX.

Omnem rem oeconomicam ad iurisprudentiam pertinere, monere nihil attinet, cum omnia fere illius capita iurisconſultorum commentationibus illuſtrata fuiſſe ſciamus.

Reſpice ſis cap. XXX. Nec te euoluere pigebit STISSERI bibliothecam oeconomico - politico-cameralem compendio ſuo adiectam. FRANC. FLORINI *allgemeinen klugen und rechtsverſtändigen Hausvatter.* LEYSERI ius georgicum. LIPENII bibliothecam iuridicam uoc. agricultura, pratum, hortus, uinea, foreſtum, metallum, uenatio, piſcatio, praedium ruſticum, molendinum, caupona, cereuiſia &c.

CAPUT

CAPUT XXXVIIII.

DE IURE CIVILI GENERATIM.

§. CCLXXXXI.

Quamquam ius naturae cuiuis hominum ſtatui par eſſe cenſetur, ubi ſedatis mentis perturbationibus rectae rationis lumen ſequi iuuat; at quia tot ſenſus, quot capita; ius naturae in ciuitate per uaria gloſſemata explicatum, imo deprauatum fuit, unde ius ciuile multiplex et lubricum.

Homines in ciuitatem coeuntes rationem non abiiciunt, nec princeps, niſi ratione duce leges condere poteſt. Quis itaque diffiteatur ius naturae regnare in media ciuitate. Iuri naturae nihil addi, nihil demi poteſt, quod ULPIANUS exiſtimauit, ſed diuerſa tantum ratione pro diuerſitate ſtatus lex iſta immutabilis et aeterna definitur. Quibus rebus legislator ad legem ciuilem multifariam determinandam commoueri poſſit, luculenter oſtendit ill. AUCTOR libri de l'eſprit des loix. Conf. etiam GE. DAWSON origo legum or a treatiſe of the origin of laws and their obliging power, as alſo of their great variety. Lond. 1694. Les loix ciuiles dans leur ordre naturel par DOMAT. Pariſ. 1713. f. BECHT de legibus ad ſtatum cuiuslibet reipublicae prudenter applicandis. Deficiente iure ciuili, ſubuenit ius naturae, quod nos numquam deſtituet.

§. CCLXXXXII.

§. CCLXXXII.

Si omnium ciuitatum ſcita collecta inter ſe conferremus, iurisprudentia ciuilis uniuerſalis produceretur; at enim uero aut eiusmodi iurisprudentia non reperitur, aut a iure naturae ad ciuitatem generatim accommodato non differt.

Nonnulli quidem libelli iurisprudentiae uniuerſalis inſcriptione gloriantur, ſed hi ipſi ſententiam noſtram confirmant. Immenſi laboris opus eſſet, tam uarias leges ad harmoniam reuocare, ſed ad uſum quotidianum parum redundaret utilitatis. Quid in iurisprudentia uniuerſali eruenda tentatum fuerit, docet STRUV. in bibl. iur. p. 135.

§. CCLXXXIII.

Ius diuiditur in diuinum et humanum; illud in naturale et poſitiuum; poſitiuum in uniuerſale et particulare; at non omnes poſitiuum uniuerſale agnoſcunt, aut a iure naturae diſcernunt.

In ſacris literis leges quasdam iam ante rempublicam Iudaicam promulgatas et in nouo foedere repetitas deprehendimus, quas ii ſaltem, qui codicem ſacrum reuerentur, admittere neceſſe habent, licet ratio earum paulo abſtruſior uideatur. De characteribus certis harum legum inter eruditos non conuenit. THOMASIUS illas modo ſtabiliuit, modo deſtruxit. GUNDLINGIUS et alii easdem praeceptis morum annumerant, ſed cauſam ſingularem iſtiusmodi praeceptorum fuiſſe, negari nequit, quia Deus contumaces

poenis

poenis coercuit aſperrimis. De legibus hiſce, earumque notis perpetuis diſquirunt RIPER, WEBER, SILBERRAD, KOCH, IACHMANN. Syſtematice illas explanauit GENZKENIUS in iurispr. diu. poſit. uniuerſali.

§. CCLXXXXIIII.

Pro diuerſa iuris applicatione iurisprudentia eſt legislatoria, conſultatoria, iudicialis, item primaria et ſecundaria. Pro diuerſitate cauſſarum priuata, publica, illuſtris, eccleſiaſtica, feudalis, criminalis.

Boni legislatoris officium declarat politica et ius publicum uniuerſale, quamquam uſus multarum legum auctor eſt. De prudentia legislatoria diſquirunt THOMASIUS, KESTNER, VOIGT; de iurisprudentia conſultatoria et iudiciali itidem THOMASIUS. De iurisprudentia cauente diſſeruit HERTIUS; ad quam etiam pertinent STRYKIANI libri de cautelis.

§. CCLXXXXV.

Iurisprudentia (quae diſtinctio notiſſima habetur) theoretica eſt et practica.

Maxima iuris cultorum pars prouolant ad praxin, nec ab omnibus poſtulandum eſt, ut apices iuris ſcrutentur; theoriam tamen et praxin coniungendas eſſe, monſtrarunt EISENHART. BECK. MASCOV. Praxin a theoria interdum diſſentire non diffitemur. Vid. PAULLI diſſ. de theoriae et praxis iuridicae diſcordia. CARRACII. de conflictu theoriae et praxeos iuris. ENGELBRECHT. examen

Bohmer. de injusta Theoriae et Praxeos differentia

examen diſtinctionis uulgaris in theoriam ſiue punctum iuris et hodiernam praxin.

§. CCLXXXXVI.

A iure ciuili ſaepius diſtinguitur ius politicum.

In iure politico bene cuſtodito ſummum ciuitatis decus ſitum eſt, ſiquidem leges politicae non ſolo iure ſtricto, ſed uirtutis ſtudio terminentur. Fines *der Juſtitz-und Policey-Sachen* nondum accurate deſcripti ſunt, nec commode deſcribi posſunt. Vid. STRUBEN. *gründlicher Unterricht von Regierungs und Juſtitz-Sachen*, et quos §. CCLXXX laudauimus ſcriptores.

§. CCLXXXXVII.

Gentes cultiores legibus adeo non carent, ut iis affluant; querelae tamen de iure incerto ac iuſtitia corrupta infinitae. Non deeſt malo remedium, ſed hominum uel audaciae uel imbecillitati impar uidetur.

Germania fluctibus his maxime iactatur. Nunc luctamur cum legibus obſcuris, ineptis, fallacibus, inter ſe diſſidentibus; nunc iudex flagellat iuſtitiam; nunc aduocatus legem et iudicem eludere conatur. Summae prudentiae eſt, inueterata mala ſanare. Ubi uulnus enſe quaſi reciditur, uotis non ſemper reſpondet exitus. Interim audienda ſunt conſilia ſapientum. WESTPHAL. tract. de origine et medela corruptae iurisprudentiae et iuſtitiae cum bibliotheca conſiliorum ab a. 1555 usque ad a. 1726 de emendandis iu-

ſtitiae

ſtitiae et iurisprudentiae naeuis, qua exhibentur 74 conſilia. Multos huiusmodi conſiliorum ſcriptores profert BECKER. *in der Vorbereitung zur Rechts Gelahrheit* p. 261. Add. GOEBEL. oratio de cauſſis corruptae iurisprudentiae, eiusque fatis. HOFFMANNI progr. de origine et cauſſis querelarum de corrupta iurisprudentia. KESTNER. de defectibus iuris communis in Germania. LUDEWIG. oratio de emendanda Germaniae iurisprudentia. CHR. THOMAS. diſſ. de emendatione adminiſtrationis iuſtitiae &c. TRIER. *Gedancken vom teutſchen Juſtitz-Weſen.* LUDOV. ANTON. MURATORII trattato dei difetti della giurisprudenza.

§. CCLXXXXVIII.

Ius reformare arduum opus eſt, nec iurisconſulto imponendum; nam ne ſummi quidem principes, niſi abſoluta poteſtate polleant, hunc laborem perficient, imo uix perficient, quia non omnibus cauſſarum figuris et technis poſſunt occurrere.

Multi nomothetae de litibus praeſcindendis laborarunt, quorum inſtituta collegit TRAUTMANNUS, ſed uitium raro in ordine lites perſequendi, ſaepius in hominibus haeret. Deinde ſatius eſt, lites plane ſupprimere, quam recidere; lites autem breui opera componentur, ſi iura praeſto ſint certa et plana. In Germania tot dominis parente iuris emendatio difficultatibus incredibilibus retardatur. Quantum principis prudentia et auctoritas poſſit, potentiſſimi regis Pruſſiae exemplum hodie declarat abunde.

§. CCLXXXXVIIII.

§. CCLXXXXVIIII.

Ut methodus apta diſcendi laborem faciliorem reddit: ſic et iuris ars concinna ratione tractetur; ſed caue, methodo nimium indulgeas, uel leges ad methodum contorqueas.

Legum corpora non uno halitu, ſed ſenſim coaleſcunt, nec certis ac perpetuis principiis, ſed hominum uoluntate, quae mutabilis, nituntur. Nulla methodus antiquior, reique magis conſentanea, quam analytica. Leges certo ordine collectae ſyſtematicam tractationem ſuaſerunt, quemadmodum hodie Inſtitutionum et Pandectarum tramitem ſequimur, licet iſte a uero ſyſtemate longe diſtet. Nunc ſuo quisque ingenio iurisprudentiam tradere conatur. Multi ordinem librorum iuris diu approbatum deſerere nolunt, ne titulis transpoſitis labor augeatur; his placet methodus definitiua et axiomatica; illis tabularis, erotematica &c. Omnes prodeſſe poterunt, ſi uera docent; nec omnia ingenia omnes ferunt methodos. Ingens ſcriptorum agmen de methodo adducit LIPENIUS in bibliotheca iuris hac uoce. STRUV. bibl. iur. p. 299. In NIC. REUSNERI cynoſura iuris XXVI libelli methodici reperiuntur; alia huius generis ſcriptorum collectio prodiit Coloniae 1585 in 8. Cel. BUDER. illuſtrium quorundam iurisconſultorum opuſcula de ratione et methodo ſtudiorum iuris uno uolumine exhibet. Nolo CUIACII, WESENBEC. VULTEII, CARPZOVII conſilia praedicare; temporibus noſtris magis conueniunt meditationes LEIBNIZII, LYNCKERI, HERINGII,

THOMASII, BEYERI, LUDEWIGII, SENCKENBERGII aliorumque, quos §. XXVI nominat. Poſtquam diſciplinae complures pallio geometrico donari coeperunt, mirum non eſt, illud etiam arti iuris commendatum fuiſſe. Methodum mathematicam ad iurisprudentiam aliquam uniuerſalem accommodari poſſe, manifeſtum eſt; ſed iurisprudentiae Germanicae eum, quem nonnulli iactarunt, fructum nondum attulit. Vid. commentatio noſtra de definitione in iure periculoſa (§. CCXIII). Hunc locum de methodo multi dignum iudicarunt, de quo controuerterent. Ill. CRAMER. non ſolum progr. de optima iura docendi methodo ſcripſit, uerum etiam oſtendere contendit *den Ungrund der Beſchwerden des Herrn Canzlers von Ludewig über den methodum demonſtratiuam.* Accedit CLAPROTH. *Vertheidigung der mathematiſchen Lehrart in der Rechts-Gelahrheit in der Sammlung von Juriſtiſch-Philoſophiſch- und Critiſchen Abhandlungen* Part II num. 2. WOLFF. obſeruatio de iurisprudentia ciuili in formam demonſtratiuam redigendi in horis ſubciſiuis. Perill. ICKSTADTII et NETTELBLADTI libellos §. XXVI indicauimus. Controuerſiam de methodo, qua cel. HEINECCIUS in elementis iuris uſus eſt, commemorat IENICHEN in bibl. Lipenii uoce methodus. Practicos methodi cura non angit, qui multum ſolatii e lexicis petunt. Lexicorum iuridicorum quaedam §. XLII, LXII et paſſim attulimus. Hodie methodo iura per diſputationes tradendi nihil frequentius, imo interdum huiusmodi ſpecimina imperantur. uid. LUDEW. *gelehrte Anzeigen* Part. II p. 125. FESTING. progr. de diſpu-

diſputationum utilitate et uera diſputandi ratione. IDEM de conſcribendis diſſertationibus iurid. inauguralibus. IAC. MAESTERTII diſſ. de artificio diſputandi iuridice. BOEHMERI ſuccincta manuductio ad methodum diſputandi et conſcribendi diſputationes iuridicas.

§. CCC.

Res iurisprudentiae literaria longe lateque diffuſa nondum ex omni parte culta fuit, nec niſi multo cum negotio perpoliri poteſt.

Quamquam hiſtoriae iuris particularis uaria extant compendia; nondum tamen uniuerſae iurisprudentiae hiſtoria, multo minus hiſtoria literaria, ut par eſt, tractata fuit. GOTTL. STOLLII *Anleitung zur Hiſtorie der Juriſtiſchen Gelahrheit* inter recentiora ſcripta excellit, ſed emendationes multas deſiderat, et acceſſiones plures admittit. Haud ita pridem hiſtoriae literariae iurisprudentiae primas lineas exhibuit BÜNEMANNUS. Librorum iuridicorum notitiam haurimus ex bibliothecis accurate conſcriptis. Iam a. 1579 IO. WOLFFG. FREYMONII elenchus omnium auctorum ſiue ſcriptorum iuris tam ciuilis, quam canonici prodiit. GE. DRAUDII bibliotheca claſſica librorum iurid. et CORNELII a BEUGHEM bibliographia iuridica et politica, hodie uix euoluuntur, poſtquam STRUVII bibliotheca iuris ſelecta cura cel. BUDERI emendata et aucta fuit. Nunc uotis etiam iurisconſultorum reſpondet biblioth. iurid. MART. LIPENII, opera cel. GOTTL. AUG. IENICHEN, noua forma impertita. A. 1749 IO. ANDR.

HOFFMANNI *auserleſene Juriſtiſche Bibliothec* acceſſit SPEIDELII bibliothec. iuridica indice reali conſtat. Ad haec bibliothecarum iuriſconſultorum, qui ſummo ſtudio libros collegerunt, catalogi uſui eſſe poſſunt. uid. §. CLXXXVI. Aliis libros recenſere, ſuaque iudicia adiicere placuit. De inſtructorio forenſi Lynckeriano diximus §. XXVI. GEORG. BEYERI notitiam auctorum iuridicorum continuarunt IENICHEN et HOMMEL. Cel. MOSERI *unpartheyiſche Urtheile von juridiſchen und hiſtoriſchen Büchern* ingenue pronunciata ſunt. GOTTL. SLÉVOGT. edidit *Nachricht von einigen auserleſenſten gröſtentheils alten und raren juriſtiſchen Büchern.* Part. II. 1725. Hodie ſuppetit quoque Ephemeridum iuridicarum copia; Acta ſcil. iuriſconſultorum, *oder neueſte Nachrichten von gelehrter Juriſten Leben und Schrifften.* Part. VIII. 1734. Noua acta Iuriſconſultorum *oder gründliche Auszüge und unpartheyiſche Urtheile über die neueſten juriſtiſchen Bücher und Diſputationes*, Part. VIIII. 1738. *Juriſtiſcher Bücher-Saal* Part. XVI, 1737. Hoc diarium nunc inſcriptionem prae ſe fert: *Allerneueſte Nachrichten von juriſtiſchen Büchern &c.* ac in partes LXIIII iam excreuit. Nuper initia coepere *gründliche Auszüge aus den neueſten juridiſchen Diſputat.* item *unpartheyiſche Critic über juriſtiſche Schrifften.* Vid. STRUVII bibliotheca iuridica cap. I, §. 1 et 2. Nonnihil auxilii quoque ferunt auctores, quos habet §. XXVI, quibus hic adiungimus PAULLI PHILIPPI WOLFFHARDTI ſchediaſma de modis acquirendi notitiam iuriſconſultorum; ESTORIS notitiam auctorum iuridicorum, HERMANNI VULTEII iuriſprudentiae Romanae praefixam.

§. CCCI.

§. CCCI.

Veterum Iuriſconſultorum Roman. uitis deſcribendis ſummam operam dicarunt legum antiſtites, ſuam aetatem propemodum neglexerunt; nunc maiore cura haec hiſtoriae literariae pars tractatur.

De biographis antiquorum iuriſconſultorum diſſ. extat IO. GOTTL. OLEARII. Nominabimus aliquos §. CCCVI. Iuriſconſultos labentis aeui, quos gloſſatores uocant, ſiſtit GUIDO PANCIROLLUS in opere de claris legum interpretibus, cura Chriſt. Gothofr. Hoffmanni, Lipſ 172 recuſo. Acceſſerunt huic editioni IO. FICHARDI uitae recentiorum iuriſconſultorum, MARCI MANTUAE epitome uirorum illuſtrium, IO. BAPTISTAE DE GAZALUPIS hiſtoria interpretum et gloſſatorum iuris, CATTELLIANI COTTAE recenſio breuis inſignium interpretum iuris ciuilis, MATTH. GRIBALDI MOPHAE catalogus interpretum iuris ciuilis, ALB. GENTILIS de iuris interpretibus dialogi VI. Nec BALDUM praeterire poſſumus, qui uitam Paulli Caſtrenſis, Iaſonis Mayni et Bartoli de Saxo ferrato deſcripſit. Latius excurrunt DENYS. SIMON. nouvelle bibliotheque hiſtorique et chronologique des principaux auteurs et interpretes du droit ciuil, canonique et particulier de pluſieurs etats et provinces, Paris 1695. TAISSAND vies de plus celebres Juriſconſultes de toutes les Nations, tant anciens que modernes &c. à Paris 1721. IOSEPH. AUREL. de IANUARIO respublica ICtorum. De uitis quorundam Iuriſconſultorum clariſſimorum ſoliciti erant CHRIST. GOTTLIEB

BUDER, FRID. IAC. LEICKHER, MATTH. WESENBECIUS. Vitas Germ. Iuriſconſultorum et Politicorum ſaec. XVI edidit MELCH. ADAM. Memorias Iuriſconſultorum ſaec. XVII HENINGIUS WITTE in quatuor decadibus. Quibus add. anonymi *Schauplatz berühmter Staats-und Rechts-Gelehrten*; PAULI FREHERI theatrum uirorum eruditione clarorum, in quatuor partes diuiſum, quarum ſecunda Magnates, ICtos et Politicos complectitur. SAM. REYHERI diſſ. de recentioribus ICtis; CLAUDII SINCERI *vollſtändige Leben und Schrifften groſſer Juriſten, 3 Theile*. Singularium temporum et locorum Iuriſconſultorum uitas memoriae prodiderunt multi, quos indicat WOLFFHARDT, c. I. p. 26 it. p. 56. STRUV. bibl. iur. p. 13. De Iureconſultis hodie uiuentibus conf. MOSERI Lexicon *der jetztlebenden Rechtsgelehrten in Teutſchland*. JENICHENS *unpartheyiſche Nachricht von Leben und Schrifften der jetztlebenden Rechtsgelehrten in Teutſchland*; ac potiſſimum WEIDLICHII Lexicon Iuriſconſultorum, quamquam nec aliae notitiae literatorum, quarum hodie magna prodire ſolet copia, poſthabendae ſunt. uid. STRUV. c. I. §. III. Fas eſſet, ut non ſolum iſtorum ICtorum, qui famam ſcriptis ſibi conciliarunt; ſed et aliorum, cum de rebus imperii, tum de rebus principum bene meritorum uitae conſignarentur.

CAPUT

CAPUT XXXX.

DE IURIBUS POPULORUM ANTIQUORUM ET EXTERORUM.

§. CCCII.

Iura humana, ut homines ipſi, facile mutantur; quare immenſum quidem, ſed non tam utilitate, quam amoenitate ſua, commendabile ſtudium impendere neceſſe habent, qui populorum omnium aetatum ſcita inueſtigare annituntur. Nobis illa noſſe ſufficiat, quae ad leges noſtras interpretandas quidquam ualent. Leges Hebraeorum et antiquitate et ſapientia excellunt omnibus, nec iurisprudentiae noſtrae inutiles eſſe exiſtimantur.

Praecepta moralia in Decalogo praeſcripta ad nos pertinent omnino. De legibus diuinis poſitiuis uniuerſalibus iam diximus §. CCLXXXXIII. Tametſi legibus caerimonialibus et forenſibus ad cauſſas dirimendas hodie raro utimur; non tamen ideo ſunt nullius uſus. Hebraeorum iura explanarunt HOTTINGER. BUXTORFF. SELDENUS, FRISCHMUTH, L'EMPEREUR, SPENCER, WAGENSEIL, ARNDT, alii. Collationem legum Moſaicarum et Romanarum iam uetus auctor ſuſcepit, quam PETRUS PITHOEUS et poſtea ANTON. SCHULTING. in iurispr. Anti-Iuſtinianea luce donauit. Contulerunt etiam inter ſe ius Hebraeorum et iura ciuilia ZEPPER. et GISEBERTUS (§. CLXVII). De re-

republica Hebraeorum ſcripſerunt SIGONIUS, CUNAEUS, CONRING. LEYDECKER. Nuper eccleſiaſticas ſanctiones et ritus Iudaicos expoſuit BODENSCHATZ. Qui rebus hiſce delectantur, Miſchnam, eiusque commentarios euoluere poſſunt.

§. CCCIII.

Ex legibus Aegyptiorum hauſerunt Graeci, ex Graecis Romani.

Vid. DIODORI SICULI biblioth. hiſtorica. De legibus Aegyptiorum diſſeruit IOH. HENR. BOECLER. De ſynedriis Aegyptiorum, illorumque legibus inſignioribus tractatum adornauit IOH. NICOLAI. Ad iurisprudentiam Graecam pertinent IOANNIS MEURSII Solon et Themis Attica; SAM. PETITI leges Atticae; PARDULPH. PRATEII iurisprud. uetus, qua Draconis et Solonis leges continentur. NIC. CRAGII respubl. Lacedaemoniorum, et alii in GRONOVII theſaur. antiquitat. Graec. tom. V aſſeruati.

§. CCCIV.

Exterorum iura patriis ſcitis affinia ab iis, qui ſtatuta domeſtica rite explicare ſtudent, negligi nequeunt.

1) Ius Gallicum complectitur COD. LUDOVICIANUS, qui XII partibus ab a. 1667 - 1695 prodiit, cui add. LAURENT. BOHELII bibliotheca uel theſaurus iur. Gallici, a IOH. BESCHEFERO auctus III vol. 1667; Journal des principales Audiences du Parlement de Paris, ou Recueil des queſtions decidées par cette Cour, depuis 1623 jusques à preſent par CHARLES DU FRESNE, Paris 1680.

Quam

Quam collectionem alii deinde continuarunt. Conſuetudines Burgundiae illuſtrauit BARTHOL. CHASSANAEUS; Pariſienſ. MOLINAEUS, uid. STRUV. bibl iur. c. VI §. 1. 2) Hiſpanici iuris notitiam exhibet GERHARD. ERNESTUS de FRANCKENAU in ſacrae Themidis Hiſpaniae arcanis. Antiquiſſimae leges reperiuntur in cod. legum Wiſi-Gothorum. Hiſpani illum dicunt Fuero Juzgo, cui poſtea ſucceſſit ius Alphonſinum; Leges Tauri commentario illuſtrauit ANTONIUS GOMEZIUS. STRUV. c. l. §. 3. 3) Anglorum leges antiquas collegit GUILIELMUS LAMBARDUS, DAN. WILKINS et HENR. SPELMANN. Fletam, ſiue commentarium Iuris Anglicani ita nuncupatum, edidit IO. SELDENUS. Wallicas leges eccleſiaſticas et ciuiles Hoeli Boni aliorumque Walliae principum cum notis et Gloſſariis edidit GUIL. WOTTONAR. Scotiae leges priſcas et conſuetudines, ſub inſcript. *regiam maieſtatem Scotiae*, IOH. SKENAEUS. 4) De iure Sueonum et Gothorum uetuſto commentarium reliquit OLAUS STIERNHÖCK. LOCCENII antiquitates Sueo-Gothicae continent etiam breuem notitiam legum Sueciae. EIUSD. ſynopſis iur. priu. ad leges Suecanas accommodata; it. Lexicon iuris Sueo-Gothici. Sueciae regni leges prouinciales Carol. IX et urbanae Guſtau. Adolphi, eodem Loccenio auctore, in latinam linguam traductae. NETTELBLADT Themis Romano-Suecica. 5) Apud Danos ualet *dat Judke Lowbock*, cuius German. uerſio edita Haffniae, 1584. Codex Chriſtianeus ſiue Kon. Chriſt. V. Danske Lovv, Hafniae 1683. Leges Normannicas LUDEWIG. reliquiis ſuis MStorum inſeruit.

ARPI Themis Cimbrica. DREYER de uſu genuino iuris Anglo - Saxonici in explicando iure Cimbrico et Saxonico. Antiquas Friſionum leges notis illuſtrauit SIBRANDUS TETARDUS SICCAMA. 6) Iura Belgica diſcimus ex HUGONIS GROTII Inleyding tot de Hollandſe Rechts - Geleertheid; GUIL. GROTII iſagoge ad praxin ſori Batauici; SIMON GROENEWEGEN tr. de legibus abrogatis et inuſitatis in Hollandia; SIM. VAN LEUWEN cenſura forenſi. ULRICI HUBERI *Hocdendegse Rechts-Geleertheyt ſoo elders als in Frieslandt gebruikelük.* 7) Heluetios reſpicit HANNS IACOB LEU *Eydgenoſſiſches Stadt-und Land-Recht.* 8) Statuta urbis Venetae ſaepius excuſa. Sic et respubl. Genuenſis ſtatuta ſua edidit, it. Ferraria, Brixia, Roma, Bononia; Mediolanenſis ducatus ſtatuta prodiere curante HORATIO CARPANO. Conſtitutiones antiquas ducatus Sabaudiae et principum Pedemontanorum commentariis locupletauit ANTONIUS SOLA. STRUV. c. l. §. XIV. 9) Leges Polonicas collegit IOH. DE LASKO 1506. poſtea collegerunt plures. ANDREAS PETRIKOVIUS conſtitutiones regni et magni ducatus Lithuaniae IV uoluminibus edidit, usque ad annum 1718. Legum, ſtatutorum, conſtitutionum et priuilegiorum ab a. 1347 usque ad a. 1733 edit. noua adornata fuit Varſouiae IV uoluminibus in fol. NIC. ZALASZOWSKI eruit ius Poloniae ex ſtatutis et conſuetudinibus eiusd. regni, et magni ducatus Lithuaniae, III uol. in fol. Posnaniae 1701. 10) Ad regnum Pruſſiae ſpectat ius Culmenſe correctum, Brunspergae 1711 in fol. *Preuſſiſches Land-Recht*, GE. GRUBE corpus conſti-

conſtitutionum Pruthenicarum, *oder Königl. Preuſſiſche Reichs-Ordnungen, edicta et mandata.* Koenigsberg. 1721 in fol. Statuta Moſcouitica germanice edidit STRUV. 11) Ius Hungaricum illuſtrat IOH. IONY de orig. et progreſſu iuris Hunno-Hungarici, STEPH. VERBOECZII tripartitum opus iuris conſuetudinarii regni Hungariae.

CAPUT XXXXI.

DE IURE ROMANO.

§. CCCV.

Iurisprudentia Romana, corpore iuris ciuilis comprehenſa, nobis maximae curae eſſe debet; quia ius Romanum κατ' ἐξοχὴν ius ciuile et ſaepius ius commune dicitur, ac propterea tironibus in aditu diſciplinae exponitur, quamuis in foro non, niſi deficiente iure domeſtico, adhibeatur.

Germani praepoſtere quidem ſtudium iuris tractare uidentur, quando iuri auxiliari primum locum aſſignant; ſed moribus obtemperandum eſt. Multi ius Romanum magnopere laudibus extollunt, idque rationem ipſam literis expresſam putant. Alii idem ualde deſpiciunt; medium tenuere beati. Vbi ſubſidiario iure opus eſt, Romanorum placita, quam uagum iudicis arbitrium, ſequi malumus.

§. CCCVI.

§. CCCVI.

Quoniam Iuſtinianus Imperator ius Romanum in uaria uolumina congeſſit et reformauit, ab eodem hiſtoria iuris epochas ſuas computare ſolet.

1) Hiſtoriam iuris iam perſecuti ſunt commentatores ad leg. 2. ff. de orig. iuris. Opuſcula ad hiſtoriam iuris, et maxime ad POMPONII enchiridion illuſtrandum pertinentia collegit IOH. LUD. UHLIUS. Inter hos commentatores excellunt CUIACIUS, RUPERTUS, VAN DER MUELEN, BYNCKERSHOECK. Syſtematicas hiſtoriae iuris Romani commentationes perfecerunt AYMARUS RIVALLIUS, FORSTERUS, LINDEMANNUS, KAYSER, IAC. GOTHOFREDUS, SIM. VAN LEUVVEN, DOVIATIUS, SCHUBART, GRAVINA, STRUV. HOFFMANN. THOMASIUS, BRUNNQUELL. HEINECCIUS, HELLFELD, TELGMANN, CLAUDE IOSEPH DE FERRIERE, PIERRE TAISAND, et admodum nuper ANTON. TERRASSON. Addatur CHR. FRANC. PAULLINI *Hiſtoriſcher Bericht von Urſprung und Wachsthum des ganzen Kayſerl. Leben und Sachſen-Rechts in der Zeit-verkürzten erbaul. Luſt*. P. II p. 442. 2) In periodo ante Iuſtinianum diſquiritur de legibus regiis, legibus XII tabularum, interpretatione prudentum, diſputatione fori, legibus ſingularibus, plebiſcitis, edictis praetorum, ſenatusconſultis, reſponſis prudentum, conſtitutionibus principum. THOMAS. de naeuis iurisprud. anteiuſtinian. CHRIST. HENR. HAUSSOTTER omnes ab origine Rom. imperii usque ad tempora Auguſti latas leges ſiſtit et ritus uarios antiquos Rom. reipubl. enucleauit. 1751.

Legum

Legum regiarum fragmenta collegerunt et illuſtrarunt ANTONIUS AUGUSTIN. IUST. LIPSIUS, BALDUINUS; leges XII tab. idem AUGUSTINUS, BALDUINUS, IAC. GOTHOFREDUS, HOTTOMANNUS, CONR. RITTERSHUSIUS, IOH. NIC. FUNCCIUS. WOLFG. PAUL. BURGERMEISTER VON DEYZISAU *in der Anleitung zur Gelahrheit in Rechten* P. I agit de legibus regiis et XII tabul. De diſputationibus fori diſſerunt SLEVOGT et HELLFELD. Formulariam iurisprud. reſtituit BRISSON. ad quam etiam operam ſuam contulerunt SCHILTER, STENGER, HEINECCIUS. Interpretes legum ſingularium et ſenatusconſultorum indicat STRUV. c. III §. XVI. Laudatur ſtudium HEINECCII legi Iuliae et Papiae Poppaeae impenſum. Edicti perpetui hiſtoriam contexuit HAMBERGER. Reſtituendi huius edicti curam habuerunt RANCHIN., IAC. GOTHOFREDUS et HEINECCIUS. Aedilitii edicti hiſtoria illuſtratur in HEINECCII diſſertatione ad aedilitium edictum. Commentariis illud dilucidarunt ROEVENSTRUNCK, STRAUCH, ZIEGLER. 3) De magiſtratibus Romanis diſſerendi anſam praebent tituli quidam Pandectarum. Conf. tom. II antiquitatum GRAEVII, et tom. III antiquit. SALENGRII, GUIDONIS PANCIROLLI, IUL. CAESARIS BULENGERI, et IAC. GUTHERII opera ſatis nota. 4) Vitas ueterum ICtorum a RUTILIO, BERTRANDO, et GUILIEL. GROTIO conſcriptas, recudendas curauit IOH. CHRISTOPH. FRANCK. Quorumdam ueterum ICtorum uitas memorauit NIC. HENELIUS, EVERHARD. OTTO de Papiniano, IOH. PHIL. SLEVOGT de philoſophia Papiniani ſollicitus fuit; STRAUCHIUS Iurisconſultorum ueterum uitas deſcripſit in

program.

program. XV. De ſectis Sabinianorum et Proculianorum uid. GOTTFRED. MASCOV., BOECKELEN. de diuerſis familiis ICtorum. Veterum ICtorum librorum fragmenta e. c. GAII inſtitutiones et PAULLI receptae ſententiae ſuos quoque cultores habuere, quos uide in STRUV. bibl. iur. p. 49. ſ) Conſtitutiones principum codex Gregorianus, Hermogenianus et Theodoſianus aſſeruabat. Priorum codicum fragmenta ANT. SCHULTING. iurispr. Ante-Iuſtinianeae inſeruit. BRUNNQUELL. de codicis Theodoſiani in Iuſtinianeo uſu diſſertationem habuit. IACOBI GOTHOFREDI commentarius in codicem iſtum ſumma eruditione refertus eſt. Nouam codicis Theodoſiani editionem in ſex uol. adornauit IOH. DAN. RITTER.

§. CCCVII.

Iuſtinianus Imperator opus deſperatum aggreſſus non omnium quidem plauſum reportauit; attamen uolumina illius per totam fere Europam peruaſerunt. Primam operam conſtitutionibus principum codice Iuſtinianeo comprehendendis dari iuſſit, quem deinde emendauit ac repetitae praelectionis uocauit. Codici accedunt authenticae, uel ex Nouellis decerptae, uel Frid. I et II imperatoribus auctoribus adiectae.

PROCOPIUS CAESARIENSIS Iuſtiniani res geſtas lib. VIII fuſius narrauit; ſed in anecdotis imperatoris coniugisque ipſius Theodorae famam ualde lacerauit. Refutatus propterea a RIVIO et EICHELIO,

CHELIO, et TRIVORIO; defenſus tamen ab ALEMANNO. Vitam Iuſtiniani recenſent BALDUINUS, GIPHANIUS, GUINETUS, LUDEWIGIUS. cf. etiam HEINECCIUS in praefat. corp. iuris; IOH. CHIFFLETIUS de I. V. architectis; SCHAUMBURG de incenſione librorum iuris antiquorum Iuſtiniano et Triboniano affictа. Codicem accuratius ediderunt ANT. CONTIUS et GREGOR. HALOANDER. Commentatorum celebriorum numero habentur DIONYSIUS GOTHOFREDUS, CUIACIUS, DONELLUS, MOLINAEUS, MORNACIUS, GIPHANIUS, PEREZ., ALTESERRA, SICHARD., WESENBECIUS, BRUNNEMANN, WISSENBACH, TULDEN. Tot codicis, quot Pandectarum, compendia non habemus. De Iuſtiniani deciſionibus L nouis Codici additis expoſuerunt LUDWELL, MERILLIUS, STRAUCHIUS et IOH. HUGO Liber Baro ab HAGEN. Quis authenticas Codici inſeruerit, nondum ſatis conſtat. Vulgo IRNERIUS auctor perhibetur. uid. BYNCKERSHOECK. et SCHERZ. de auctoribus authenticarum, CONR. RITTERSHUSIUS promulſidem errorum Irnerianorum dedit; at IOH. STRAUCHIUS Irnerium non errantem exhibuit. Authenticarum expoſitionem uulgauit RICHTER. et PAGENSTECHER. cf. BRUNNQUELL. in hiſt. iur. P. II, c. X.

§. CCCVIII.

Immenſa deinde ICtorum uolumina excuti et pandectarum opus ex illis colligi iuſſit Iuſtinianus imperator; quod licet uariis uitiis laboret, in ſcholis tamen noſtris fons iuris primarius habetur.

Hiſto-

Hiſtoriam pandectarum doctrinae ſuae pandectarum praemiſit LUDOVICI. De his, quae praeter meritum et merito in Digeſtorum libris a doctoribus reprehenduntur, diſſerit BRUNNQUELL. P. II c. IV. Alii legum conflictum componere tentarunt, nimirum ZASIUS, GIPHANIUS, STRUV. BERGER. De uitiis methodi inſtitutionum et pandectarum corporis Iur. Rom. in programmate disquirit IOH. FRID. FREIESLEBEN. Diſputatur, an ex codice MSto Florentino omnia cetera pandectarum exempla dimanauerint? Affirmat HENR. BRENCMANN. in hiſt. pandect. ſiue fato exemplaris Florentini; negat SCHWARZ. in ſingul. diſſert. et GUIDO GRAND. in epiſtola. Pandectas ad exemplum MSti Florentini expreſſit LAELIUS TAURELLUS. Idem meditatus eſt BRENCMANN. cuius apparatus nunc in manus cel. GEBAUERI peruenit. Praeter Florentinam pandectarum lectionem celebratur HALOANDRI editio, quam alii plures ſecuti ſunt; uid. SCHWARZIUS c. l. STRUV. c. l. c. III, §. VI. Vulgaris editionis uſus eſt forenſis, reliquarum criticus. ICti, quaſi agmine facto, lumina ſua digeſtis adſperſerunt. Quis enim neſciat merita ANT. AUGUSTINI, CUIACII, DONELLI, GOTHOFREDI, HUBERI, BRUNNEMANNI, NOODTII, BYNCKERSHOECKII, VOETII, TREUTLERI, WESENBECII, qui in legibus reſtituendis et explicandis occupati fuerunt omnes. Uſum hodiernum monſtrare ſatagunt SCHILTER. in praxi iur. Rom. in foro Germanico; STRUV. in exercitationibus cum commentario PET. MÜLLERI; STRYK. in uſu moderno; LEYSER. in meditationibus; THOMASIUS in notis. Enchiridia ſecundum pandect. ordinem com-

compoſuerunt LAUTERBACH, LUDOVICI, BOEHMER, SCHOEPFFER, ENGELBRECHT, GE. BEYER, HEINECCIUS, SCHAUMBURG, CORN. VAN ECK. Quam parum utilitatis pandectae foris noſtris afferant, THOMASIUS in diſſ. ſingul. oſtendere conatus eſt.

§. CCCIX.

Sed his rebus curam ſuam non terminabat Caeſar; cupidae enim legum iuuentuti inſtitutionum libros IV tamquam elementa iuris exhibuit, e quibus etiam nunc iurisprudentiae initia repetuntur.

Hoc opuſculum meliorem ordinem, quam reliqui iuris libri, habet, et uaria, quae in aliis deſiderantur, docet. Ad inſtitutiones rite interpretandas faciunt HEINECCII antiquitates. Ex commentatoribus praecipui ſunt VINNIUS, BALDUINUS, HUBER., EVERHARD. OTTO, IANUS A COSTA, SCHNEIDEWIN., HARPPRECHT. Uſum hodiernum tradiderunt HOPPIUS, WENGIUS *im teutſchen Juſtiniano*, PHILIPPI in uſu practico inſtitutionum, LUDEWIG. in differentiis iuris Romano - Germanici, THOMASIUS in aliquot diſſertationibus de uſu practico titulorum inſtitutionum. GIESEBERT. in Iuſtiniano harmonico. conf. HOMBORG. programma de multitudine nimia commentatorum in inſtitutiones iuris. Ex magna compendiorum copia ſe commendant potiſſimum HEINECCII, VOET. WESTENBERG. elementa; BALDUINI catecheſis; VULTEII iurisprud. Roman; STRUVI iurisprud. Romano-Germanica forenſis; BERGERI oeconomia iuris. conf. STRUV. in bibl. iur. c. VII, §. IV ſqq.

U §. CCCX.

§. CCCX.

Imperator, neceſſitate ac prudentia exigente, leges emendare ac ſupplere non deſiſtebat. Hinc iuris ſui ſyntagmati Nouellas addidit; accedebant etiam edicta XIII Iuſtiniani, auctoritate in foris noſtris deſtituta.

In Nouellis colligendis, uertendis, edendis praecipue elaborarunt GREGORIUS HALOANDER, HENRICUS SCRIMGERUS et IOH. FRID. HOMBERGK ZU VACH. De textu Nouellarum originario coniecturas protulit FERDIN. AUGUST. HOMMEL; AEMILIUS LUDOV. HOMBERGK ZU VACH de Nouellis Iuſtiniani lingua originaria uulgatis, earum uerſionis auctore atque uſu in foro, diatriben edidit; GOTTFR. LUDOV. MENCKE de nouell. gloſſatarum et non-gloſſatarum auctoritate diſſertationem habuit; HOMBORG de praecipuis in Nouellas, et tit. de regulis iuris et uerborum ſignificat. commentatoribus in programmate quodam egit. Methodice Nouellas expoſuerunt CONR. RITTERSHUSIUS, GUDELINUS, LUDOVICI, STEPHANI. Nouellae in corpore iuris in IX collationes diſpertitae fuerunt; conſuetudines Feudorum ſunt inſtar decimae.

§. CCCXI.

Ex his partibus corpus iuris Iuſtinianei conſtat, quamquam poſtea illi Nouellae Leonis et alia pro editorum arbitrio adiecta fuerunt.

Libri iuris primum coniunctim typis exſcripti fuerunt Venetiis, apud Baptiſtam de Tortis, 1499. HALOANDRUM iam memorauimus, cuius merita

merita per omne ius Iuſtin. diffunduntur. Studium illius in uſus ſuos uerterunt CAROLUS GUILLARD, IOH. HEERWAGIUS, IAC. VINTIMILLIUS, aliique. Laudatur etiam induſtria ANT. CONTII, LUDOV. CHARONDAE et IUL. PACII. Hodie in foris auctoritate pollet editio uulgaris, DIONYSII GOTHOFREDI notis illuſtrata, ſaepiusque recuſa, praeſertim cura SIM. VON LEUWEN. Prodiit etiam Hal. 1734, 4. corpus iuris, cum Heineccii praefatione; CHRISTOPH. HENR. FREISLEBENII editio tironibus commoda.

§. CCCXII.

Poſt Iuſtiniani Imp. tempora iuris iſtius ſyſtema in linguam Graecam transferebatur; Digeſta quidem a Thalelaeo, inſtitutiones a Theophilo, codex ab incerto quodam interprete. Inter ſequentes imperatores ob nomotheſian maxime celebrantur BASILIUS MACEDO et LEO.

Theophili aetatem indagarunt IOH. HENR. MYLIUS et GUNDLING. in Gundlingianis P. II obſ. IX. Paraphraſin illius Theophili reddiderunt ZUICHEM, CURTIUS, DIONYSIUS GOTHOFREDUS, DOVIATIUS, FABROTTUS, et GUILIELM. OTTO REIZIUS. Libros βασιλικῶν plenius edidit CAR. ANNIBAL FABROTTUS, eosque gloſſis et SUARESII notitia baſilicorum locupletauit. FABRICIUS indicem ICtorum, quorum in baſilicis mentio fit, tom. XII biblioth. graec. p. 435 inſeruit; pag. 465 extat indiculus ſcriptorum iuris Graeco-Romani, editorum et ineditorum. Nouellae Leonis in no-

ſtro corpore iuris reperiuntur quidem, ſed in foro dubiae ſunt auctoritatis. CASP. ACHATIUS BECK. de Nouell. Leonis, earumque uſu et auctoritate. Praeterea ICti ueteres BALSAMO, STEPHANUS NICAEUS, THALELAEUS, EUSTATHIUS, HARMENOPULUS, PSELLUS, alii uaria compendia concinnarunt, quorum nonnulla IOH. LEUNCLAVIUS in iure Graeco-Romano, tam Canonico, quam ciuili, exhibuit. ENIMUNDUS BONEFIDIUS in iure orientali imperatorum Byzantinorum conſtitutiones aſſeruare ſtuduit. conf. BRUNNQU. in hiſt. iur. P. III membr. I c. VI, et STRUV. c. I. c. IV.

§. CCCXIII.

Ius Iuſtinianeum per Italiam quoque uiguit, nec Langobardis diſplicuit, ut ex eorum legibus patet. Nam libertatem eligendi concedebant, qua quisque lege uiuere uellet, Romana, an Langobarda. Germani huius iuris uſum ignorarunt, donec ſec. XII pandectarum codice reperto, iuris ciuilis ſtudium, Caeſaris tamen auctoritate non accedente, inſtauraretur. IRNERIUS autem, Germanus, Bononiae primum ius Romanum docebat.

Commenta quorundam de iure Iuſtinianeo in ſcholas et fora Italiae et Germaniae, per Lotharium II Imp. reducto, diſcuſſit CONRING. in tr. de origine iuris Germ. cf. etiam ARTHURUS DUCK de uſu et auctoritate iur. ciu.

§. CCCXIV.

Irnerii ſchola diſcipulis abundabat, quos inter praecipui erant MARTINUS GOSIA, BUL-

BULGARUS, IACOBUS, UGOLINUS a Porta Rauennate. Martinus et Bulgarus ſectarum auctores facti. Hos iuris doctores uulgo gloſſatores appellant, quorum quaſi antiſtites habentur AZO, ACCURSII, BARTOLUS, BALDUS, IASO.

Gloſſa tanti ponderis erat, ut legibus fere ipſis praeferretur. Corporis iuris gloſſae uariae extant editiones, de quibus uid. STRUV. c. l. c. III §. XV. BRUNNQUELL. de ſectis et controuerſiis iur. Iuſtin. interpretum, quos gloſſatores appellamus. IAC. BORN. progr. de uitiis, quae gloſſatoribus obiiciuntur; Bartoli et Baldi uitam lege in GRAVINAE L. I de orig. et progreſſu iur. ciu. §. 164 et 165. Vide ſcriptores ſupra §. CCCI excitatos.

§. CCCXV.

Litterarum palingeneſia ſaec. XVI iuris ciuilis ſtudio plurimum profuit; inde enim uiri ſolertiſſimi elegantiorem doctrinam cum iurisprudentia coniungere coeperunt. Scilicet ANDR. ALCIATUS, GUILIELMUS BUDAEUS, ANTON. AUGUSTINUS, HUGO DONELLUS, BALDUINUS, aliique, quos ſchola Bituricenſis et CUIACIANA protulit.

Cf. BRUNNQU. P. III membr. II c. VIII. Longum foret, omnes iuris interpretes, qui litteris humanioribus operam nauarunt, et adhuc nauant, recenſere. Quanta induſtria olim leges Romanas perueſtigarunt, tanta hodie Germanicis quo-

que legibus tribuitur; hinc iuris ſtudium incredibiles poſcit labores.

§. CCCXVI.

Poſtquam Italia iure ciuili florere coepiſſet, Germani etiam ad ſcholam Bononienſem confluebant. Itaque fieri non potuit, quin iuris patrii ignari iuris Rom. notitiam nanciſcerentur, eamque domum reportarent, tanquam nouum oraculum. Tempore denique Maximiliani I ius Iuſtinianeum publice approbatum fuit; ſed quam late huius iuris uſus hodie pateat, inter ICtos non conuenit. Nonnullis eodem nihil prius, nihil pulchrius, aliis nihil ineptius. Nos cum iis ſentimus, qui huic iuri recepto, ipſis imperii legibus monentibus, uſum haud exiguum tribuunt; ſed ſubſidiarium, ita, ut deficientibus iuribus et moribus patriis, nec leges obſoletae, nec iudicum arbitria mera ſpectanda ſint.

Conf. BRUNNQUELL, c. l. c. XI. ARTHUR. DUCK de auctoritate iur ciuil. Rom. Ius Rom. iam media aetate in Germania uſum aliquem praeſtitiſſe, oſtendit cel. RICCIUS in ſpicil. hiſtorico diplomatico, quo iur. Iuſtin. in aulis Germanorum principum atque perſonarum illuſtrium adoptati uſus pragmaticus, iam inde a ſec. XIII et XIV ex ipſis fontibus, ad illuſtrandam hiſtoriam iuris eruitur. Ius Germ. iuri Romano in cauſis decidendis praeferendum eſſe, conſtat; ſed, an ius Germanicum etiam nunc complectatur conſtitutio-

tutiones Germanicas antiquiſſimas, diſceptatur. uid. KULPISIUS de Germanicarum legum ueterum ac Rom. iuris in republ. noſtra origine, auctoritateque praeſenti, THOMAS. diſſ. de rite formando ſtatu controuerſiae, an legum iuris Iuſtinianei ſit frequens, an exiguus uſus practicus in foris Germaniae. IOH. FRID. WERNHERI diſſ. de uſu iuris Iuſtinianei in iudiciis Germanicis non exiguo. SAHME diſſ. de inſigni legum Romanorum uſu practico in for. German. CRAMER. progr. de praeſumtione pro iure Romano contra mores antiquos Germanor HOMMEL. diſſ. de proedria legum Iuſtinian. prae iure patrio antiq. in for. German. BRÖCKES. progr. de exiguo antiquarum legum Germanicarum uſu. MANZEL. diſſ. an et quatenus iuri Romano competat praerogatiua prae ueteri iure Germanico? C. VITRUVII *Erläuterung von dem Vorzug des teutſchen Rechts vor den Römiſchen.*

CAPUT XXXXII.

DE IURE GERMANICO.

§. CCCXVII.

Nihil hodie iuris noſtri antiſtites magis ſollicitat, quam iuris Germanici ſtudium. Ecquid ſemper in peregrinis deſudabimus, domeſticae ſapientiae taedio capti? Nationi noſtrae numquam deerant bonae leges, ſed mores iis dicebantur, quibus ſpiſſa legum uolumina oſten-

tare ſolenne erat. Veteris Germanorum iurisprudentiae, quam TACITUS adumbrauit, indoles in legibus quibusdam etiamnunc conſpicitur.

DITMARI annotat. ad TACITI Germaniam iuris ſtudioſo in primis commendandae ſunt. Ex multis, qui origines et hiſtoriam iuris Germanici enarrarunt, praecipue laudantur CONRING. de origine iuris Germanici. HOFFMANN. de origine et natura legum Germanicarum priuatarum antiquarum. STRUV. KOPP et HELLFELD. in hiſtoria iuris. CONRAD. SINCER. (KULPISIUS) in diſſ. de Germanicarum legum ueterum ac Romani iuris in republica noſtra origine auctoritateque praeſenti. POLYCARP. LEYSER. de primis iuris ſcripti germanici incunabulis. add. HENR. GOTTL. FRANC. diſſ. de iurisprudentia uet. German.

§. CCCXVIII.

Populi Germanici litterarum rudes, belloque dediti, ſacerdotibus nimium indulgebant, nec legum ferendarum prudentiam admodum colebant.

Germani fidei, fortitudinis et caſtitatis laude uel a Romanis ornabantur; ſed fortitudo eos ad deuia abripiebat. Vid. oratio noſtra de nomotheſia ueterum German. uirtutis ſpecie uitioſa, in Opuſculis. Iudicia citius quidem, ſed ineptius ſaepe expediebantur. CONRING. de iudiciis reipubl. Germanicae. CRÜGER. de iudiciis ueter. Germanorum ſub dio ante tempora Caroli M. MEINDERS. de iudiciis centenar. BUDER. de iudiciis

ciis duodecimuiralibus populorum ſeptentrionalium et Germaniae. HERTIUS de notitia ueteris Germaniae populorum.

§. CCCXVIIII.

Quum gentes Germanici ſanguinis ſaec. V et VI arma famamque usquequaque circumferrent, nouasque ſedes occuparent; linguam praeſertim et ſtatuta Latii ſibi probabant, moribus tamen patriis primas tenentibus. Lex Salica Francorum antiquiſſima celebratur; ſed ſanciebant quoque Francorum reges capitularia, nec obliteratae fuerunt leges Ripuariorum, Alamannorum, Baiuuariorum, Burgundionum, Friſonum, Saxonum, Angliorum et Werinorum, Langobardorum, Normannorum, Viſigothorum &c.

Theſaurus hos iuris ueteris Germanici collegerunt SICHARDUS, HEROLDUS, LINDENBROGIUS, GOLDASTUS, BALUZIUS, GEORGISCH. Lex Salica praecipue in delictis coercendis uerſatur, inde uetuſtatis argumentum. Vid. WEIDLERI diſſ. de natali ſolo Legis Salicae. HEINECC. in praefat. corp. iuris GEORGISCH. diſſerit de origine, auctoritate et uſu legis Salicae. Uberius hanc legem illuſtrarunt BIGNON, PITHOEUS, WENDELINUS, HOFFMANN. in obſeruat. iuris Germanici, et, cui primus locus tribuendus, ECCARDUS. Capitularia reſtituerunt TILIUS, PITHOEI, SIRMONDUS, BALUZIUS. Leges Normannorum exhibet LUDEWIG. tom. VII reliquiarum MStorum. Leges Sueonum exponit STIERNHOECK, LOCCENIUS,

LUNDIUS. Iurisprudentiam ueterem Germanorum in ſyſtema redegit POLAC.

§. CCCXX.

Poſtquam Germani ex ducibus ſuis paullo liberius reges ſibi deligere coeperant, ad mores ſuos, Francorum capitularibus neglectis, reuertebantur, in rebus dubiis ad iudicia duellica confugiebant, immo ius in uiribus ponebant, unde *diffidationes* pernicioſae. Reges quidem leges aliquas conſtituiſſe feruntur, ſed nonnullae commentitiae uidentur, aliae ad ſtatum imperii publicum et feudalem ſpectant; ciuitates ac prouinciae ſuis nitebantur conſuetudinibus, quas nec ius Romanum, nec Canonicum, quae ſenſim irrepſerant, poterant deturbare. Fuere, qui mores nonnullos litteris mandare inſtituerent, auctores ſcil. Speculi Saxonici et Alamannici, ſed his fide publica deſtitutis, tantoque negotio imparibus res minus proſpere ceſſit, quamuis, ut in tenebris fieri ſolet, multi carbones iſtos pro theſauro acciperent.

De iudicio duellico uid. diſſ. DITMAR. et EPHR. GERHARDI. De diffidationibus DATT. commentatus eſt in libr. de pace publica. Regum et Imperat. Germanicorum conſtitutiones a GOLDASTO exhibitas indicat STRUV. in hiſt. iur. German. c. I. §. 14 ſq. Sed non omnium fides ſtabilis. Speculum Saxonicum circa annum 1230 compoſitum fuiſſe uidetur. Vid. AYRER de aetate Speculi Saxonici Speculo Sueuico antiquioris;

RINCK.

RINCK. de Speculo Saxonico fonte iuris Saxon. communi. Varias editiones huius Speculi recenſent auctores hiſt. iur. et LIPEN. in bibl. iur. quas inter praecipua eſt editio GAERTNERI. Acceſſit huic iuri Saxonico ius Weichbildicum Magdeburgenſe, ius feudale Saxonicum et liber forenſis *Richtſteig* dictus. LUDER. MENCKE progr. de confirmatione Weichbildi, quae Ottoni I tribuitur, hiſtoriae fide deſtituta. CARPZOV de iure Weichbildorum, it. IO. GRYPHIANDER de Weichbildis Saxonicis. Speculi Sueuici auctor, aetas, uſus dubius. PHIL. IAC. LAMBACHER. epiſtola de aetate Spec. Sueu. HARPPRECHT. de Speculi Sueuici et praeſertim iur. feud. Alemann. in foris Vicar. Sueuo-Franconico-Palatini non uſu moderno. Ius feudale Alamannicum SCHILTER. commentario praeſtantiſſimo condecorauit. In eiusdem theſauro antiquit. ius prouinc. Alamannicum lectionibus uariantibus illuſtratum ſiſtitur. De iure prouinciali Franconico, *dem Kayſer-Recht*, nihil compertum habemus, praeterquam quod ill. SENCKENBERGIUS in praef. corp. iur. feud. Germanici §. 6 tradidit.

§. CCCXXI.

Interea ordinum imperii poteſtas ita augeſcebat, ut principes ac ciuitates leges prouinciales et ſtatuta, annuente Caeſare, promulgarent inſtituerentque iudicia; nam a tribunalibus prouinciarum publicis proceres multi priuilegiis liberabantur. Nonnulla iudicia tanta aequitatis laude florebant, ut ad ipſa tamquam ad curias

curias ſuperiores, *Oberhöfe*, prouocaretur. Norma quoque agendi iudiciis familiaris, itemque Scabinorum reſponſa, *die Weiſstbümer*, litteris conſignari coeperunt.

Haec omnia plenius declarat KOPP. in hiſtoria iuris Germanici priuati epoch. 5. De curiis ſuperioribus in Germania uid. HARPPRECHT. et SCHOEPF. De prouocationibus iuris Germanici conf. diſſ. BOEHMERI.

§. CCCXXII.

Quamquam Germania antiquas ſuas conſuetudines nondum deſeruit; hodie tamen late regnat ius ſcriptum. Prouinciae et urbes nunc codices legum ſuarum extollunt, quorum alii mere Germanica, alii Germanica Romanis mixta tradunt, alii antiquitate ſua uenerabiles, alii recentiores et ex uariis conſtitutionibus compoſiti.

Singularia eorum in ius Germanicum merita eſſe puto, qui ſtatuta cuiusque generis in lucem proferunt uel colligunt. De ſtatutis ciuitatum egregium commentarium edidit RICCIUS. Optarem, ut in legibus prouincialibus eruendis eadem induſtria collocaretur. Gratiam a legum ſtudioſa iuuentute inire uidemur, ſi primaria ſtatuta Germanica recenſemus, cum praeſertim in iisdem conquirendis multum curae ponamus.

1) Veteres leges Auſtriacas exhibet LUDEWIG. in reliquiis Manuſcript. t. IV. Codex Auſtriacus ordine alphabetico congeſtus eſt a FRANC. ANTONIO nobili de GUARIENT, Viennae 1704. Nuper nouus

nouus tomus acceſſit. Conſuetudines et leges Auſtriacas commentariis et obſeruationibus illuſtrarunt SUTTINGER. FINSTERWALDER. WALTHER. Differentias iuris ciuilis et Auſtriaci enarrarunt IO. WEINGARTEN. et IO. HENR. REUTTER. Deprehendimus etiam *die Kärnthiſche, Steyriſche und Crainiſche Land-Handfeſt.* NICOL. DE BECKMANN dedit ideam iuris ſtatutarii et conſuetudinarii Stiriae et Auſtriaci. A. 1603 prodiit: *neu reformirte Lands-Ordnung der Fürſtl. Grafſchafft Tirol.*

2) Bohemica iura traduntur in libro: *Vollſtändige teutſche Stadt-Recht im Erb-Königreich Böheim und Marggrafthum Mähren.* Vindob. 1721 typis exſcripto. Item in IO. IAC. DE WEINGARTEN codice Ferdinandeo-Leopoldino-Ioſephino-Carolino pro regno Bohemiae. Add. EIUSD. uindemiam iudicialem Ferdinandi II Imperat. *verneuerte Lands-Ordnung des Erb-Marggrafthums Mähren.*

3) Ad Sileſiaca pertinent IO. IAC. DE WEINGARTEN faſciculus diuerſorum iurium. IO. ANT. DE FRIDENBERG. tr. de generalibus et particularibus quibusdam Sileſiae iuribus. WALTHERI Sileſia diplomatica. *Sammlung der wichtigſten und nöthigſten Privilegien, Statuten, Reſcripten des Lands Schleſien.* 1736 et 1739. Part. II. *Kayſer-und Königl. das Erb-Herzogthum Schleſien concernirende Priuilegia, Statuta und Sanctiones pragmaticae*, Part. VI 1713 - 1730. *Sammlung aller in dem ſouverainen Herzogthum Schleſien und deſſen incorporirten Grafſchafft Glatz publicirten und ergangenen Ordnungen, Edicten, Mandaten, Reſcripten Friederichs Königs in Preuſſen.* Deliciae iuris Sileſiaci.

4) Bauaria conſeruauit uetuſtum Codicem iuris auctoritate Imperatoris Ludouici Bauari a. 1346 pub-

publicatum, Opuſculis noſtris inſertum et explanatum. Reformatio iuris Bauarici promulgata fuit a. 1518. Hodie Bauari utuntur iure prouinciali, quod 1616 Monachii hoc titulo prodiit: *Land-Recht-Policey-Gerichts-Malefitz-und andere Ordnungen der Fürſtenthumen Ober-und Nieder-Bayern.* Commentario prolixo illud donare inſtituit Lib. Baro de SCHMIDT. Ill. SENCKENBERG. diſſeruit de legibus gentis Bauaricae et IO. GE. LORY de origine et progreſſu iuris Boici ciuilis et antiqui. SEB. KHRAYSER. in nonnullis libellis ius Romanum cum Bauarico contulit. FRANCISC. BALTHASAR. reſolutiones edidit iuris ciuilis et Bauarici. A ſtatutis Bauaricis differt *Chur-Fürſtl. Pfalz Fürſtenthums in Ober-Bayern Land-Recht*, quod in compendium redegit MICH. MUNCHMAIER.

5) Franconia uariis abundat ſtatutis. Occurrit *des hochlöbl. Stiffts Würzburg und Herzogthums zu Francken Kayſerl. Land-Gerichts Ordnung.* Accedunt PETR. RODER. DEMERATH. differentiae iuris communis et Franconici. IUSTUS VERACIUS collegit conſuetudines principatus Bambergenſis. Magni faciendum eſt Corpus Conſtitutionum Brandenburgico-Culmbacenſium III uoluminibus comprehenſum.

In comitatu Hohenloico *gemeinſames Land-Recht* 1738 promulgatum fuit.

Reformatio Norica ampliſſimo commentario explicata fuit uariisque diſſertationibus academicis. Ad eandem quoque referuntur multae ſanctiones additionales, quarum nonnullas edidit LUDOLPH. in collectione ſtatutorum p. 678. Conf. KOELERI diſſ. de hiſtoria codicis iuris ſtatutarii

ſiue

ſiue Reformationis Norimb. IO. HIERON. WURFFBEIN. differ. iuris ciuilis et Reformat. Noric.

6) In terris Circuli Sueuici reperiuntur *des Herzogthums Würtenberg erneuert gemein Land - Recht* 1554 et 1609. Eiusdem Ducatus *gemeine Lands-Ordnungen* 1661. *Land Recht der Fürſtenthümer und Landen der Marggraffſchafften Baaden und Hochberg* 1710. *Der Stadt Ulm Geſatz und Ordnungen* 1683. Ciuitas Auguſtana antiqua habet ſtatuta a Rudolpho II Imp. confirmata.

7) *Naſſau-Catzenellenbogiſche Gerichts-und Lands-Ordnung*; item *Policey - und Berg - Ordnung* 1711 typis expreſſa. *Der Graffſchafft Solms und Herrſchafften Münzenberg, Wildenfels und Sonnenwald Gerichts- und Land-Ordnung* 1716 nouo habitu prodiit, atque etiam in comitatu Iſenburgico recepta dicitur. Hiſtoriam iuris ſtatutarii Francofurtani ex monumentis tam editis, quam anecdotis expoſuit SENCKENBERG. tom. I ſelect. iuris et hiſtoriar. p. 507. Reformatio Francofurtana luculentis annotationibus auctore ORT. iam dilucidari coepit, ut permultas tranſeam diſſertationes ad eam ſpectantes. Exſtat etiam ill. SENCKENBERGII diſſ. de iure Haſſorum priuato. Adde EIUSD. ſelectorum tom. V.

8) *Churfürſtl. Mayntziſche Ordnungen vor die Stadt Erfurth* a. 1704 publicatae fuerunt. In Electoratu Colonienſi uiget *general-und univerſal Rechts - Ordnung abgetheilt in zwey Theil* cum annotationibus, auctore IAC. BECKERO 1723 fol. *Chur-Pfälz. Land-Recht* 1700 f.

9) Iuſſu Wilhelmi Ducis Iuliacenſis 1556 edebatur *Ordnung und Reformation des gerichtlichen Proceſſ,*

ſamt

ſamt Erklärung etlicher Fälle, ſo ſich gemeinlich zutragen. De ſtatutis Suſatenſibus erudite commentatus eſt HAEBERLINUS. Ius ſtatutarium Mindenſe notis illuſtrauit IAC. ANDR. CRUSIUS.

10) Codex Auguſteus *oder neu vermehrtes* Corpus iuris Saxonici, *worinnen die in dem Churfürſtenthum Sachſen und darzu gehörigen Landen auch denen Marggrafthümern Ober-und Nieder-Lauſitz publicirte und ergangene Conſtitutiones, Deciſiones, Mandata und Verordnungen enthalten*, opera LUNIGII 1724 prodiit. SCHAUMBURG. *Einleit. zum Sächſ. Recht* concinnauit. Ciuitatis Dresdenſis ſtatuta 1728 euulgata fuerunt. Nec reliqui Duces Saxoniae ſibi in legibus ferendis defuere. Documento eſſe poſſunt ſtatuta Altenburgenſia, Gothana. Nec ciuitates ſuis deſtituuntur conſtitutionibus, quas iurisconſulti Saxonici perpetua induſtria interpretari ſolent. Terrae Brandenburgicae bonis legibus munitae ſunt, quas ſummo ſtudio collegit CHR. OTTO MYLIUS, Vol. VI. Sed nunc omne ius priuatum, ut inter omnes ſatis conſtat, meliorem formam aſſumere iubet Rex potentiſſimus.

11) Corpus Conſtitutionum Magdeburgicarum nouiſſimarum eiusdem, quem modo laudauimus, CHRIST. OTTO. MYLII labore congeſtum fuit. Conſtitutiones Brunſuico - Luneburgenſes uol. IV Goettingae 1739 commodis publicis dicabantur. Nec ſanctiones Brunſuico- Guelferbytanae indigeſtae uagantur. GOTFR. MASCOV. notitiam iuris et iudiciorum Brunſuico - Luneburg. exhibuit. Nota quoque ſunt ſcita Cellenſia et Luneburgenſia: multis uero cum antiquitate tam auctoritate excellit ius Lubecenſe, cui lumina

ſua

ſua affuderunt DAVID MEVIUS et IOACH. LUC. STEIN. Hiſtoriam ſtatutorum Hamburgenſium delineauit MICH. RICHEY. In explicandis illis iam multam induſtriam collocarunt uiri docti. A. 1722 accepimus Corpus Conſtitutionum Oldenburgicarum ſelectarum, cura IOA. CHRISTOPH. OETKEN. et 1749 Corpus Conſtitutionum Regio-Holſaticarum.

12) Nec iſti ſine elogio praetermittendi ſunt, qui diuerſarum prouinciarum et urbium ſtatuta colligere tentarunt et in lucem exponere, quod inſtitutum ut plures imitentur, opto. Itaque laudanda eſt LUDOLPHI collectio quorundam ſtatutorum, quae recenſet STRUV. in bibl. iuris p. 82. Laudanda eſt collectio, quam PUFFENDORFFIUS obſeruationibus ſuis adiecit. Laudandus denique ABRAH. SAURII faſciculus iudiciarii ordinis ſingularis, de quo diſſerit STRUV. c. l. p. 81. In BURGERMEISTERI corpore iuris publici et priuati etiam nonnulla iura ſingularia aſſeruantur. STRUV. c. l. p. 82 huc refert *das Statuten - Buch, Geſatz, Ordnungen und Gebräuch Kayſerl. allgemeiner und etlicher beſonderer Land - und Stätt - Rechten*, ſed inſcriptio libri uehementer fallit; nam liber nihil niſi ius ciuile commune ieiune tradit.

§. CCCXXIII.

Legum adminiſtri domeſtici iuris parum gnari ſaepius legibus adſcitis locum primum aſſignabant, patriosque mores ex peregrinis interpretari annitebantur, inde ius uarium, incertum, plauſtris opinionum refertum deformatumque.

Donec haec rerum Germanicarum facies erit, iura noſtra in ordinem concinnum redigi non poſſe uidentur; tot enim proceres imperii, qui ſibi nomotheſian iure ſuo uindicant, uix in unum legum codicem conſpirabunt, licet iam in comitiis de nouo iuris ſyſtemate adornando conſilia agitata fuerint. STRUV. hiſt. iur. German. §. 43. GRIEBNER de iure incerto ex dubia legum, quibus utimur, auctoritate oriundo.

§. CCCXXIIII.

His incommodis iurisconſulti cordatiores uaria remedia attulerunt. Patria et peregrina, primaria et ſecundaria inter ſe diſcernenda eſſe intelligebant; opes noſtras priusquam alienas ſolicitemus, excuti iubent leges imperii. Quapropter iuris Iuſtinianei libris uel uſum hodiernum adnectebant, uel iuris Romani ac Germanici differentias eruebant, uel Germanica a Romanis rurſus ſeiungebant doctores. Nonnullis ſingularia iuris Germanici capita, aliis Statuta patria explanare placebat. Quo ſi pergant tramite, uris ſcientia tandem aliquando laetiorem formam nanciſcetur.

Abundamus conſiliis optimis, ſed ingens rei difficultas euentum retardat. Conf. EPHR. GERHARD. *unvorgreiffliche Gedancken von den Schwierigkeiten der Teutſchen Rechts-Gelahrheit*; ENGELBRECHT. progr. de utilitate atque neceſſitate ſtudii iuris Germanici; GASSER. progr. de iure Germanico diligentius excolendo; BOEHMER. de praeiudicio iuris Germanici in cauſſis priuatis; BRUNNQUELLI

QUELLI *eröffnete Gedancken von dem teutſchen Stadt- und Land-Recht.* SENCKENBERG. tractatio, qua ſyſtematis iuris uniuerſi et corporis iuris Germanici ſchemata deſignantur. Ius commune Romanum cum iure Germanico contulerunt AND. PERNEDER. SCHILTER. STRYKIUS, HÖPFIUS, THOMASIUS, WENGIUS (auctor Iuſtiniani Germanici), et, qui reliquis omnibus induſtria antecellit HENR. GISEBERTUS. Differentias iuris Romani et Germanici diligentia ſingulari perſecutus eſt LUDEWIGIUS. Mera Germanica propoſuerunt SCHOTTELIUS et GERICKE, GE. BEYER, HEINECCIUS, SENCKENBERGIUS, ENGAVIUS, PÜTTER. Uberius de rebus hiſce diſſeruimus in meditatione de iuris Germanici ſtudio utiliter perſequendo, Exercitationibus praemiſſa.

§. CCCXXV.

Dum iuri Germanico expoliendo operam nauamus, leges etiam politicas intueamur; iura enim prouincialia, *die Land-Rechte,* plerumque diſtinguuntur à legibus politiae, *den Policey-Ordnungen;* hae non ſolum ad ius ſeuerius, ſed et ad uirtutis cultum adigunt. Cauſſae politiae alio, eoque breuiore modo, quam cauſſae iuſtitiae expediuntur, utriusque tamen generis cauſſarum termini nondum ſatis ſunt definiti.

En! politices et iurisprudentiae amica uincula! conf. §. CCLXXX et CCLXXXXVI.

CAPUT XXXXIII.

DE IURE CRIMINALI.

§. CCCXXVI.

Etſi ius criminale interdum opponitur ciuili; illud tamen una cum iure ciuili traditur, cum Inſtitutiones pariter ac Pandectae de criminibus coercendis diſſerendi occaſionem praebeant. Germanis ſunt placita peculiaria.

Iurisprudentiae criminalis hiſtoriam contexuere STRUV. et STOLL. in hiſt. lit. iurisprudent. c. 5; item THOMAS. in diſſ. de occaſione, conceptione ac intentione conſtitutionis Carolinae. HOFFMANN in praenotionibus de orig. progreſſu et natura iurisprud. criminal. German. Vid. EIUSD. diſſ. de inſignioribus defectibus iurispr. criminal. German. eorumque emendandorum ratione ac mediis. ENGAU. in elem. iuris crimin. L. I tit. 1; in diſſ. prooemiali de ſubſidiis huius iurisprudentiae agit.

§. CCCXXVII.

Romani delicta diuidunt in priuata et publica, extraordinaria, popularia, capitalia et non capitalia; Germani non item. Praeterea poenae ac iudicia criminalia a moribus Germanorum multum diſſident.

Vid. SIGON. de iudiciis l. 2. c. 4 ſq. POLLET. hiſt. fori Romani l. 4, c. 7. HEINECC. antiquit. et alii, qui hos locos ſeorſim tractarunt. conf. LIPEN. bibl. iur. uoc. crimina et delicta.

§. CCCXXVIII.

§. CCCXXVIII.

Ius Canonicum delicta partitur in ciuilia, eccleſiaſtica, mixta; iudicia criminalia ponunt accuſationem, denunciationem et inquiſitionem.

HOFFMANN. in praenot. §. 23 ſq. Poenae diſtinguebantur a poenitentia, quamuis iſtae ex hac prouenirent.

§. CCCXXVIIII.

Tota fere ueterum Germanorum iurisprudentia perſequitur crimina, furtum praeſertim, caedem et uulnera, quae uiris bellicoſis familiaria eſſe ſolent; at peruerſo modo cognoſcebant de criminibus, nec condignas ſanciebant poenas.

Veterum Germanorum iurisprudentia habet nonnulla, quae noſtra aetas reuocet, ubi ſcil. uel litium ambages reſecantur, uel humanitatis officia ſeuerius inculcantur; at in eo reprehendendi ſunt omnes ueteres, quod ad iudicia diuina ſiue probationes uulgares prolapſi fuerint; quid enim ſolemnius erat, quam delicta probare uel purgare per duellum, ferrum candens, aquam calidam et frigidam, offam et caſeum, cruentationem, euchariſtiam, crucem &c. potiſſimum uero per iusiurandum, quo etiamnunc noxae amoueri ſolent. Latius haec explicant STRUV. in hiſt. iur. crim. §. 5 ſq. STOLL. c. l. §. 9 ſq. Luebantur crimina talione, mulcta, poena pecuaria, decaluatione, canum portatione, rarius ultimo ſupplicio.

§. CCCXXX.

In criminibus uindicandis uerſabantur iudicia Vehmica ſiue ſecreta, praecipue in Weſtphalia. Initio paganiſmo penitus tollendo proſpexiſſe dicuntur, ſed et alia delicta ſacrilegii ſcil. latrocinii, ſtupri uiolenti poſtea ad ſuam trahebant iurisdictionem. Sedibus liberis, *den Freyſtülen*, praeerant *die Stulherren*, qui conſtituebant iudices, *die Frey-Grafen*, his addebantur *Freyſchoepfen*, *Feimeri*, *Wiſſende*; ſed cum haec iudicia arcana mirum in modum limites transgrederentur, imperatoris auctoritate reformata in deſuetudinem denique abiere.

Hiſtoriam horum iudiciorum enarrant STRUV. c. l. §. 16 ſq. MARQ. FREHER. et CHRIST. THOMAS. add. IO. BURC. MENCKEN. diſſ. de Feimeris, ueteris Weſtphalorum iudicii ſcabinis.

§. CCCXXXI.

Sicut iurisprudentia Germanorum in caeteris rebus: ita maxime in criminalibus fluctuabat, multoque grauius, iure Iuſtinianeo introducto, conturbabatur. Proceres igitur imperii difficultates tollere annitentes nouas conſtitutiones criminales promulgabant. Iam a. 1508 Ordinatio criminalis Bambergenſis in lucem prodiit, quam paullo poſt Brandenburgica ſecuta eſt. In comitiis denique Ratisbonenſibus a. 1532 conſtitutio criminalis, ut lex imperii, ſancita fuit, quae nunc *Kayſer Carls V peinliche Hals-*

Halsgerichts - Ordnung dicitur, hodieque ſeruatur.

Conf. THOMASIUS in diſſ. §. CCCXXVI cit. Nemeſin Carolinam commentariis illuſtrarunt MANZIUS, BLUMLACHER, CLASEN, ZIERIZ., ſed melioris notae ſunt labores LUDOVICI, GE. BEYERI et KRESSII. Apud Catholicos laudatur FROELICHIUS. Syſtematice iurisprudentiam criminalem tradiderunt PET. MÜLLER, PETR. THEODORIC. WERNER, THEOD. MARTINI. Compendia debemus GAERTNERO, KEMMERICH. BOEHMERO et ENGAVIO.

§. CCCXXXII.

Sed ita ſeruetur, ut ſingularibus ſtatuum imperii legibus et moribus nihil detractum putetur.

Itaque mirum non eſt, ſi Ordines imperii pro ea, qua praediti ſunt, legum ferendarum poteſtate, conſtitutiones quoque criminales edant. Exhibentur nonnullae in ABRAH. SAURII faſciculo iudiciarii ordinis. conf. HOFFMANN. praenot. §. 58. Omnibus nota BENED. CARPZOV. practica criminalis, quae ad Saxonicas conſtitutiones potiſſimum ſpectat. In cel. ENGAVII ſyſtemate diuerſae conſtitutiones ſaepius inter ſe conferuntur.

§. CCCXXXIII.

Iurisdictio criminalis dicitur ſuperior, quamuis non ſemper ſuperioritatis territorialis ſit indicium; in patrimonio ea eſſe poteſt haud ſecus ac iurisdictio ciuilis; diſtingui ſaepius neceſſe eſt inter Vogtheiam, centenam & iurisdictionem criminalem.

X 4 Vid.

Vid. KRESS. de uariis iuriſdictionis criminalis in Germania generibus. GOEKEL. de forma iuriſdictionis criminalis apud Germanos. add. LINK. et BOEHMER. de centena.

§. CCCXXXIIII.

Proceſſus criminalis in conſtitutione Carolina declaratus hodie iudiciorum forma aliquantum mutata non examuſſim in uſum transferri ſolet, cum praeſertim iura adminiculantia eidem nonnihil admiſcuerint.

Subſidio ueniunt BRUNNEM. de proceſſu inquiſitorio; LUDOVICI *Einleitung zum peinlichen Proceſs*; KEYSERS praxis criminalis; ESAIAE PUFFEND. introductio in proceſſ. criminal. in terris Brunſuico-Luneburg. IAC. DÖPLER. *Schauplatz der Leibs- und Lebens Straffen*. THOENNIKER. aduocatus prudens in foro criminali. GRANZ. defenſio reorum. TABOR. de indiciis delictorum et tortura. IO. GREVII tribunal reformatum. Ex peregrinis FARINACII opera criminalia non raro conſuluntur. Nec acta uaria criminalia in uſum publicum diuulgata ſunt negligenda, quorum nonnulla Iudaeorum et erronum nequitiam detegunt.

CAPUT XXXXIIII.

DE IVRE CANONICO.

§. CCCXXXV.

Ius Canonicum et eccleſiaſticum modo latius, modo adſtrictius intelligitur. Nos iure eccleſia-

cleſiaſtico legum religionem coetusque ſacri ſalutem externam reſpicientium ſcientiam comprehendi exiſtimamus.

Hiſtoriam iuris eccleſiaſtici ſingulari libello expoſuit GERHARD VON MASTRICHT. In eodem ſtudio uerſabantur DOVIATIUS, CLUTEN. HOFFMANN. STRUV. KOPP. HELLFELD. STOLL., VAN ESPEN. Erudite STRAUCHIUS, ZIEGLER. et FRANCISC. FLORENS de origine et auctoritate iuris canonici diſſeruerunt. WOLDENBERG orationem de origine, progreſſu et uſu iuris canonici habuit. add. AYRER. de collect. iur. canon. tum ueteris tum recentioris. BUDD. iſag. lib. poſter. c. 5. Uſum et methodum huius ſtudii plenius docuit THOMAS. in cautelis ſtud. iuris eccleſiaſt. cap. 18. Add. EIUSD. diſſ. de neglectu ſtudii iur. canon. eiusque uſu frequente et methodo, praemiſſa Maſtrichtii hiſtoriae iuris eccleſiaſtici. BRUNNQUELL. diſſ. de utilitate ex hiſtoria atque antiquitatibus ſacris in iurisprudentiae eccleſiaſticae ſtudio capienda, praemiſſa INNOCENTII CIRONII obſeruationibus iur. can. BERGER. progr. de ſumma circumſpectione cautioneque in legendo iure canonico, eiusque interpretibus doctori proteſtantium adhibenda. FRANC. XAV. FECH praecognita iuris canonici ad Germaniae catholicae principia et uſum accommodata.

§. CCCXXXVI.

Vera religio non ſolum hominis felicitatem internam, ſed et reipublicae felicitatem externam perficit. Religio, quae uel ſanae rationi uel imperio aduerſatur, ſuſpecta; impe-

rium autem religionem non cogit, ſed prouidet, ne religionis ſpecie detrimenti quid capiat respublica; quare de rebus quoque diuinis leges condantur neceſſe eſt, quae, dum uel cauſſas ſingulares, uel uniuerſam rempublicam concernunt, ius eccleſiaſticum, uel priuatum conſtituunt uel publicum. Nos de iure eccleſiaſtico, quo Germania utitur, cogitamus.

In iure publico uniuerſali accuratius de religionis et imperii nexu disquiritur. Conf. PUFFEND. de hoc arg. MOSER de offic. princip. circa religionem et ſalutem aeternam ſubditor. GERH. NOODT de religione ab imperio iure gentium libera. Theocratia Iudaeorum optima ſane forma reipublicae erat; at Moſis poteſtas tam ad res eccleſiaſticas, quam ſaeculares porrigebatur. SPENCER. et WITS. de Theocratia. Et quis neſciat, penes reges Romanos et imperatores cum ethnicos, tum Chriſtianos fuiſſe rerum ſacrarum curam, et pontificatum maximum? GODOFREDI et BOSII diſſ. de pontificatu max.

§. CCCXXXVII.

Si, quam Chriſti doctrina inculcat, ſimplicitatem et concordiam ſancte ſemper cuſtodiuiſſent Chriſtiani: tanta legum mole nunc non laboraret eccleſia. Fidelium ſocietas proſpiciebat ſaluti communi, ſine imperio aſperiori, ſine legibus truculentis: mox ſacerdotes caput extollere coeperunt, ſynodi tamen aut concilii placitis obſequebantur. Saeculis prioribus nulli ca-

li canones, nullus codex legum eccleſiaſticarum. Canones enim apoſtolici, quos circumferunt, dubiae aetatis ſunt ac fidei ſubleſtae.

Conf. BOEHMER, diſſertationes iuris eccleſiaſtici antiqui. PFAFF. de origin. iur. eccleſiaſticiueraque eius indole. BINGHAM, origines eccleſiaſticae. De conciliis et circa ea ſummae poteſtatis auctoritate diſſeruit CONRING. Conciliorum hiſtoriam conſcripſit EDMUND. RICHERIUS. FRANC. SALMON. in traité de l'etude des Conciles et de leurs collections. Concilia collegerunt SURIUS, BINIUS, PHILIPP. LABBE et GABRIEL COSSART; item IO. HARDUINUS et NIC. COLETUS, STEPH. BALUZIUS. Conf. STRUVII bibl. iur. p. 477. De canonum Apoſtolicorum aetate disquirunt FRANC. TURRIANUS, IO. DALLAEUS, GUIL. BEVEREGIUS; commentariis eos locupletarunt IO. BOVIUS, DION. GOTHOFREDUS et IO. BAPTISTA COTTELERIUS. Conſtitutiones apoſtolicae, canonibus additae, commentitiae. Vid. ROBERT. TURNER. de conſtitutionibus apoſtolicis.

§. CCCXXXVIII.

Eccleſiarum numero creſcente, creſcebat antiſtitum et conciliorum auctoritas. Statuta ſynodorum canones dicebant, quibus uel purior doctrina uel diſciplina roborabatur. Ex his collectus fuit codex canonum eccleſiae uniuerſae, itemque eccleſiae orientalis, Africanae, Romanae. Quum itaque canones uim legis conſequerentur, mirum non eſt, ſequentem aetatem in iisdem congerendis multum operae collo-

collocaſſe; collegerunt autem DIONYS. EXIGUUS, FULGENTIUS FERRANDUS, IO. SCHOLASTICUS, MARTIN. BRACARENS. CRESCONIUS, aliique.

Conf. HENR. IUSTELLI et GUIL. VOELLI bibliotheca iur. canon. ueteris. GEBH. THEODOR. MEYER de codice canon. eccleſ. uniuerſ. PETR. DE MARCA diſſ. de ueteribus collection. canon. TH. ITTIG. de ſcriptis canones et concilia ſpectantibus. FABRIC. bibl. graec. Vol. XI. GUIL. BEVEREG. ſynodica ſeu pandectae canonum, conciliorum et apoſtolorum ab eccleſia graeca receptorum.

§. CCCXXXVIIII.

Gratianus, Conrado III Imp. regnante compoſuit concordiam diſcordantium canonum, quae praeter canones conciliorum, dicta patrum et excerpta ex iure ciuili complectitur, primamque corporis iuris canonici partem, decretum dictam, efficit. Opus manifeſtis naeuis ac erroribus ſcatet, nec Pontificis Rom. rationibus ſemper conuenit; quare a Papa publice haud fuit approbatum; nihilo minus tamen auide a doctoribus iſtis, qui, legiſtis contrarii decretiſtae uocabantur, receptum uariis gloſſis onerabatur.

Conf. ANTON. AUGUSTINI dialogi de emendatione Gratiani cum notis BALUZII. Ex gloſſatoribus nominandi ſunt in primis IO. SEMECA dictus Teutonicus, BARTHOLOM. BRIXIENSIS.

§. CCCXXXX.

§. CCCXXXX.

Ex quo epiſcopus Romanus auctoritate caeteris antecelluit, decretales illius epiſtolae ſedulo collectae legis uigorem obtinuere, quamquam canones et decretales non ſatis accurate inter ſe diſcernerentur. Iam ſex exſtabant collectiones, cum RAIMUNDUS DE PENNA FORTI ſeptimam, iubente Gregor. IX Pont. adornauit, qua gloſſatoribus nouum theatrum aperiebatur. Libris his quinque decretalium Bonifacii VIII cura, liber ſextus Decretalium, auctoritate Clementis V Clementinae, item Extrauagantes Iohannis XXII et communes accedebant; priuato auſu ſeptimum Decretalium librum PETR. MATTHAEI, haud ſecus ac IO. PAUL. LANCELLOTUS et MARC. ANTON. CUCCHUS inſtitutiones iuris canonici, publice non approbatas, contexuerunt.

Huius iuris eccleſiaſtici partem ius pontificium dicunt. De ortu papatus diximus §. CLXVIII. Scriptores de poteſtate et iuribus pontificum Roman. exhibentur in bibliotheca maxima pontificia tom. XXI, auctore IOH. THOMA DE ROCABERTI. Decretales epiſtolae ab ISIDORO MERCATORE collectae defenduntur a FRANCISCO TURRIANO; reiiciuntur a DAVID. BLONDELLO. Inter commentatores Decretalium eminent EM. GONZALEZ DE TELLEZ, ERNEST. PIRHING., INNOCENT. CIRONIUS, HENRIC. WAGNERECK., HENR. ZOESIUS. Ad ius pontificium maxime pertinet magnum Bullarium cura CHERUBINORUM editum. Corporis

poris iuris canonici editionem praeſtantiorem adornarunt PITHOEI fratres, item BOEHMERUS. Inter iuris canonici interpretes cumprimis laudantur DESSELIUS, CORVINUS, PAUL. LAYMANN., LUDOV. ENCKEL., FRANCISC. SCHMALZGRUEBER, REIFFENSTUHL., WIESTNER., ZECH. KOENIG.; maxime placent VAN ESPEN ius eccleſiaſticum uniuerſum et CLAUDE FLEURY inſtitutiones iuris canonici.

§. CCCXXXXI.

Ius canonicum latius ſerpſiſſe nouimus; at nouimus etiam diſſidia ſacerdotii et imperii, nouimus, eidem uulnus immedicabile attuliſſe ſacrorum reformationem. Cum principes proteſtantes ipſi leges ferre poſſint eccleſiaſticas; iuri canonico indulgent, quatenus idem uſu receptum fuerit, nec aliis ſcitis abrogatum.

Ius eccleſiaſticum proteſtantium ex iure ſacrorum, literis diuinis, inſtitutisque probis hauritur. uid. BOEHMERI diſſ. de praxi iuris canon. in terris proteſtantium. EYBEN. de orig. et uſu iur. canon. in terris proteſtant. LUDEWIG. *von der Nothwendigkeit und Verbeſſerung des Päbſtl. Kirchen-Rechts bey den Evangeliſchen* in comment. ad A. B. P. II p. 1521. Qua mente A. C. addicti doctores ius canonicum explicent, oſtendunt libri CASP. ZIEGLERI, LINCKII et BOEHMERI. Lancelloti inſtitutionibus notas addiderunt ZIEGLER. et THOMASIUS. Syſtemata concinnarunt SCHILTER. BRUNNEMANN. TITIUS, WERNHER. WOLFF. HOFFMANN. PERTSCH. BOEHMER. FLEISCHER. ENGAU. KAHL. De agendis ſiue ordinationibus eccleſiaſticis diſſeruit

ſeruit IO. ANDR. SCHMID. ERN. SAL. CYPRIAN. dedit *kurzen Bericht von Kirchen-Ordnungen.* MOSER. eas colligere inſtituit in corp. iur. Euangel. eccleſ. PLATHNER. oeconomiam iur. conſiſtor. expoſuit; CARPZOV. iurisprudentiam conſiſtorialem. De praerogatiua iur. canon. prae ciuili diſſ. habuere HILDEBRAND. et FLOERCKE.

§. CCCXXXXII.

Ius eccleſiaſticum publicum in Imperio R. G. ob religionis diuerſitatem diuerſis nititur principiis.

Ius ſacrorum et Imperatori et ordinibus imperii tribuitur. uid. HENNIGES de ſumma Imperatoris Rom. poteſtate circa ſacra et profana. EVERH. OTTON. oratio de iure Imperatoris et ſtatuum imperii circa ſacra. LUDEWIG. de principum S. R. I. poteſtate in ſacris ante paces religioſas. SCHILTER. de libertate eccleſiar. German. GEORGII de grauaminibus nat. German. Unde repetendum ſit ius epiſcopale, docet BOEHMER. in diſſ. de iure epiſcopali principum euangelicor. Diſceptatur de iurisdictione eccleſiaſtica principis catholici in ſubditos proteſtantes. Ad concordatum Henr. V Imp. et Calixti II P. de inueſtituris epiſcoporum diſſert. ſcripſit IO. WILH. HOFFMANN. Ad concordata nationis Germanicae obſeruationes compoſuit CORTREI. add. LUDEWIG. diſſ. de annatis. MASCOV. de primatibus, metropolitanis et reliquis epiſcopis eccleſ. German. In pace Weſtphalica multa quidem iuris eccleſiaſtici argumenta diſcuſſa: uariae tamen ortae ſunt controuerſiae de iure reformandi,

emi-

emigrandi, ſimultaneo &c. Singulari iure publico reguntur eccleſiae quaedam ac coenobia, cuius aliqua ſpecimina exhibuit MOSER. WIESENHAUER. *Grundſätze des allgemeinen und beſondern Kirchen-Staats-Rechts der Proteſtirenden in Teutſchland.* A. 1724 Bruxell. prodiit *hiſtoire eccleſiaſtique d'Allemagne*; ſed titulus libro multo amplior. Incredibilem induſtriam exigit *Germania eccleſiaſtica* ſiue *ſacra*, quam deſideramus.

CAPUT XXXXV.

DE IURE PUBLICO IMPERII R. G.

§. CCCXXXXIII.

Etſi imperium R. G. numquam iure publico deſtitutum fuit; doctrina tamen iuris publici non niſi ſaeculis iunioribus recte coli coepit. Statum reipubl. German. fata mutarunt ſaepiſſime; proinde uarias quoque iuris publici formas deprehendimus; et quas non deprehendent poſteri?

Quos Germanorum res geſtas ſcrutari iuuat, ii operam optime collocabunt, ſi, qua quouis tempore conditione regnum adminiſtratum fuerit, circumſpiciant. Aliam hiſtoriam iuris publici h. e. legum, aliam ſtudii iuris publici eſſe putamus. Illam praecipue expoſuere STRUV. et KOPP. in hiſtor. iur. Haec multorum diligentiam prouocauit. uid. STOLL. hiſtoria literar. iurisprud. c. 3. IAC. GABR. WOLFF. breuis hiſtoriae iur. publ. delineatio.

lineatio. MASCOVII orat. de ortu et progreſſu iuris publ. German. FRANCK. collectio ſcriptorum de fatis, methodo, fine et obiecto iur. publ. KULPIS. diſſ. de ſtudio iur. publ. rite inſtituendo.

§. CCCXXXXIIII.

Tantum abeſt, ut hodie tam illuſtris diſciplina in occulto lateat, ut librorum εισαγωγικων multitudine laboremus, nec usquam grauius eligendi iudicium requiratur.

1) Olim diſputabatur: an ius publicum publice docere liceat? Vid. FELVVINGER. diſquiſ. an de iure publico in academiis diſputare liceat? hodie nemo dubitat. Nec iſta angimur quaeſtione: an iurispublici doctrina ad ICtos magis, quam ad politicos ſpectet? cum nec ludimoderatores haec arcana diuulgare ſibi religioni ducant. 2) Secernendi ſunt auctores antiquiores a recentioribus; dignoſcantur, quos factio quaedam trahit. Alii politicae male ſanae praeceptis inhaerent, alii a iure Romano ſe diuelli haud patiuntur, alii nouae cuidam hypotheſi, uel Caeſari uel ordinibus fauenti, ueritatem immolare non dubitant. Hos propius intuendos exhibet MOSER. in biblioth. iur. publ. it. *in unparthey. Urtheilen* et in praecognitis iur. publ. ac P. I *des Staats-Rechts*. HOFFMANNI bibliotheca iur. publ. omnibus praeferenda eſſet, ſi perfecta fuiſſet. Add. STRUV. biblioth. iuris cap. 16. It. bibliotheca ſcriptorum iur. publ. praemiſſa BILDERBECKII *teutſchen Reichs-Staat*, GE. ANDR. VINHOLD. biblioth. iur publ.

§. CCCXXXXV.

De methodo, quot capita, tot ſenſus; eam optimam cenſemus, quae nec redundat nimis, nec mutila uel hiantia proponit, ſed cum artis ambitu congruit aptiſſime.

Methodus inſtitutionum iuris ciuilis incommoda, nec rem acu tetigerunt, qui iurisdictionis uel regalium finibus totum ius publicum terminarunt. An methodus mathematica locum habeat, diſquiritur in MOSERIANIS P. I p. 54. Tabulis comprehendunt hanc ſcientiam IAC. THOMASIUS, IEREM. EBERH. LINCK. et CHRIST. IUNCKER in lineis primis eruditionis. HOFFMANN. *in der Einleitung in das ius publ.* pag. 81 commendat methodum analyticam, qua ſalutari ſane conſilio leges ipſae inſpici et explicari iubentur; tutius enim ex ipſo fonte bibuntur aquae. Noſtris diebus potiſſimum placent MASCOVII, MOSERI et SCHMAUSII libelli, quibus STRUVII et PFEFFING. ad VITRIAR. uolumina grandiora iungi poſſunt. Nec laude ſua defraudanda eſt opera SCHVVEDERI, RHETII, HORNII, COCCEII, KEMMERICHII, GÜNDERRODII, SPENERI, BILDERBECKII, LIMNAEI, GASTELII, MULZII. Repertorium reale iur. publ. et feud. nuper cum praef. BUDERI prodiit. Inter Catholicos HERMETIS, ANDLERI, HEYNII, BECKERI, POCK. nomina clara. Haud ita pridem Amſtelodami diuulgabatur *le Droit public Germanique*, Tom. II. Multi animum ad MONZAMBANO, hoc eſt, PUFFENDORFFII libellum de ſtatu imperii Germanici aduertebant, atque haud exigua in illo ſibi reperiſſe

riſſe uidebantur arcana, quae hodie patent omnibus. HIPPOLITHUS A LAPIDE de ratione ſtatus in imperio Germanico ita diſſerit, ut nullius honeſti uiri iudicio approbetur. De auctore uero famoſi huius libelli late diſquirit HEUMANN. in conſpectu rei literariae p. 381. IOH. SAM. MÜLLER. *in der Hamburg. vermiſchten Bibliothec* Vol. 3, pag. 784.

§. CCCXXXXVI.

Quum miranda imperii R. G. moles legibus, ceu compagibus, includatur: iis iuris ſtudioſo nihil prius ſit, nihil ſanctius. Ne in explicatione labatur, hiſtoriarum ſubſidia ſemper ſint in promtu; ex his perſpiciet quoque, cur nonnulla imperii ſcita mutata, alia noua ratione expoſita fuerint. Leges uero primariae exiſtimantur aurea Bulla, pax publica profana, pax religioſa, pax Weſtphalica, Capitulationes Imperat., Receſſus Imp.

Ut legum cultor corpore iuris ciuilis carere nequit: ita eidem corpus iuris publici adiungat, quod adornauit SCHMAUSIUS. Huiusmodi collectionem debemus etiam STRUVIO, KAHLIO, ZIEGLER. BURGERMEISTER. GRIETSCH. WAIZENEGGER. Maiora, quibus licet, adeant opera LUNIGII et GOLDASTI, quae in STRUVII bibl. iur. pag. 578 recenſentur. De actorum publ. ſcriptoribus diximus cap. XVII, XXII, XXXIV. Diligentiam noſtram ſat exercere poſſunt uolumina HORTLEDERI, LEHMANNI, LONDORPII, THUCELII, MULLERI, Auctores theatri et diarii Europaei, FABRI *Staats-*

Cantzley, Electa iur. publ. KOENIGII ſelecta iur. publ. nouiſſima, MOSERS *Reichs - Fama* et *Staats-Archiv*; *Kriegs - und Friedens - Archiv*. SCHAUROTH. *Sammlung aller Concluſorum*, *Schreiben und anderer Verhandlungen des Corporis Evangelici*. 2) Conquiramus legum ſingularium editiones emendatiores, earumque commentarios utiliores. Ad auream Bullam pertinet DE HOLZSCHUER oratio de Comitiis a. 1356 Noribergae celebratis, in quibus aurea Bulla fuit ſancita. Accedit SCHWARZII epiſtola de uariis A. B. editionibus. Obſeruationes plurimas A. B. adiecerunt LIMNAEUS, RUMELINUS, LUDEVVIG. Pacem publicam profanam dilucidarunt DATT, CORTREIUS; pacem religioſam LEHMANNUS, eiusque continuator; pacem Weſtphalicam de MEIERN in actis pac. Weſtphal. GAERTNER. *in der Weſtphäl. Friedens- Cantzley*. VOLMAR. in diario, HENNIGES in meditat. Capitulationem imperatoris CARPZ. LIMNAEUS, MULDENER, ZECH et inprimis MOSER. Capitulationem perpetuam de MUNCHHAUSEN. Pacem Noviomagenſem et Ryſvvicenſem CORTREIUS. MOSER *im Bericht von der fatalen Clauſul* art. 4 pac. Ryswicenſ. Pacem Raſtadtienſem STRUV. *in der Hiſtorie der Raſtättiſchen Friedens-Handlung*. De Receſſibus imp. diſſeruit ERICUS MAURITIUS. Optimam pleniſſimamque editionem in lucem emiſerunt SCHMAUSIUS et SENCKENBERG. Copioſius de his omnibus exponit MOSER. Part. I *des Staats-Rechts*.

§. CCCXXXXVII.

Poſt diuiſionem filiorum Ludouici P. regnum Germaniae ſeparatas rationes habere coepit,

pit, cui poſtea acceſſere imperium Romanum et regnum Italiae, itemque Burgundicum ſiue Arelatenſe. Sed tam tremendi imperii fines fatis aduerſis ualde imminuebantur; regno tamen Germaniae adhuc ſuus conſtat ſplendor, cuius radiis uel ipſum Imperium Romanum illuminatur. Imperator eligitur ſummaque poteſtate moderatur habenas, niſi ſingulari pactione quidquam remiſerit. Nonnulla, ordinibus imperii ſuffragantibus, geruntur, qui domi maieſtatis quaſi ſimulacrum prae ſe ferunt; hinc mira formae iuriſque diuerſitas.

Triſte caput de finibus imperii, quod latius explanauit MASCOV. in principiis iur. publ. at fuimus Troes. add. MASCOV. de dubiis Germaniae finibus. conf. quae ſupra §. CXX, CLIII et CLX diximus. Media aetate Germania in pagos, hodie in circulos diuidi ſolet, de quibus uid. TREUER, KOPP. GUNDERRODE. De redintegratione circulorum diſſ. LYNCKER; de conuentibus circularibus ENGELBRECHT, GÖBEL, PETR. MULLER; de officio directorum et ducum circularium in executione ſententiarum THOMASIUS. Nunc feruet controuerſia de iure directorum in circulo Franconico. ERH. REUSCH. de Imperatoris titulo diſſ. III. WAGENSEIL. de titulis Imperatoris eiusque inſignibus. De imperatoris electione et coronatione definit A. B. quae quatenus hodie reſpiciatur, docent ſplendida iſta diaria elect. et coronat. Caroli VII et Franciſci Imp. Aug. SIM. SCHARD. ſyntagma tractat. de imperiali

riali iurisdictione &c. GOLDAST. monarchia S. R. I. De reſeruatis Imp. STAMMLER, SCHVVEDER, KEYSER. Ornamenta et honores Auguſtarum expoſuit RUDOLPH. a BUNAU. adde commentarios noſtros de re diplomat. Imperatricum. Vicariorum imperii auctoritas hodie multa cepit incrementa. IO. BALTH. WERNHER. diſſ. de iuribus Vicariorum imp. in A. B. expreſſis et non expresſis. GRIEBNER. de iuribus Vicariorum imp. I. C. KOENIGS *Abhandlung von den hohen Reichs- Vicariats-Gerechtſamen.* Procerum claſſibus ſuis diſtinctorum iurium uarietas uel lege uel religionis formula uel potentia nititur. Notitiam ſcriptorum de S. R. I. territoriis GRIEBNERI et STRUVII diſſert. de dominio directo in alieno territorio praemiſit HENR. GOTTL. FRANCKE. STEIN. de matricula Imp. nouiſſ.

§. CCCXXXXVIII.

Legum decus cuſtodiunt iudicia imperii, camerale ſcil. et aulicum, ſuis inſtitutis ſapienter ordinata. Comitiis imperii perpetuis nihil libertate Germanorum dignius, nihil celſius. Naeui inueterati ex nimio libertatis ſtudio, quod ſi fata ſinerent temperare, omnes nationes Germano nomini aſſurgerent.

De Auſtregis, quae Ordinum imperii ſunt inſtantia prima, commentati ſunt SCHUBART, STRAUCH, STRYK, COCCEII, aliique de ſingularium procerum auſtregis. Ordo Iudicii Cameralis legibus imperii annumeratur; conſilii imperii aulici modus cognoſcendi diuturno uſu approba-

probatus fuit, huiusque iudicii auctoritas latius quam cameralis excurrit. Breuem bibliothecam iuris cameralis exhibuit IO. DECKHER. in introduct. in notit. rei cameralis. Rem iudiciariam Camerae docent RODING. BLUM. LUDOLPH. PÜTTER. WÜRFFEL, aliique plures, qui cauſſas deciſas prolixe enarrarunt, ueluti MEICHSNER, GYLMANNUS, LUDOLPH., corporis iuris cameralis et hiſtoriae ſuſtentationis iudicii ſupremi camerae imperialis concinnator. Add. SENCKENBERG. de hiſtoria et iurisdictione iudicii cameralis. Iudicii imper. aulici formam ac conſtitutionem diſcimus ex UFFENBACHII, CRAMERI, MOSERI, PÜTTERI libris. FRID. CARL MOSER nuper exhibuit *pragmatiſche Geſchichte und Erläuterungen der Kayſerl. Reichs-Hof-Raths-Ordnung*. Rem comitiorum docet SORBER. KÖNIG. et KUCHELBECKER, item EITEL FRIDERICH VON HERDEN *in der Grundfeſte*, imo optima magiſtra eſt experientia. De recurſu ad Comitia uid. MOSER et ESTOR.

§. CCCXXXXVIIII.

Etſi ius publicum imperii Romano - Germanici ab uniuerſali diuerſum ſit; illi tamen iterum uaria iuris publ. particularis genera ſubiici poſſunt, ſi nimirum ius publicum uel periodi alicuius definitae uel prouinciae cuiusdam aut ciuitatis eruatur.

Sic regnum Burgundicum peculiari praeditum erat iure publico. Sic et regno Italiae leges publicae ſingulares praeſcriptae ſunt. Lineas primas iuris publici Italici adumbrauit MOSER.

in compendio iuris publici, et SCHMAUS. *in der ſummariſchen Vorſtellung des gegenwärtigen Zuſtands von Italien.* it. MASCOV. in principiis iuris publici lib. II cap. 5. Nonnihil lucis etiam afferunt libelli de iuribus imperii in urbem Romae et ſtatum eccleſiaſticum, item in Hetruriam, Parmam et Placentiam, quos in lucem ediderunt MURATORIUS, MASCOV., HAHN, BERGER, GUNDLING, BOEHMER. Imperii Germanici ius ac poſſeſſio in Genua Liguſtica eiusque ditionibus a primis originibus usque huc repetita ac uindicata. Hanouer. 1751. Ius publicum particulare optimatium imperii nondum ex uoto elaboratum eſt. Egregia ſpecimina dedit MOSER. item ESTOR. in iure publico Haſſiaco. CHR. AUG. BECK. ius publ. Auſtriac. Sed labor hic impedimentis inexpugnabilibus fere retardatur. De iure publico ſingularium periodorum uel Caeſarum ſoliciti ſunt HAHN. et KOELER. in hiſtor. Imp. LANG. in iur. publ. HOFFMANN. de iure publ. quod in S. R. I. interregni magni temporibus obtinuit, diſſ. conſcripſit.

§. CCCL.

Quisquis iuris publ. pelago ſe committit, is moleſtum iter uariisque ſyrtibus ac ſcopulis infeſtum ſubeundum eſſe ſciat.

1) Rem non ante aggrediatur, quam animum hiſtoriarum, politices, iuris Germanici aliisque ſubſidiariis ſtudiis bene muniuerit.

2) Adeantur fontes puri, nec aliena labe contaminentur. C. A. BECK. de origine et natura errorum in iure publ. Imp. Rom. Germ.

3) Procul

3) Procul hinc ito ſtudium partium, quod et leges et annales ſaepius deprauat. TREUER de ſtudiis imperii Roman. Germanici ruinam procurantibus.

4) Noli temere definire, quae lex non definit. HOFFMANN de ratione interpretandi leges imperii. WERLHOF. de genuinis fontibus recte decidendi controuerſias publicas illuſtres. GRIEBNER de praeiudiciis principum imperii ex abuſu iuris Iuſtinianei. LAUTENSACK. de inepta ratione decidendi controuerſias iuris publici ex legibus Romanis et iure Canonico.

5) Cohibe inextricabilem de forma imperii diſceptationem.

6) De reſeruatis imperatoris ac procerum poteſtate ſobrie ſtatues et caute.

7) Nouis quotidie prorumpentibus controuerſiis ſemper aliquid noui diſcendum putes. TREUER de cautione in tractando iure publ. Rom. Germ.

§. CCCLI.

Iurisprudentia priuata illuſtrium a iure priuato antehac non ſeiungebatur, ſed nunc ab hoc quaſi emancipata propriam oeconomiam inſtituere laborat.

Naturam et conſtitutionem huius iurisprudentiae cognoſces ex GRIEBNERI principiis iurisprudentiae priuatae illuſtrium; plenius eadem euoluitur in STRUVII iurisprudentia heroica, cura HELLFELDII edita. Add. HELFERICH. de iurisprudentia principum ordinumque S. R. I. priuata; DE POENICKAU diſſ. de conditione priuata ſtatuum imperii. ANONYMI inſtitutiones iuris principum

priuati breuiter ſtrictimque concinnatae atque Germaniae potiſſimum applicatae. Francof. 1747. IO. FRID. WILHELM de NEUMANN meditationes iuris principum priuati de iure perſonarum illuſtrium earumque miniſtris. 1751.

CAPUT XXXXVI.

DE IURE FEUDALI.

§. CCCLII.

Totum ius feudale pactione nititur, qua domino fidem ſpondet uaſallus, in dominii ſocietatem receptus; quamobrem non falluntur, qui iuris feudalis uniuerſalis ſiue naturalis ideam expoſuerunt.

Conf. ENGELHARDI iuris feudalis naturalis ſpecimen. In feudo definiendo nondum inter ſe conſentiunt doctores, nec eſſentialia et naturalia feudi rite diſcernunt, recte tamen ius feudale tradere ſe putant.

§. CCCLIII.

De origine feudi uariae circumferuntur ſententiae. A uero propius abeſſe uidentur, qui feudorum initia apud Francos quaerunt. Beneficia iam nota erant, antequam feudorum nomen aſſumſerunt.

In originem feudorum ſtudioſe inquirit LUDEWIG. de iur. feudor. item de iure clientelari. GEBAUER, in diſſ. origines feudi qua uocem qua rem non

non extern. ſed German. STRUV. in iurisprud. feudal. c. I. CHANTEREAU le FEBURE in traité des fiefs et de leur origine.

§. CCCLIIII.

Germanis feudis ſiue clientelis nihil familiarius, nihil carius, nihil ſolemnius. Quis igitur dubitauerit, iam antiquiſſimis temporibus Germanos mores ſuos feudales tenuiſſe? Paullatim iura ſcripta prodibant.

Hiſtoriam iuris feudalis memorant STRUV. in hiſtoria iuris cap. 8. KOPP. in hiſt. iur. P. III et IV. THOMASIUS in ſelectis feudal. WESTPHAL. in meditat. pragmat. de fatis atque uſu ſtudii iuris feud. in Germania. Literaria tradit STOLL. in hiſtor. litt. iurisprudentiae cap. 4. ERIC. MAURITIUS compoſuit nomenclatorem ſcriptorum iur. feudal. IO. SAM. STRYK. notitiam auctorum feudal. GOTHOFR. ANTONII iuri feudali praemiſſam. SENCKENBERG. prodromum iuris feud.

§. CCCLV.

Cauſſae feudorum hodie primum diiudicantur ex tabulis beneficiariis, deinde ex ſingularum curiarum feudalium aut prouinciarum inſtitutis; tum opem ferant mores uniuerſales, ac denique leges ſcriptae auxiliares, ueluti liber uetus de beneficiis, ius feudale Saxonicum et Alamannicum ac conſuetudines Langobardicae.

In unum corpus leges feudorum primarias coegit illuſtr. SENCKENBERG. LUNIGII corpus iur. feud. III uoluminibus comprehenſum prae ſe fert bibliothe-

liothecam iur. feudalis. LUDEWIG. commentatur *von den Mängeln und Verbeſſerung der Teutſchen Leben Rechte* ad A. B. P. II p. 1493 ſq. IENICHEN. colligit theſaurum iuris feudalis.

§. CCCLVI

Ut iurisprudentiae ciuilis primordia a iure quodam adſcito capimus: ita etiam iuris feudalis tironibus primum exhibemus conſuetudines feudorum Langobardicas a GERHARDO NIGRO et OBERTO AB ORTO, conſulibus Mediolanenſibus, collectas, quas deinde HUGOLINUS ad ſaeculi ſui mores accommodatas auctasque decimae collationis titulo Nouellis adiecit.

Mox conſuetudines iſtae gloſſis illuſtrari coeptae, quarum primaria dicitur gloſſa IAC. COLUMBINI. Poſtea leges feudales nonnihil emendare, easque in meliorem ordinem redigere tentarunt ANT. MINCUCCIUS DE PRATO VETERI et BARTHOL. BARATERIUS, ſed ſine publico ſuffragio. Uſum iuris feudalis Langobardici ſubſidiarium hodie exiſtimant quidem omnes: at quantum ſubſidii ab eo expectari poſſit, non conſentiunt. BASTINELLER. de praeiudicio principum ex abuſu iuris feudalis Langobardici. WILLERDING. de incongrua applicatione iuris Langobard. ad Germaniae feuda. KOPP. in praefat. *der auserleſenen Proben des teutſchen Lehn-Rechts* differit *von dem wahren Gebrauch des Römiſchen und Langobardiſchen Lehen-Rechts in Teutſchland.* RICCIARDI DE ANTIQUIS (SENCKENBERG.) de uſu iuris feudalis Langobard.

gobard. in Germanorum terris. Inter commentatores legum feudorum fama maxime celebrantur ANDREAS DE RAMPINIS dictus de Iſernia. MATTHAEUS DE AFFLICTIS, ALVAROTTUS, DUAREN. BITSCH.

§. CCCLVII.

Ius feudale Germanicum literis mandauit auctor uetus libri de beneficiis, ex quo multa ius feudale cum Saxonicum, tum Alamannicum repetiit; ſed omnis iſte labor eſt dubiae auctoritatis. Hinc leges ac mores Germaniae ſingulares hic iterum primas tenent.

Conf. SCHAUMBURG. de auctoris de beneficiis uetuſtate. Ius feudale Alamannicum egregio commentario ornauit SCHILTER. HARPPRECHT. Speculi Sueuici et praeſertim iuris feudalis Alamannici in foris uicariatus Sueuico-Franconico-Palatini non uſum modernum monſtrare conatus eſt. Haud ita pridem LINDHEIMER. edidit: *Verſuch eines allgemeinen teutſchen Lehen-Rechts.* De peculiaribus ſcitis feudalibus Germaniae uid. STOLL. in hiſtor. literaria iurisprudentiae cap. 4 §. 18. Ad feuda praeſertim Colonienſia ſpectat THUMMERMUTHI tract. *Krumbſtab ſchleuſst niemand aus.* De feudis Franconicis inprimis Herbipolenſibus uid. SCHOEPF. et L. B. de STEIN. Fuldenſia enuclearunt SCHANNAT., ESTOR., COCCEII, KAYSER.; Mecklenburgica TORNOV., ENGELBRECHT, MANZEL.; Pomeranica SCHWARZ, STRYK, HERING, NETTELBLADT; Brunſuicenſia REISKIUS, AUGUSTIN. LEYSER. SENCKENBERG; Sileſiaca SCHICKFUS, STRYK; Luſatica LUDEWIG.

§. CCCLVIII.

§. CCCLVIII.

Inſtituta uero beneficiaria non Germaniae tantum, ſed etiam aliorum regnorum u. c. Galliae, Angliae &c. propria reperiuntur, eorumque uſus diuerſus cenſetur in feudis priuatis, eccleſiaſticis,imperii.

De origine feudorum Gallicorum uid. ALTESERRA. BRUSSEL nouvel examen de l'uſage general des fiefs en France pendant l' XI, le XII, le XIII et le XIV Siecle. Angliam reſpicit THOM. CRAGII ius feud. BUDERI exſtat diſſ. de notitia iuris feudalis Dano-Norvegici. FRIDER. SANDE commentar. in Gelriae et Zutphaniae conſuetudines feudales. LUDEWIG. diſſ. de different. iur. feudalis communis ac Boruſſici. Feudorum imperii noſtri naturam expoſuit ITTER. Allodia STRUV. BOEHMER feuda eccleſiaſtica.

§. CCCLVIIII.

Quum conſuetudines feudorum inter ſe ualde differant: uix ac ne uix quidem in iuſtum poſſunt uocari ſyſtema. Non nobis deeſt praeceptorum copia, ſed utamur iis, quantum licet.

Qui genuinos iuris Germanici fontes adierunt, ii interpretibus Langobardicis, ſine dubio, praeſtant, neque id obſcurum, iuniorem aetatem in ſolida iuris feudorum doctrina maiorem curam defixiſſe. Maxime placet GE. ADAM. STRUVII ſyntagma iuris feudalis, quod filius eius in epitomen coegit, nunc ab HELLFELDIO reformatum. SCHILTERI inſtitutiones iuris feudalis uariorum notis et eximio BURI commentario dilucidatae fue-

fuerunt. Nec laus detrahenda ſtudio ZASII, RITTERSHUSII, LUDWELLI, VULTEII, STRYKII, HORNII, FLEISCHERI, MAIERI, SENCKENBERGII, WOLFFII, BROCKES. Maioris operis initia reliquit LUDEWIG. Grandiora uolumina exhibuere ROSENTHAL, SCHRADER, pariter ac THOMASIUS ſelecta feudalia, BUDER. amoenitates iuris feudalis, KOPP. *auserleſene Proben des teutſchen Lehen-Rechts*, LUDOVICI *Einleitung zum Lehen-Proceſs*, opus utiliſſimum.

CAPUT XXXXVII.

DE IURISPRUDENTIA PRACTICA.

§. CCCLX.

Si qua in arte, certe in iurisprudentia practica eſt multiplex. Uſu quidem forenſi praxin uulgo contineri putant omnem, ſed alia agit legislator, alia legum interpres, alia iudex, alia cauſſidicus. ICtum ad omnia paratum fingimus.

Partes legislatoris rite declarat politica, de qua uid. cap. XXXVI. Vix dici poteſt, quanta prudentia in principe legislatore requiratur. Ordines imperii Romano-Germanici legum ferendarum poteſtate libere utuntur, niſi iam lege publica quid definitum et approbatum fuerit. conf. THOMASII lectiones de prudentia legislatoria, EIUSD. diſſ. de ſtatuum imperii poteſtate legislatoria contra ius commune. KESTNERI conſpectus iurisprudentiae legislatoriae. PLACC. de

ICto

ICto perfecto. ANT. FABER de erroribus pragmaticorum et interpretum iuris. AUG. LEYSER. de uariationibus, retractationibus et aſſentationibus ICtorum.

§. CCCLXI.

Quid in legibus interpretandis obſeruandum ſit, docuimus cap. XXVII, nec illuſtrium iurisconſultorum nomina tacuimus. Incredibilis opera iuri cum Romano, tum Germanico iam impenſa fuit, dum alii, quos iam paſſim laudauimus, legibus commentationes ſuas adnectebant, alii nouam methodum meditabantur, alii in diſputationibus difficiles cauſſarum figuras enodabant, alii conſiliis ſuis lites uel opprimebant, uel reſecabant, nec maiorem iuris antecesſorum et Scabinorum collegia laudem, quam iurgia tollendo conſequi poſſunt. Turpe doctorum facinus, cum rixas ſerunt aluntque.

Noua iuris ſyſtemata moliti ſunt RENNEMANNUS, VIGELIUS, TITIUS, NETTELBLADT. Maximo plauſu hucusque digna habita fuit STRUVII iurisprudentia forenſis. Ecquis omnium operum, opuſculorum, commentariorum, quaeſtionum, repetitionum, reſolutionum, obſeruationum, cautelarum, clauſularum, opinionum &c. titulos enarret? uid. STRUV. bibl. iur. p. 321 ſq. In quorumdam diſſertationibus et commentatiunculis plus latet ſapientiae, quam in aliorum denſis uoluminibus; quare hodie multorum iurisconſultorum diſſertationes et opuſcula colligi ſueue-

ſueuerunt. Conquaſſamur propemodum conſiliorum, concluſionum, reſponſorum, deciſionum &c. mole, neque omnia opera paris ponderis eſſe facile intelligimus. Illa potiſſimum euoluenda uidentur, quae uel integra iuriſconſultorum collegia, uel prudentes longo rerum uſu exercitati prodire iuſſerunt, quos inter Germani peregrinis, recentiores antiquis praeferantur. Nota ſunt induſtriae ac prudentiae documenta COLLEGII ARGENTORAT. TUBINGENSIS, MARPURGENSIS, HALLENSIS, GRYPHISWALDENSIS, ALTDORFFINI, item WESENBECII utriusque, COTHMANNI, KLOCKII, RICHTERI, BESOLDI, BRUNNEMANNI, BERGERI, HORNII, LYNCKERI, CARPZOVII, BERLICHII, MEVII, COCCEII, HERTII, WERNHERI, BÖHMERI, HEINECCII. Notum quoque eſt *Oraculum iuridicum*, quod nondum reſpondere deſiit. Accedit HEMPELII lexicon conſultatorium.

§. CCCLXII.

Praxis extra fori cancellos late diſſeminatur. Quot, quaeſo, conſiliariorum, praefectorum, ſecretariorum, notariorum, grammat*eorum* genera noſtra fert aetas, quibus non ſubtilis legum notitia, ſed res formularia et oeconomica ſtudia proſunt; haec ipſa negotia regulis ſuis conſtant, omnibusque practicis cauendum eſt, ne errore, ut ſaepius contingit, circumducantur.

Conf. BOENIGKENS practica practicata cum NETTELBLADTII diſſ. praeliminari de optima iurisprud. practicam docendi methodo. AD. VOLCKMANNI

 Nota-

Notariat-Kunſt, emendata per GE. BEIERUM, NEHRINGII manuale notariorum, MEISTERI ſpeculum notariorum. SPATENS Secretarius. KEMMERICH. de ſecretariis, protonotariis et actuariis iudicialibus. De actuario LEYSER, MYLIUS, WILDVOGEL, BOLTZII *wolinſtruirter Amts- und Gerichts-Actuarius*; SCHLEGEL cautelae actuariorum, BECKII Formulare, DÖPLERS *getreuer und ungetreuer Rechnungs-Beamte*, NAURATH. de rationariis, PHILOPARCHI *kluger Beamter* (§. LXXXIII).

§. CCCLXIII.

Praxeos uis praecipue in dicaſtica conſpicitur. Iuris titulos imperfecte tractaſſe nobis uideremur, niſi quos pariant actiones, intelligeremus. Modum controuerſias cognoſcendi docet quidem ius Romanum; at praecepta illius cum moribus noſtris non ubique conſentiunt; nonnihil auxilii praeſtat etiam ius canonicum.

Fori Romani conſtitutionem explicuit CAROL. SIGONIUS, CAROL. BRETUS, ac praeſertim FRANCISC. POLLET. STRYK. de proceſſu iuris Romani antiquo. Quae nobis ſcitu neceſſaria ſunt, ea in Digeſtis eorumque commentariis traduntur.

§. CCCLXIIII.

Veterum Germanorum ordo lites dirimendi multis laborabat uitiis. Quum deinceps ſumma imperii tribunalia turbis uariis modum ponerent, nec proceres Germaniae iuri in terris ſuis, ut par erat, dicundo deeſſent: ingens

gens ordinum iudiciorum, *der Gerichts- und Proceſs-Ordnungen*, multitudo prodiit. Patria ſua quisque ſcita inſpiciat.

De iudiciis ueterum Germanorum conf. §. CCCXVIII. add. HAUSCHILDS *Gerichts-Verfaſſung der Deutſchen, wie ſolche von achten bis zum 14 ſaec. üblich gewesen.* Rem formularium diſces ex libro: *Rich ſtich.* TENGLERS *Layen-Spiegel.* BRANDTS *Klag-Spiegel* (§. LXXXIII ſq.). Ordines iudiciorum ſingulares memorat STOLL. in hiſtoria literaria iurisprudentiae cap. 7.

§. CCCLXV.

Ex iis, qui uiam ad ordinem iudiciorum ſiue proceſſum monſtrarunt, alii iuris communis, quidam ſtatutorum prouinciae uel iudicii alicuius, nonnulli certi cauſſarum generis normam expoſuerunt.

Ad primam claſſem pertinent BRUNNEMANN, STRYK, BARTH, LUDOVICI, KNORR, ESTOR, GRIBNER. Conf. STRYKII notitia ſcriptorum de proceſſu in cap. I collegii practici exhibita; in altera claſſe occurrunt potiſſimum practici Saxonici, CARPZOV, MENKE, BERGER, HAYM. Proceſſum ciuilem electoratus Brunſuico-Luneburgici docuit ESAIAS PUFFENDORFF; Iudicii prouincialis in Sueuia BÜRCKLE; in iurisprudentia particulari exſtat LUDOVICI proceſſus cambialis, conſiſtorialis, criminalis, militaris, feudalis; alii uerſantur in declarando proceſſu executiuo, arreſti, appellationis, leuterationis, reuiſionis, reſtitutionis in integrum. PÜTTER dedit *Vorbereitung zu einem*

nem collegio practico iur. publ. it. diſſ. de neceſſaria in academiis tractanda rei iudiciariae ſcientia.

§. CCCLXVI.

Iudicis et aſſeſſorum auctoritate et fide iudiciorum honos conſtat potiſſimum. Itaque ut unusquisque officii ſui partes bene intelligat ac prompte expleat, optandum eſt.

Officium iudicis uberius declarauit CASP. ZIEGLER. in dicaſtice. add. DOEHLERS *proceſſualiſche Mauſe-Falle*; item *Seyn und Schein des richterlichen Amts*, BOURICIUS de officio iudicis. Iurisdictio, quae in iudice requiritur, hodie perquam uaria eſt. HILDEBRAND de iurisdict. uniuerſa ſecundum mores hodiernos. THOMAS. de iurisdictionis et magiſtratuum differentia ſecundum mores Germanorum, FR. ESAI. PUFFENDORFF de iurisdict. Germanica, LEUCHTII ſelecti tractatus academici de iurisdict. HEINECCIUS de origine atque indole iurisdict. patrimonialis. CHLINGENSPERG. de iure Hofmarchiali. KRESS. de uariis iurisdict. criminalis in Germania generibus. De ſcabinis non nihil memoriae prodiderunt BRUMMER, BECHMANN, LEYSER. in ſpecim. 70 meditat. De ſcultetis et ſcabinis SPECHT.

§. CCCLXVII.

De aduocatis anceps diſputatio. Beati, quibus nil conſcire ſibi, nulla palleſcere culpa, murus eſt aheneus.

Aduocatum prudentem deſcripſit IO. DAV. THOENNICKER; aduocatum peccantem AHASV. FRITSCH.; quam uariis modis peccare poſſit aduocatus, latius

latius docet ZIEGLER in Rabuliſtica, ut reliquos tranſeam, qui ſtratagemata, artificia, nequitiam aduocatorum perſecuti ſunt; nec tacenda tamen eſt STRYCKII diſſ. de priuilegiis aduocatorum, item de conſcientia aduocati. Ad uſus cauſſidicorum pertinet SPATENS *teutſcher Advocat*, ESTORS *Anleitung für die Advocaten und Anwäldte* 1751. *Der geſchickte Advocat, d. i. kurtze Anleitung, was ein iunger Menſch, der einmahl gedenckt ein geſchickter Advocat zu werden, ſo wohl auf Schulen als auf Univerſitäten, ehe er zur praxin ſelbſt ſchreitet, zu erlernen hat.* Jena 1751. (§. LXXXVI, LXXXVII). Libelli, quos cauſarum illuſtrium patroni conſcribere ſolent, hodie Deductiones uocantur, de quibus eadem, quae de aliis ſcriptis ſtudio partium compoſitis monenda ſunt. LUNIGII bibliotheca deductionum cum acceſſionibus IENICHII prodiit. uide etiam STRUV. bibl. iur. p. 319. SCHWEDER. theatrum praetenſionum.

§. CCCLXVIII.

Qui iuris praecepta penitus perſpexit didicitque, is in actis forenſibus legendis referendisque non ualde haerebit, quamquam ne hoc quidem exercitationum genus magiſtris deſtituitur.

Laudantur in primis BOEHMERI et HOMMELII inſtitutiones; BERGER. electis diſceptat. forenſ. p. 817 inſeruit *kurtze Anleitung wie Acta zu referiren*. add. LAURENBERG. de actorum lectione et relatione. *Der expedite Referendarius*, Franckf. und Leipz. 1725. ROTHERS *rechtsgelehrter Referent*.

§. CCCLXVIIII.

Etſi actionum laqueis Romano more nos hodie non irretiri patiamur; uaria tamen actionum genera ſine dedecore ignorare non poſſunt, quorum eſt docte cum doctis loqui.

De actionibus forenſibus conf. STRYK. SCHWENDENDÖRFER, OLDENDORP., BÖHMER.; GUNDLING de uſu pract. actionum bon. fid. et ſtricti iuris, THOMAS. de uſu action. poenal. ECKARD. de interrogat. in iure apud Germanos. De exceptionibus exſtat tract. ZANGERI, cui SENCKENBERG. nouum uolumen ſelectorum opuſculorum de exceptionibus adiecit. De probationibus uid. §. CCXIII.

CAPUT XXXXVIII.

DE IURISPRUDENTIA PARTICULARI.

§. CCCLXX.

Iurisprudentia Romana et Germanica recte particularis dicitur: at nobis nemo uitio uertet, ſi eam quoque iurisprudentiam particularem exiſtimemus, quae certa iuris materia circumſcribitur.

Ius feudale hodie ſingularis artis finibus deſcribitur; ſed ex pacto unico (§. CCCLII) nata eſt. Quidni et alia negotia usque eo dilatari poſſint, ut in nouae iurisprudentiae regionibus includantur? Dabimus quaedam ſpecimina.

§. CCCLXXI.

§. CCCLXXI.

De iure ACADEMICO iam §. VIII ſq. multi allati fuerunt ſcriptores, ſed multo plures colligi ac forſan corpus, ſyſtema, compendium iuris academici concinnari poſſet.

Res AGRARIA.

IO. DENECKENS *neuvermehrten Dorff-und Land-Recht* praemittitur notitia auctorum iur. georgici. KLINGNERS *Sammlungen zum Dorff-und Bauern-Recht.* KRESS, de priuilegiis agriculturae. GOTTFR. CHRIST. LEYSER. ius georgicum (§. CCLXXXVII ſq.). ESTOR. et REINECC. de ruſtico quondam ſeruo. BOEHMER. de libertate imperfecta ruſticorum in Germania. POTGIESER. de conditione et ſtatu ſeruorum apud Germanos. IO. GUIL. de GOEBEL. de iure et iudicio ruſticorum fori German. De horti cultura uid. ZINCK. *Cameraliſten-Biblioth.* p. 248.

§. CCCLXXII.

APANAGIUM.

IOACH. MEIERI corpus iuris apanagii et paragii, continens ſcriptores, quotquot inueniri potuerunt, qui de apanagio et paragio ex inſtituto egerunt. Lemgou. 1727. f. Huic addi poſſunt PÜTTER. de augendo apanagio auctis reditibus. FR. AD. BLESEN. de iurisdictione principis regentis in fratres apanagiatos. Gieſſ. 1746. LUDEWIG. de eod. arg. P. III *der gel. Anzeigen* p. 695.

§. CCCLXXIII.

CAMBIUM.

IO. GOTTL. SIEGEL corpus iur. cambialis d. i. *voll-ſtändige Sammlung der auf den vornehmſten Handels-*

Plätzen, auch andern Orten in Europa üblichen allerneueſten Wechſel-Ordnungen. Methodice ius cambiale expoſuerunt ZIPFEL. IO. CHRIST. FRANCK. HEINECC. SIEGEL. Proceſſum cambialem docet LUDOVICI.

§. CCCLXXIIII. COMITES IMPERII.

PISTORII *hiſtor. und juriſt. Anmerckungen über allerhand, den Urſprung, Hiſtorie, Vorrechte der des H. R. R. Graven betreffende Materien.* KOPPII tr. de inſigni differentia inter S. R. I. comites et nobiles immediatos. FRID. LUCAE *Grafen-Saal.* BURGERMEISTER. *Graven und Ritter-Saal.* Alios permultos libellos iura comitum declarantes offendes in LUNIGII theſauro iuris *der Grafen und Herren des H. R. R.* De ducibus et comitibus Galliae commentatus eſt ALTESERRA. SPENER. in progr. de uera origine comitum Palat. Caeſ. Lateran. GEMUND. de comit. Palat. Caeſar. STRYK. de iure Baronum.

§. CCCLXXV. CURSUS PUBLICUS.

CHRISTIAN. LEONARDI ſcriptores et excerpta iuris poſtarum ſiue miſcellanea et collectanea iur. publ. curioſa de regali poſtarum iure, adiecta t. IV CORTREII corp. iur. publ. IOACH. ERNST a BEUST *Verſuch einer ausführlichen Erklärung des Poſt-Regals.* BOCRIS. de reſeruato poſtarum Caeſaris proprio.

§. CCCLXXVI. DECIMAE.

IO. SELDENI hiſtoria decimar. G. L. BOEHMER. de orig. et ratione decimarum in Germania. Tractatus

ſtatus uarii de decimis iunctim prodiere Colon. 1590. 8. Syſtematice hunc locum tractarunt MONETA, BLUM. WERNDLE, SYRING.

§. CCCLXXVII.
DOMANIA.

Ius domaniale ex celeberrimorum ICtorum tractatibus repraeſentatum, opera CHRISTOPH. FRIESII. Francof. 1701. f. AUG. LEYSER. meditationes de aſſentationibus ICtorum et de doctrina de domaniis. SCHWEDERI diſſ. de domanio S. R. I. G.

§. CCCLXXVIII.
ELECTORES S. R. I.

De origine electorum IANUS et DITHMAR. BOEHMER. utrum electores ui archiofficiorum Imperatorem eligant? GUNDLING de cauſa et origine unionis ſiue foederis electoralis. Acta de nono electoratu. MASCOV. diſſ. de originibus officiorum aulicorum S. R. I. WAGENSEIL. de S. R. I. ſummis officialibus et eorumdem ſubofficialibus. Notitiam ſcriptorum de officiis S. R. I. aulicis praemiſit HENR. GOTTL. FRANCK. commentat. ſuae de Triscamerario S. R. I.

§. CCCLXXVIIII.
EMPHYTEVSIS.

CHR. GOTTFR. HOFFMANN. collatio iuris naturalis, Romani et Canonici circa doctrinam de emphyteuſi cum legibus et moribus Germaniae. RUTG. RULANDI theſaur. iur. emphyteutici. IO. IOD. BECK. tr. de iure emphyteutico. Tractatus uar. de laudemiis. Aug. Taurin. 1629. f. FRANZKIUS

de laudemiis. BECK. *vom Abſchoſs, Nachſteuer und Handlohn.* TABOR. commentatio ſynoptica de contractu et iure colonario. STRUBEN. de iure uillicorum.

§. CCCLXXX.

FIDEICOMMISSUM.

IO. CASP. HEIMBURG. diſſ. de different. iur. comm. et German. in fideicommiſſ. De fideicommiſſis tract. nobis reliquerunt VINC. FUSARIUS, MARC. ANT. PEREGRIN. et PET. ANT. de PETRA. De fideicommiſſis familiae KNIPSCHILD.

§. CCCLXXXI.

FISCUS.

MARC. ANT. PEREGRIN. de iuribus et priuilegiis fiſci. Variae colligi poſſent diſſertationes academicae de iure fiſci in teſtamentis, ſucceſſione, compenſatione, concurſu creditorum, delictis &c. BUDER. progr. de compendiis fiſci regii et camerae ueterum Imperatorum Germanor. De regalibus uid. CONR. ab EINSIEDEL, SIXTINUS, CARPZOV., CHRISTOPH. GE. IARGOW *Einleitung zu der Lehre von Regalien.* KLOCK. de aerario et contributionibus.

§. CCCLXXXII.

IUDAEI.

BOEHMERI diſſ. de cauta Iudaeorum tolerantia. AYRER. de iure Iudaeos recipiendi. BECK. tract. de iuribus Iudaeorum. IOSEPH. SESSA de Iudaeis eorumque priuilegiis. Taurini 1717 f. WAGENSEIL *Hoffnung der Erlöſung Iſraels.*

§. CCCLXXXIII.

§. CCCLXXXIII.

MARE.

Variorum auctorum diſſ. de dominio ſiue imperio maris. Francof. 1669. 12. (§. CCLXVIII). De iure maritimo LOCCENIUS, MAUL. STYPMANN. add. LANGII introductio in notitiam legum nauticarum. De iure maritimo Hanſeatico REINOLD. KURICKE. IO. IUL. SURLAND. *Grundſätze des Europ. See-Rechts.* 1750.

§. CCCLXXXIIII.

MATRIMONIUM.

I. S. STRYK. diſſ. de reliquiis ſacramenti in matrimonialibus. GRIEBNER. de his, quae ex iure proteſtantium matrimoniali ad reliquias ſacramenti perperam referuntur. BOEHMER. de iure principum proteſtantium circa ſolennia matrimonii eccleſiaſtica. BRUCKNER. deciſiones iur. matrimonialis. STRYK. tr. de diſſenſu ſponſalitio, nullitate matrimonii et deſertione malitioſa. AYRER. de iure diſpenſandi circa connubia. ESTOR. de odio in matrimonia inaequal.

§. CCCLXXXV.

MERCATURA.

Verſuch einer allgemeinen Geſchichte der Handlung und Schiffahrt, der Manufacturen und Künſte. 1751. SCACCIA de commerciis et cambio. STRACHA de mercatura. MARPERGERS *Kauffmanns - Magazin.* Eiusd. *neueröffnetes Handels - Gericht,* aliaque illius induſtriae opera permulta. SAVARI *vollkommener Kauff- und Handelsmann.* IO. MARQUARD. tr. de iure mer-

re mercator. De mercatorum libris ROESNER. BODINUS, HEINECC.; de mercatorum priuilegiis SCHVVENDENDÖRFFER.; de mercatorum collegiis KEMMERICH.; HEINECC. de iure principis circa commerciorum libertatem tuendam. *Der wohlerfahrne Buchhalter. 2 Theil. Nürnb.* 1748.

§. CCCLXXXVI.

METALLUM.

IO. DEUCER *Bergwerck* ſiue corpus iur. metallicum. Lipſ. 1624. f. Corpus iuris et ſyſtema rerum metallic. Francof. 1698. f. continuat. Vienn. 1703. SEB. SPANS ſpeculum iur. metallici. ABR. a SCHOENBERG *Berg-Information.* CHPH. HERTWIGS *neues Bergbuch, beſtehend in vielen und raren Berghändeln und Bergwercks-Gebräuchen.* AUG. BEYER. *gründlicher Unterricht vom Bergbau und Anleitung der Marckſcheider-Kunſt.* De regali metallifodinarum iure EISENHART. et HORN. De iure mineral. LYNCKER. De iudiciis metallicis GE. ENGELBRECHT. IO. GE. BAUSSEN inſtitutiones iuris metallici ſiue *Einleitung zu den in Teutſchland üblichen Bergrechten und Berg-Proceſſen,* Lipſ. Part. III.

§. CCCLXXXVII.

MILITIA.

GABR. NAUDAEI bibliographia militaris. Corpus iuris militaris edidit PETR. PAPPUS. Francof. 1657. ſed maioris momenti ſunt corpora iuris militaris IO. FRID. SCHULZII et LUNIGII. LUDEWIG. diff. iur. R. et G. in re militari. METTINGH. de ſtatu militiae Germanorum. G. L. BOEHMER. de iuribus ex ſtatu militari Germanorum pendentibus. Inſtitutio-

ſtitutiones iuris militaris concinnarunt IO. STEPH. DANCKO, GNÜGE. Proceſſum iuris militaris tradunt LUDOVICI, KNORRE, DÖLFER, add. de LOEN *Soldat, ou le metier de la guerre*, cui accedit bibliotheca militaris. MENCKEN. bibliotheca uirorum militia aeque ac ſcriptis illuſtrium. *Dictionaire militaire. Dresde.* 1751. 8.

§. CCCLXXXVIII. NOBILITAS.

De nobilitate commentati ſunt MATTHAEI, TIRAQUELL. KNIPSCHILD. add. SPANGENBERGS *Adelsſpiegel.* MICH. PRAUN *adeliches Europa.* GUNDLING: an nobilitet uenter? KNORR. de nobilitate adoptiua. STRUBE de origine nobilitatis Germanicae. De miniſterialibus ESTOR, GLAFEY, PLOENNIES, STRUBE. it. KOPP. liber §. CCCLXXIIII cit. IO. GE. CRAMER de iuribus et praerogatiuis nobilitatis auitae. TELGMANN *von der Ahnen-Zahl.* ESTOR. *von der Ahnen-Probe.* BURGERMEISTERI bibliotheca equeſtris, theſaurus iuris equeſtris, *Reichs-Ritterſchafftliches corpus iuris, oder Codex diplomaticus; ſtatus equeſtris.* FELZ. diſſ. de ſtatu nobilitatis immediatae S. R. I. NAGEL. de nexu ordinis equeſtris immediati in Sueuia, Franconia et terra Rhenenſi erga Caeſarem et imperium. Scripta eriſtica de norma quadam perpetua inter principes quosdam imperii et nobilitatem immediatam condenda. De nobilitate Landſaſſ. erudita exſtat commentatio RICCII. CHR. GRYPHII *kurzer Entwurff der geiſt-und weltlichen Ritter-Orden.* BECMANN. *Beſchreibung des ritterlichen Johanniter-Ordens.* DITMAR. *Geſchichte des Ritter-Johanniter-Ordens.*

dens. RAYM. DUELL. hiſtoria ordinis equitum Teutonicor. (§. CCLXXXIIII).

§. CCCLXXXVIIII.

OPIFICES.

HEINECCIUS de collegiis et corporibus opificum. DITMAR. de collegiis opificum apud Germanos emendandis. LUDEWIG. differentiae iuris Romani et Germanici de opifice exule in pagis. ADR. BEIER. ius opificiarium inprimis excoluit. FR. GOTTL. STRUV. edidit ſyſtema iurisprudentiae opificiariae in formam artis redactae. HILLER. de abuſibus collegiorum opificum. IO. GOTTFR. KAST. ſpecimen ſtatutorum et conſuetudinum, quae inter mechanicos uigent, irrationabilium. HELLOT. *Farbekunſt.* LUDEW. different. iur. Rom. et German. in re baſiaria tinctorum. IO. BALTH. FABER. de eo, quod iuſtum eſt circa fabros in primis ferrarios. LEUTMANNS tr. *von der Uhrmacher-Kunſt*, F. G. STRUV. tr. de balneis ac balneatoribus. THOMAS. de iure circa pharmacopolia. TABOR. de iure cereuiſiario. SCHOEPFER. de iure braxandi.

§. CCCLXXXX.

PRINCIPES.

NIC. MYLER AB EHRENBACH de principibus et ſtatibus imperii Rom. Germanici. EIUSD. Archaeologia ordinum imperii. SCHEFFER. de inſigni praeeminentia principum imperii maiorum prae principibus et ſtatibus aliorum Europae regnorum. SECKENDORFFII *teutſcher Fürſten-Staat*. IER. EBERH. LINCK. de comitibus principibus. Praeterea

terea exſtat inſignis multitudo diſſertationum de iuribus principum ad iurisprudentiam priuatam illuſtrium ſpectantium.

§. CCCLXXXXI.

TESTAMENTUM.

THOMAS. de origine, item de primis initiis ſucceſſionis teſtamentariae apud Romanos. TREKEL. de origine et progreſſu teſtamenti factionis. HEINECC. de origine teſtamenti factionis et ritu teſtandi antiquo. IDEM de teſtamenti factione iure Germanico arctiſſimis litibus paſſim circumſcripta. IO. IAC. REINECCIUS de Germania ſucceſſionis teſtamentariae ignara. SENCKENBERG. de teſtamenti publici origine et ſolennitatibus extrinſecis ſecundum ius Roman. et patrium. Varia de teſtamentis ſecundum ius Germanicum tradunt Exercitationes noſtrae. IO. DAUTH doctrina methodica de teſtamentis. STRYK. de cautelis teſtamentorum. PERNEDERS *Nachricht von Teſtamenten*. Varii commentarii de fideicommiſſis, legatis, ſubſtitutionibus. COCCEIUS de teſtamentis principum.

§. CCCLXXXXII.

TUTELA.

LUDEWIG. uariae diff. de diff. iur. Rom. et German. in re tutelari. GE. BEIER de hodierna tutorum et curatorum differentia. De tutela pactitia KEMMERICH, GLAFEY, LEYSER. THOM. SCHROEER *von Amt der Vormünder und Pfleg-Väter*, IO. WERNDLE *Pupillen-Schild*, EVERH. OTTO de perpetua feminarum tutela.

§. CCCLXXXXIII.

§. CCCLXXXXIII.

VENATIO.

I. C. KREYSIG biblioth. ſcriptorum uenaticorum. AHASV. FRITSCHII corpus iuris uenatorio-foreſtalis. IO. WILH. DE GOEBEL de origine iuris uenandi. ICKSTATT. de eo, quod iure naturali circa uenationes iuris eſt. EIUSD. *gründliche Abhandlungen von den Jagdrechten.* TOB. IAC. REINHART. de eo, quod iuſtum eſt circa uenationem. FRID. VLR. STISSER *Forſt- und Jagd-Hiſtorie der Teutſchen.* RICCII *zuverläſſiger Entwurff von der im Teutſchland üblichen Jagd-Gerechtigkeit.* VON BEUST. *von der Jagd-Gerechtigkeit.* ERNEST THEOPH. MAIER. de iure uenandi Romano-Germanico. LUDEW. differ. iur. Romani et Germanici in uenatu, eiusque regali. BILDERBECKS *gründliche Deduction gegen die vermeintliche Regalitæt der Jagden*, cui oppoſuit LÜBBE *gründliche Bevvährung der Sr. Königl. Maj. von Groſs-Britannien und Churf. Durchl. Braunſchvv. Lüneb. in dem Hertzogth. Luneburg zuſtehenden Jagd-Regals.* STRUBE uindiciae iuris uenandi nobilitatis Germanicae. IO. IOD. BECK. de iurisdict. foreſtali.

§. CCCLXXXXIIII.

VRBES IMPERIALES.

CONRING. de urbibus Germaniae. KNIPSCHILD. de ciuitatum imperialium iuribus ac priuilegiis. MOSERS *Reichsſtädtiſches Hand-Buch.* LUDEWIG de diſpari nexu ciuitatum cum Sac. Rom. Imperio. SCHWEDER de pari nexu ciuitatum imperialium cum S. R. Imp. TREUER. de logomachia de ciuitatibus mixtis. WILDVOGEL. de ſuperioritate territ. ciui-

ciuitatum imperialium. FELZ. de iure legislatorio territoriali ciuitatum imperialium. PHILIPP. IAC. LAUTZ de conuentibus ciuitatum imperialium. IOACH. HAGEMEIER. de foedere ciuitatum Hanſeaticarum.

CAPUT XXXXVIIII.

DE STUDIO THEOLOGICO.

§. CCCLXXXXV.

Quamquam diuinioris doctrinae initiis iam ab incunabulis erudimur: maiore tamen cura ſanae religionis fundamenta perſcrutari debet cohors literatorum, quo non ſolum ſcientiae ſuae rationem reddere, ſed et ueritatem ab iniuriis poſſint defendere.

Quantum legum cultori operae in theologia ponenda ſit, non definimus. Modum pauci excedunt. Studia quidem propaedeutica et iurisprudentiae et theologiae communia ſunt; at non omnia ad eumdem uſum referuntur. Lucem praeferunt ſanctiorum literarum alumnis BUDDEUS in Iſagoge hiſtorico-theolog. IOACH. LANG. in inſtitut. ſtudii theolog. literar. KOECHER. in conſpectu theolog. uniuerſae. Du PIN de methodo ſtudii theolog. Ad rem theologiae literar. ſpectant STOLL. *Anleitung zur Hiſtorie der theologiſchen Gelahrheit.* PFAFF. introduct. in hiſtor. theolog. liter. LIPENII biblioth. real. theol. DORN. biblioth. theol. crit. CALMET. biblioth. ſacra t. I di-

ctionarii bibl. addita. LILIENTHAL. biblioth. theol. Accedunt ephemerides quaedam theolog. e. c. COLERI acta hiſtor. eccleſ. KRAFFTS *neue theologiſche Bibliothec*, THEOLOG. *Bücher-Saal*.

§. CCCLXXXXVI.

Quum natura Deum exſiſtere, eiusque maieſtatem a mortalibus omni cultu proſequendam eſſe euidenter doceat: uix intelligi poteſt, qua mente homines mentis compotes Deum uel ignorare uel tam leuiter de eo ſentire poſſint.

Veteres philoſophi in hoc ſublimi argumento ualde caecutiebant. CICERO in libris de natura Deorum et de diuinatione hunc locum attigit. uid. TREUNER. HAFERUNG. et HARDSCHMID. de theologia Ciceron. SUANING. de theolog. Senecae. Hiſtoriam theologiae naturalis edidit IO. ACHAT. FELIX BIELCKE; apparatum theolog. natural. SCHMID. Exſiſtentia Dei firmatur argumentis metaphyſicis, phyſicis et moralibus. conf. FROBES. ſcriptorum atque argumentorum numinis diuini exſiſtentiae recenſio. WERNFELS. iud. de argum. CARTES. pro exſiſtentia Dei ab eius idea petito. RAYM. SABUNDE theolog. natur. de homine et creaturis. IAQUELOT. et de la MOTHE FENELON de l'exiſtence de Dieu. LEIBNITII Theodicaea. WOLFFII theologia naturalis. MICH. FRID. LEISTIKOW *Beytrag zu der natürlichen Gottesgelahrheit aus der Betrachtung der Welt*. IO. HENR. WINCKLERS *vernünfftige Gedancken über die wichtigſten Sachen und Streitigkeiten in der natürlichen Gottesgelahrheit*. FABRICII apologia pro genere humano contra calumniam atheiſmi. AD. TRIBBECHOVII hiſtoria

ria naturaliſmi. ANT. REISERI de orig. progreſſu et incremento atheiſmi diſſ epiſtol. IENKIN. THOMAS. et REIMMANNI hiſtoria atheiſmi. BUDDEUS de atheiſmo et ſuperſtitione. WOLFF. diſſ. de atheiſmi falſo ſuſpectis. PRIT. diſſ. de iure Dei in atheos. GERH. HERM. MENCKE de iuramento athei. CHRIST. LUDOVICI de atheorum poenis.

§. CCCLXXXXVII.

Etſi paucae gentes tam efferatae reperiantur, quibus Deus curae non ſit: multo tamen plures occaecat idololatria ac faeda ſuperſtitio. Chriſti, ſeruatoris noſtri, dogmata uera ſunt et plana, ſed incredibili hominum proteruia miſere diſcerpi ſolent.

MUSAEUS de luminis naturae inſufficientia ad ſalutem. Groenlandiae incolas omnis religionis expertes fuiſſe, teſtatur ANDERSON. in deſcript. huius terrae. Ut taceam uarios Africae populos. De multiplici religione diximus §. CCLXXXIV. add. GERH. THEOD. MEIER. hiſtoria religionum. NEUMANN. trutina religionum. FABRIC. ſyllab. ſcriptor. de ueritate relig. Chriſt. quos inter praecipuus GROTIUS.

§. CCCLXXXXVIII.

Theologiam Chriſtianam uariae quidem profitentur ſectae; ſed non omnes ueritatem perſpiciunt. Beati, quibus uerbum diuinum euoluere, eiusque efficaciam ſentire licet. Quum theologia diuerſas habeat formas, iis potiſſimum operam demus, quae cum ſphaera forenſi ar-

ctius coniunctae ſunt. Theologia exegetica regulas hermeneuticas, legum quoque doctrinae familiares, ſequitur (§. CCXVIIII). Quo plura nobis adminicula eruditionis comparamus: eo felicius in hoc negotio progrediemur. Conſulant, quibus accuratius inueſtigare arduum, interpretes probos, et linguarum, hiſtoriarum, antiquitatum ac theologiae ſatis peritos.

Hermeneuticam ſacram tradiderunt DANHAUER, PFEIFFER. RAMBACH. itemque SAL. GLASS. in philologia ſacra. In hunc cenſum etiam referuntur ii, qui ſacrum codicem in linguas alias tranſtulerunt. KORTHOLT. de uariis ſcript. ſacr. editionibus. IO. GE. HAGEMANNS *Nachricht von den fürnehmſten Überſetzungen der Heil. Schrifft.* IOH. FRID. MAYER. diſſ. de uerſionibus Germanicis libror. ſacror. ante Luther. et hiſt. uerſionis Germanicae bibliorum Lutheri. EIUSD. bibliotheca biblica. WALTERI biblia polyglotta. le LONG. bibliotheca ſacra. STARK. ſynopſis biblioth. exeget. (§. LV.). Commentariorum incredibilis multitudo; non pauci ſacra inquinarunt. Quam uehementi ſtudio poſt eccleſiae emendationem literae ſacrae explicatae fuerint, monſtrat BUDD. in iſag. c. VIII §. 12. Criticorum ſacrorum opus VII, duosque ſupplementorum, tomos complectitur; ſed nunc inſigniter augeri poſſet; immo hodie aliud huius generis opus, ab Anglis inceptum, Lipſiae Germanice editur continuaturque. conf. etiam CALMET commentaire et dictionaire hiſtorique, critique et chronologique ſur la bible, Diſcours hiſtoriques et critiques ſur les

les evenemens les plus memorables de l'ancien et du nouveau teſtament par Mrs. SAURIN, ROQUES et BEAUSOBRE. Nunc theologiae cultores id potiſſimum agunt, ut ſermones ſacros ſubito fabricari, eosque μετα πολλης φαντασιας efferre diſcant; inde largiſſimus poſtillarum prouentus; pietas et eruditio rarior. IO. ERNEST. HAUSMANN. introduct. ad notitiam ſcriptor. homilet. Nobis memorabilis GOTTL. FRID. GUDE diſſ. de ICtorum meritis in S. Script. ANDR. SIG. SCHVVARZ. oratio de ICtis ſcripturam ſacram licite interpretantibus. HEUMANNI diſſ. de ICtis Germanis ſaec. XVI diſciplinae ſuae adiungentibus et theologiae et pietatis ſtudium.

§. CCCLXXXXVIIII.

Humano generi omnibus uotis expetendum eſſet, ut lucem aeternam omnes ſuſciperent aequa mente ac integra. Tam uaria certe atque inter ſe pugnantia theologiae ſyſtemata neſciremus. Sed cum tam fauſta concordia uix ſperari queat, ſuam quisque coetus teneat formulam, publice approbatam, nullo priuato conatu mutandam.

ZELTNERI diſſ. de genuinis ſpuriisque theologiam tradendi methodis. Theologiam ſyſtematicam repurgauit PHIL. MELANCHTHON, cuius ueſtigia ſecuti CHEMNITIUS, HUTTER. HAFENREFFER, GERHARD. BAIER. Multis ſcholaſticorum obſcuritas placuit, ueluti CALIXTO. uid. BUDD. c. I. L. II c. I. Ad ſalutem rei chriſtianae maxime intereſt, ut noua fingendi ſyſtemata theologiae licentia com-

primatur. Multi nouis phraſibus, nec literis ſacris, nec formulis coetus uniuerſi congruentibus, uti audent; inde altercatio infinita. Theologia catechetica nihil ſimplicius, nihil commendabilius, nihil ſalutarius; uerum hodie quam plurimi eam infra ſe putant. BUDD. c. I. L. II c. I §. 12. LENFANT de catechiſmis. CLAUD. FLEURY catechiſmus hiſtoricus. HOTTINGER. in bibliothec. quadripartito catechiſmos uariarum ſectarum recenſet L. III c. I §. 5. LANGEMACK hiſtoria catechetica. Symbola fidei eo ſanctius cuſtodienda, quod ad publicam quietem ſeruandam multum ualent. BALTH. BEBEL. ſynopſis hiſtoriae et doctrinae ſymbolorum. PET. ZORN. noua collectio plus quam ſexaginta ſymbolor. FEUERLINI bibliotheca ſymbolica Euangelica Lutherana. PET. KING. hiſt. ſymboli apoſtol. IO. BENED. CARPZOV. iſagoge ad libros ſymbolicos eccleſiar. Lutheranar. HENR. PIPPING. *hiſtoriſche Einleitung zu den ſymboliſchen Büchern.* Inter huius generis libros locum primum tenet Auguſtana confeſſio, quae legibus fere imperii annumeranda uidetur (§. CLXX). add. LOESCHER. *ausführliche hiſtoria motuum.* BOSSUET. *hiſtoire des variations des egliſes proteſtantes.* REINBECK. et CANZ. explicatio A. C. De concilio Tridentino, corpore atque ſyntagmate confeſſionum fidei, cathechiſmo Heidelbergenſi, decretis ſynodi Dordracenae, confeſſione eccleſiae Graecae orthodoxae, aliarumque eccleſiarum ſymbolis uid. BUDD. c. I. §. 9 ſq. CHRIST. SONNTAG. de libror. ſymbol. abrogatione illicita. I. I. VVEIDNER. de emendatione abuſus per ſymbolicos libros. GOTTFR. LUD. MENCKE de eo,

quod

quod iuſtum eſt circa ſubſcriptionem librorum ſymbolicor. a iure ſacrorum in primis Euangelicorum dependente. THOMAS. *in auserleſenen juriſtiſchen Händeln*, p. 202 ſq. reſponſum exhibet de formula concordiae non approbata.

§. CCCC.

Theologia moralis multo perfectior eſt philoſophia morali, et in multis iurisprudentiae capitibus dominatur.

Conf. c. XXXII. IO. MICH. LANG. diſſ. de orig. et progreſſu theolog. moral. Durrii compendio theolog. moral. adiecta. IO. FR. MEYER biblioth. ſcriptor. theolog. mor. et conſcientiariae Aegyd. Strauch. theolog. mor. addita. BUDD. Iſag. L. II c. 4 et prolegom. inſtitut. theol. moral. GEBH. THEOD. MEIER, introductio in uniuerſum theolog. moralis ſtudium. Qui chriſtianae uirtutis cultum curant, eos et optima praecepta et exempla praeſtantiſſima adiuuabunt. Quis ignoret labores pios ARNDII, GERHARDI, SPENERI, HENR. MULLERI, SCRIVERII, FRANCKII, quibus etiam politici quidam ſymbola ſua addiderunt, ut VIT. LUD. SECKENDORFF, CREUTZBERG (SCHÜZIUS), AHASV. FRITSCH, IO. BRUNNEMANN. I. P. SCHMID ſchediaſma de pietate et ſcriptis Theologicis ICtorum. De corruptelis et medelis theologiae diſſ. II exſtant ZELTNERI; eiusd. ſchediaſma de piorum deſideriorum ſcriptoribus. De theologia myſtica uid. BUDD. c. l. §. 8. Ad theologiam paſtoralem erudiunt QUENSTED. KORTHOLT. LANG. MAYER. SEIDEL. Utilitate ſua maxime ſe com-

mendat ius parochiale BOEHMERI. In caſibus conſcientiae enodandis elaborant et theologi et ICti (§. CCLII). Nota ſunt merita BALDUINI, DUNT, KOENIG. MENGERING. DANHAUER. OSIANDRI, BECHMANNI. Accedunt uariae conſiliorum collectiones, ut Vitembergenſ. BIDEMBACHII, DEDEKENNI, SPENERI, BAUMGARTEN. BOERNER. Accedunt etiam ſcriptores iurisprudentiam conſiſtorialem ſiue cauſſas mixtas illuſtrantes (§. CCCXXXXI). De baptiſmo iuridicas diſſertat. habuerunt LYNCKEK, RANGER, LUDOVICI. De ſacra coena LYNCKER, IO. FRID. WERNHER. De ſigillo confeſſionis ADR. BEIER. BALTH. TILESIUS. De numo confeſſion. PETR. MULLER., WILDVOGEL. de eo quod iuſtum eſt circa orationem dominicam, GOTTFR. VOGLERS *bibliſches corpus iuris.*

§. CCCCI.

O quam turpe dictu! infelix lolium et ſteriles dominantur auenae in rebus ipſis diuinioribus. Nimio altercandi ſtudio ſaepius amittitur ueritas. Bella domini caute gerenda; pax prudenter reſtituenda.

BUDD. c. I. c. 7. eiusd. diſſ. de theologiae polemicae ſtudio ſolide et ſobrie inſtituendo. WALCHS *hiſtoriſche und theologiſche Einleitung in die vornehmſten Religions-Streitigkeiten.* BARTHOL. STOSCH. ſyllabus quorundam ſcriptorum de reconciliatione eccleſiaſtica. CYPRIANS *Unterricht von der kirchlichen Vereinigung der Proteſtanten.* Hodie concordiam multa contentione ſuadet LOENIUS, ſed diſcordiam ſeminat.

CAPUT

CAPUT L.

DE STUDIO MEDICO.

§. CCCCII.

Etſi ſtudium medicum nemo, qui inter eruditos nomen profitetur, ſicco pede praeterire debet: legum tamen cultori ſingulares rationes id commendant; ſed his quoque rebus modus eſt ponendus.

Hiſtoriam huius artis literariam commemorant DAN. CLERICUS, IO. CONR. BARCHUSEN, ANDR. OTTOMAR. GOELICKE, IO. HENR. SCHULZIUS, GOTTL. STOLL, et CHRIST. WILH. KESTNER. KESTNERUS adornauit etiam bibliothecam medicam et lexicon medicorum doctorum. Methodum diſcendi medicinam expoſuit BOERHAVEN. De medicina ueterum Germanorum exſtat diſſ. IO. GOTHOFREDI HAHNII. Add. REIMMANNI hiſtoria medicae artis Germanorum.

§. CCCCIII.

Quo quisque maiorem operam phyſices ſtudio dedit, eo felicius in re medica progredietur. Corporis humani inueſtigatio ſolicita et experientia certior medici cura ſumma eſto; ſubtilioribus philoſophorum controuerſiis morbos non pellet. Notitia materiae medicae, mineralium nimirum, animalium et herbarum, iis quoque prodeſt, qui medicorum numerum augere nolunt.

De anatomia uide §. CCXXXI; de ſcriptoribus phyſiologicis conf. KESTNER in bibl. medica tom. II cap. 2; de pathologicis cap. 3; de ſemiologicis cap. 4; de therapeuticis cap. 6; de chirurgicis cap. 8. Ad materiam medicam pertinent TEICHMEYERI inſtitutiones materiae medicae, VALENTINI Muſeum Muſeorum, *oder vollſtändige Schaubühne aller Materialien und Specereyen.* Haud ita pridem iterum prodiit WOYT. Gazophylacium medico-phyſicum, *oder Schatzkammer mediciniſcher und natürlicher Dinge.* Omnem rem medicam attingunt STEPH. BLANCARDI lexicon medicum nouum graeco - latinum auctum a IO. HENR. SCHULZ. CASTELLI lexicon medicum amplificatum opera BRUNONIS. Dictionaire univerſel de medecine. Scriptores botanicos ſiſtit KESTNER. cit. loc. cap. 5 ſect. 4. SEGUIERII biblioth. botanica. De re herbaria bene meriti ſunt BAUHINUS, TOURNEFORTIUS, RAIUS, LINNAEUS &c. acc. MILLERISCHES *Garten-Buch.* De origine et progreſſu Chemiae egit HERM. BOERHAV. conf. NIC. LENGLET DU FRESNOY hiſtoire de la philoſophie Hermetique. PETR. BORELLI bibliotheca chimica. Inter eos, qui artem medicam ſyſtematice propoſuerunt, ſemper eminebunt HIPPOCRATES et GALENUS; noſtra tempora laudibus efferunt nomina BOERHAVII, FRID. HOFFMANNI, STAHLII, HEISTERI, HALLERI, HAMBERGERI aliorumque ſectis ſuis diſtinctorum.

§. CCCCIIII.

Non eſt, quod rei medicae commoda remotiora laudemus. Quis ignoret medicinam foren-

forenſem? quot cauſſarum figurae iudici offeruntur ac iurisconſulto, quae ſine ſcientia medica dirimi nequeunt.

Quamquam iuris perito arte medica ſatis inſtituto uix fides habetur, ſed, ſi quid caſus ferat, phyſici cuiusdam ſententia rogatur; maxime tamen conducit legum interpretibus de medicorum reſponſis et, quae dicunt, Viſis Repertis poſſe cognoſcere; quare ſcholae medicinae forenſis in academiis non negligantur. GOELICKE dedit introductionem in hiſtoriam literariam ſcriptorum, qui medicinam forenſem commentariis ſuis illuſtrarunt medicinae forenſi annexam. add. MICH. ALBERTI ſeries medicorum forenſium, praemiſſa commentationi eius ad conſtitutionem criminal. Carolinam. EIUSD. ſyſtema iurisprudentiae medicae. PAULLI ZACCHIAE quaeſtiones medico-legales. VALENTINI corpus iuris medico legale. TEICHMEYERI inſtitutiones medicinae legalis uel forenſis. PAULLI AMMANNI medicina critica ſeu deciſoria. IO. FRANCISC. LOEW. theatrum medico-iuridicum. Conf. KESTNER. l. c. cap. 6, ſect. 4. Multi themata ſingularia ad hunc locum ſpectantia tractarunt. MYLIUS de iurisprudentiae cum medicina coniunctione. HEISTER. de medicinae utilitate in iurisprudentia. PAUL. FRANC. ROMANI medicus iuridice conſideratus. NIC. PRAGEMANNI commentatio de fide, quae medicis apud iurisconſultos eſt. IO. SCHÜTZ. de contractu medici cum aegroto. BERGER. de priuilegiis aegrotorum. FRID. GOTTL. STRUV. de iure alchimiae. BUDDEUS an alchimiſtae ſint in republica tolerandi?

§. CCCCV.

§. CCCCV.

Tuendae ſanitatis conſilia ut omnibus gratiſſima ſunt et utiliſſima: ita nec a ſtudioſa iuuentute ſperni debent, quamquam haec fabula ſaepius narratur ſurdis.

KESTNER. cit, loc. cap. ult. STOLL. c. l. cap. 2 cap. 4. HIERON. CARDANI de ſanitate tuenda ac uita producenda lib. IV. MARSILIUS FICINUS de ſtudioſorum tuenda ſanitate. GREGORIUS HORST. de tuenda ſanitate ſtudioſorum et literatorum. GUILIELM. GRATAROL. de literatorum et eorum, qui magiſtratibus funguntur, conſeruanda praeſeruandaque ualetudine. Le medecin de ſoimeme ou l'art de ſe conſerver la ſanté par l'inſtinct. Inter recentiores diaeteticen in primis ſibi curae habuerunt IO. GOTTFR. BERGER. in uariis diſſertationibus. GE. WOLFFG. WEDEL. in diſſ. de diaeta literatorum. CHRISTIAN. VATER. in hygiene; add. IO. IAC. BEIER. de literatorum ſanitate tuenda. FRID. HOFFMANN. de ſtudiis per regulas diaeteticas facilitandis. IDEM de motu, optima corporis medicina. GEORG. DETHARDING. elementa diaetae. LEONH. FERDIN. MEISNERI de caffé, chocolatae, herbae thée et nicotianae natura, uſu et abuſu anacriſis.

CAPUT LI.

DE EXERCITATIONIBUS HUMANITATIS POLITIORIS.

§. CCCCVI.

Parerga quaedam, hominum cultiorum quorumuis communia, literati eo minus negligent,

gent, quo reliquis elegantiores uideri cupiunt, quoque plus commendationis habent iſtae eruditionis appendices.

Vix numerus earum rerum, quae hodie ab homine in omni uitae ratione concinno poſtulantur, iniri poteſt; nonnullas quidem utilitatis perpetuae ac uenuſtatis laus comitatur: at elegantiae multae ad ſcitam temporum formulam exigendae ſunt. Quae pro ſua quemque aetate, conditione, dignitate ornant, ea diſcet *bon.bre de plauſibles noticias*, ſecundum phraſin GRACIANI. Amoeniorum literarum et comtioris uitae magiſtros quosdam indicauimus §. XXVI, XXVII, CCLXVIIII ſq. Hic iterum honorifice appellamus KEMMERICHS *neueröffnete Academie der Wiſſenſchafften. Den geöffneten Ritterplatz.* DE CHEVIGNI *ſcience des perſonnes de cour, d'epée et de robe.* add. *Kern-Hiſtorie aller freyen Künſte und ſchönen Wiſſenſchafften.* Part. VIII. CLAVILLE du vrai merite.

§. CCCCVII.

Exercitationes corporis tuendi cauſſa inuentae ut multum proſunt: ita cauendum, ne in offenſionem aut petulantiam incidant.

Iam ueteres in gymnaſtica et agoniſtica uires periclitabantur. Gymnaſticae tres erant formae, ſimplex, bellica, athletica. Quintuplex gymnicum exercitium: curſus, ſaltus, diſcus, iaculum, lucta. Ad curſum et ſaltum referebatur σφαιρομαχια. HIER. MERCURIALIS de arte gymnaſtica. PETRI FABRI libri agoniſticon. Ars gladiatoria hodie maxime excolitur. HENR. de GUNTERROT tr. de ueris principiis artis dimicatoriae.

toriae. Viteb. 1579. GIRALD THIBAULT academie de l'epée. FABRI *Theorie und praxis der Fechtkunſt.* SCHMIDS *Fechtſchule, nebſt Unterricht vom Voltigiren und Ringen.* Magni etiam uſus eſt ars ſclopeti tractandi, poſtquam tela iſta ignea armis primariis accenſeri coeperunt. conf. *der vorſichtige und erfahrne Schüze und Jäger auf die Scheiben, Lauff und Flug.* Francof. 1750. (§. CCXXXVII). Nec natandi peritiam parui pendebant ueteres Germani.

§. CCCCVIII.

Cultiorum hominum decoribus annumerantur rei equeſtris et militaris et uenatoriae ſcientia, ars pingendi, ſaltandi, ſecandi eſcas, artificiorum utiliorum notitia, peregrinatio.

1) Equitatus apud Germanos ſemper in honore fuit, qui ludos quoque equeſtres, torneamenta dictos, inſtituerunt. SCHUBART. de ludis equeſtribus. Artem equos domandi literis tradiderunt GE. LÖHNEISEN *in der vollkommenen Reitkunſt.* add. IO. SIM. WINTER. tr. de re equeſtri, lat. et germ. Vol. III. NEWCASTLE *nouvelle et extraordinaire maniere de dreſſer les cheveaux.* SOLLEYSELS *vollkommener Stall-Meiſter.*

2) Multos canon delectat: aut arte, aut Marte; ſed fallitur, quisquis literas a militia ſeiungit, et caſtra erroris et ignauiae latibula eſſe exiſtimat. Militiae forenſem uſum conſiderauimus §. CCCLXXXVII. Artis militaris ſcriptores appellat *der geöffnete Ritterplatz.* t. I p. 126. CYPRIAN. progr. de ſcriptoribus claris ueteris rei militaris. WAGNERS *Entwurff einer Soldaten-Bibliothec.*

thec. G. A. BOECKLERS *neuvermehrte Kriegs - Schule.* De la VALIERE pratique et maximes de la guerre, les fonctions des Capitaines de Cavallerie par BIRAC. Les fonctions de tous les officiers de l'infanterie par de la MONT. L'art de la guerre par M. le Marechal de PUYSEGUR. Elemens de l'art militaire par M. d'HERICOURT.

3) Quid de uenatione legibus cautum, uid. §. CCCLXXXXIII. Scriptores quosdam artis uenatoriae diſcimus ex P. I *Abtheil.* II *des Ritterplatzes* p. 88. HENR. WILH. DOEBEL. *eröffnete Jäger-Practica*, 1746. FLEMMINGS *teutſcher Jäger.* von HEPPE *aufrichtiger Lehr-Prinz.*

4) Artis pictoriae dignitas numquam ſat laudata fuit. De picturae inuentione egit PLIN. l. 35 c. 3. Delineatio eſt. Grammatica picturae. Artes cognatae ſculptura, ſtatuaria, caelatura, fuſoria, plaſtica. APPELLIS et aequalium aetate ars ad ſumum faſtigium peruenit. Veteres Romani eam non magni faciebant; at poſtea una cum literis ars pingendi ſuos recuperauit honores. Muſa uetat mori RAPHAEL. Urbinalem MICH. ANGELUM BONAROTAM, ANT. CORRIGIENSEM, TITIANUM, IUL. ROMANUM. Inter Germanos artifex inſignis ALBR. DÜRRER. De pictura commentati ſunt FRANC. IUNIUS, IUL. CAES. BULENGER. IUL DEMONTIOSUS, LEONARD. da VINCI. CONRADUS SWEYNHEIM, Germanus, non ſolum arti typographicae Romae primus uacauit, ſed et ope tabularum aenearum figuras chartae imprimere docuit. Optimarum tabularum pictarum notitia peregrinantibus multum prodeſt. De ſtatuis et ſtatuariis ſcripſit EDMUND. FIGREL. FELIBIEN *entretiens*

tretiens ſur les vies et ſur les ouvrages des plus excellens peintres, anciens et modernes. SANDRART *Academie der Bau-Bild-und Mahler-Künſte. Kern-Hiſtorie der freyen Künſte* P. I, II et III. Artem delineandi ſyſtematice tradunt PREISLERI egregia ingenia. add. GAUTIER. *Kunſt zu tuſchen.* Ad ſphaeram iuriſperitorum pertinent GE. THEOPH. BOERNER. de priuilegiis pictorum. 1751. PETR. MULLER. de pictura. BRUNQUELL. de pictura famoſa; it. de pictura honeſta et utili. I. S. STRYK. de ſtatuis principum.

5) VOSSIUS de quatuor artibus popular. c. IV §. 36 tribus Muſices, ait, formis harmonicae, organicae et hydraulicae uidetur quarta, nempe ut Lucianus uocat, ὀρχηστικὴ, h. e. ſaltatoria, quae pedibus fit, adiici debere Saltatione in ſacris etiam utebatur populus Dei; extra ſacra apud Graecos magnus ſaltationis honos. *Teleſtes*, Aeſchyli ſaltator, tragoediam quamdam integram ſaltando expreſſit. Nouam artis ſpeciem ſaltatio noſtris accepit temporibus. uid. PASCHENS *Beſchreibung der wahren Tanzkunſt.* BONII *neueſte Art der galanten und theatraliſchen Tanzkunſt.* CARL. CHR. LANGENS *Anfangs - Gründe zur Tanzkunſt.* 1751. FEVILLET, BONNET, BEAUCHAMP, aliorumque ſcripta. BASTINELLER, de eo, quod iuſtum eſt circa ſaltationem.

6) Quae ſectori eſcario obſeruanda ſint, oſtendunt libelli uarii. A. 1657 Noribergae prodiit (auct. GE. PHIL. HARSDORFFER) *vollſtändig-und neu-vermehrtes Trincirbuch* opera PAULLI FURSTII, in quo etiam conuiuia celebriora deſcribuntur. Nuper Lipſiae editus fuit *der geſchickte Trenchicant.*

7) Hiſtoria artificialis nondum ſatis expolita uidetur. BACO de VERULAMIO uiam certam monſtrauit. Artium mechanicarum originem et hiſtoriam et naturam explicat GARZON. in Piazza univ. ALSTED. in encyclopaedia. HARRIS *in univerſal engliſh dictionary of arts and ſciences.* Nonnullae huiusmodi artium, ut tornandi, libros compingendi, perpoliendi uitra &c. nec eruditis indignae. CHRIST. DREXEL *kurzer Unterricht von der Drehkunſt.* ANT. NERI *Glasmacherkunſt.* KUNCKELS *vollkommene Glasmacher - Kunſt.* PREDIGERS *accurater Buchbinder und Futteralmacher.* (§. CCCLXXXVIIII). Schola realis iam ſaepius deſiderata fuit; adiumento ſunt interea collectiones plurimarum rerum artificialium et naturalium, (*Kunſt-und Naturalien-Kammern*) quae qua ratione ſint adornandae, monſtrat *der geöffnete Ritterplatz* P. III. MOLLER. de technophyſiotameis. HENR. IO. BYTEMEISTERI catalogus apparatus curioſorum artificialium et naturalium. 1751. *Curieuſe Kunſt - und Werck - Schule.* Noriberg. CHRISTOPH. SEMLER. *neu - eröffnete mathematiſche und mechaniſche Real-Schule.* AUG. de RAMELLIS *Schatzkammer mechaniſcher Künſte.* MARPERGER *Manufactur - Haus.* conf. ZINCK. *Cameraliſten - Biblioth.*

8) De artis peregrinandi magiſtris uid. §. XVI. add. HEUMANN. conſp. hiſt. liter. p. 471. BIBL. BUNAU. P. II p. 1739. SCHOWART. theſaurus peregrinantium. ROMANI TELLERI *Rede von den Vortheilen einer vernünfftigen Reiſe, und daſs dieſelben weit gröſſer bey einem Rechtsgelehrten, als bey einem Gottesgelehrten ſeyn.* CONRING. de prudentia peregri-

 nandi.

nandi. Quid terras exteras peruagari iuuat, ſi in patria uerſamur hoſpites? Caeſaris Auguſti, ac principum celſiſſimorum aulas, et comitia et ſumma imperii tribunalia adire rationibus noſtris conuenit.

§. CCCCVIIII.

Quantum otii aleae ſit tribuendum, non definio; quia omne tempus perire puto, quod ſtudiis non impertitur.

BARBEYRAC traité du jeu. AUG. LEYSER. de ludis eorumque in iure effectibus. it. de ſcurrilitate aleae. LEHMANN. tr. de uariis ludendi generibus. GUSTAV. SELEN, (Auguſt. D. Brunſuic.) de ludo ſchachorum. IO. IOACH. SCHOEPFER. de hodierna ludorum iuſtitia.

INDEX.

INDEX.

A.

Academiarum conſtitutio et uaria fortuna. VIII.
hiſtoria literaria. CXCI.
iurisdictio. X et CCCLXXI.
priuilegia. IX.
Academici honores. XIV.
Actiones. CCCLXIX.
Actorum lectio et relatio. CCCLXVIII.
Adagia. XLIII.
Aduocati. CCCLXVII.
Aeſthetica. XXXIV.
Africae et Americae gentium hiſtoria obſcura. CLXI.
Agraria res. CCCLXXI.
Alea. CCCCIX.
Algebra. CCXXXVI.
Anatomia. CCXXXI.
Angliae regni notitia. CCLXXXV, 5.
Anglicae hiſtoriae ſcriptores. CLXIV.
Anglorum res literaria. CXC, 3.
Anhaltina hiſtoria. CLIX, 10.
Antiquitates chriſtianae. CXLII.
germanicae. CXL.
graecae. CXXXIX.
hebraicae. CXLI.
romanae. CXXXIX.
Antiquitatum genera uaria. CXXXVIII.
ſtudium. CXXXVI.
utilitas in iure. CXXXVII.
Apanagium. CCCLXXII.
Aquila biceps inſigne imperii. CXVI.

Architectonica. CCXXXVII.
Arelatenſis regni hiſtoria. CLX.
Ariſtotelis politica. CCLXXV.
Arithmetica. CCXXXIV.
Arma comprobant nobilitatem et ius ſuccedendi. CXIV.
concedit imperator. CXIII.
et inſignia inter ſe differunt. CXII.
Armorum coniunctio. CXVI.
extinctio. CXIV.
ſcientia uario modo prodeſt iuriſprudentiae. CXIV.
Artes liberales. XXXI.
Artificiorum notitia. CCCCVIII.
Artis ſcribendi origo. CLXXV.
modi uarii. CLXXVI.
Aſtrologia. CCXLII.
Aſtronomia. CCXXXVIIII.
Aurea bulla. CCCXLVI.
Aureae bullae conſtitutio de linguis diſcendis. LIV. LXV.
Auſtriaca hiſtoria. CLIX, 3.
Anthenticae. CCCVII.
Autodidacti. II.

B.

Bambergenſis hiſtoriae ſcriptores. CLIX.
Bauarica hiſtoria. CLIX, 5.
Belgarum res literaria. CXC, 4.
Belgicae hiſtoriae ſcriptores. CLXIII.
Belgii foederati notitia. CCLXXXV, 6.
Beneficia. uide Stipendia.
Bibliopola. uide Typographus.
Bibliotheca publica comparanda. XXI.
Bohemica hiſtoria. CLIX, 4.
Botanica. CCCCIII.
Bracteati numi. CXLVI.
Brandenburgica hiſtoria. CLIX, 7.
Brunſuicenſis hiſtoria. CLIX, 8.
Burgundici regni hiſtoria. CLX.
Byzantina hiſtoria. CLI.

C. Calen-

C.

Calendarium. CIV.
Calligraphia non negligenda. XLI.
Cambium. CCCLXXIII.
Canones apoſtolici. CCCXXXVII.
Canones eccleſiae uniuerſae. CCCXXXVIII.
Capitularia regum Francorum. CCCXIX.
Capitulatio imperatoris. CCCXLVI.
Centena. CCCXXXIII.
Charlataneria eruditorum. XIII, 2.
Chemia. CCCCIII.
Chiromantia. CCXLII.
Chriſtianorum philoſophia morum. CCXLIX.
Chronologia. CIII.
legum et ueterum documentorum. CV.
Ciceronis philoſophia morum. CCXLVIII.
Ciuitatum quarundam, nimirum Norimbergenſis, Auguſtanae, Aquisgran. Goslarienſ. Lindauienſ. Spirenſis, Francofurtanae hiſtoria. CLIX, 11.
Clima. CCXXIX. CCLXXXII.
Codex iuris ciuilis Iuſtinianei. CCCVII.
Comitatuum quorundam Wolffſteinenſis ſcil. Pappenheimenſis, Erbacenſis, Oldenburgici, Rutheuici hiſtoria. CLIX, 10.
Comites. CCCLXXIV.
Comitia imperii. CCCXLVIII.
Commercia. CCLXXXIII.
Comoediae. LXXXXVI. LXXXXVII.
Concilia. CCCXXXVII.
Conſcientiae quaeſtiones. CCLII.
Conſilia theologica. CCCC.
Conſiliorum iuridicorum collectiones. CCCLXI.
Conſtitutio criminalis Caroli V. CCCXXXI.
Conſtitutiones eccleſiaſticae, CCCXLI.
Conuerſatio erudita. XVI.
Corporalis res. CCXXIX.
Corpus iuris ciuilis. CCCXI.
Coſmologia. CCXXII.
Critica. CCXV. CCXVI.

Critices uſus in iurisprudentia. CCXVIII.
Criticorum uitia. CCXVII.
Cryptographia. LI.
Curſus publicus. CCCLXXV.

D.

Daniae regni notitia. CCLXXXV, 4.
Danicae hiſt. ſcriptores. CLXV, 3.
Danorum res literaria. CXC, 6.
Decimae. CCCLXXVI.
Decretales. CCCXL.
Decretum Gratiani. CCCXXXIX.
Decorum. CCLXIX.
uel naturale uel politicum. CCLXX.
gentium. CCLXXI.
Definitiones. CCX.
Delictorum genera uaria. CCCXXVII et CCCXXVIII.
Demonſtratio. CCXIII.
Diaetetica. CCCCV.
Diaria literaria. CLXXXVII.
Diplomata falſa. CXXVIII.
Diplomata integra edantur. CXXVII.
Diplomatica. CXXII.
eius origo et hiſtoria. CXXIII.
multiplex uſus. CXXIV.
Diplomatica opera. CXXVII.
Diplomatum externa. CXXV.
interna. CXXVI.
Diſtinctiones. CCXI.
Domania. CCCLXXVII.

E.

Eccleſiaſtica hiſtoria. CLXVI.
Periodi illius, et ſcriptores. CLXVII. ſqq.
Edictum aedilitium. CCCVI.
Edictum perpetuum. CCCVI.

Electores.

Electores. CCCLXXVIII.
Eloquentia. uid. Rhetorica.
Emphyteuſis. CCCLXXIX.
Encyclopaedias auctores uarii recenſentur. XXV.
Epiſcopatuum uariorum Eyſtadienſis ſcil. Wormatienſis, Argentoratenſis, Hildeſienſis, Friſingenſis, Leodienſis, Paderbornenſis hiſtoriae ſcriptores. CLIX.
Epiſtolarum ſcribendarum ratio. XCIX.
Epocha chriſtiana. CV.
Equeſtris rei notitia. CCCCVIII.
Eruditionis partium nexus. XXIV.
Etymologiae utilitas. XLII. in iure Germanico. LXII.
Europae gentium hiſtoria. CLXI.
Exceptiones. CCCLXIX.
Exercitationes corporis honeſtae. CCCCVI.

F.

Fabulae. XCVI.
Fabulae Romanenſes. XCVII.
Feſta. CIV.
Feudales cauſas cognoſcendi ratio. CCCLV.
Feudorum origo. CCCLIII.
Fideicommiſſum. CCCLXXX.
Fines imperii. CXIX.
Fiſcus. CCCLXXXI.
Formularia iuriſprudentia. CCCLXII.
Formularia res differt a ſtilo. LXXXIII.
Francicae hiſtoriae ſcriptores. CLXX.
Friſiae orientalis hiſtoria. CLIX, 10.
Fuldenſis hiſtoria. CLIX, 2.

G.

Galea in Heraldica Germanorum in primis ſpectatur. LXIV.
Galliae regni notitia. CCLXXXV, 3.
Gallicae hiſtoriae ſcriptores. CLXII.
Gallorum res literaria. CXC, 2.

Genealogia. CVII.
Genealogiae uſus in controuerſiis dirimendis. CVIII.
in nobilitate auita probanda. CIX.
Genealogici ſtudii difficultas. CX.
Gentium exterarum hiſtoriae utilitas. CLXV.
Geographia Germaniae omnis aeui. CXX.
Geographiae hodiernae inſtitutiones et commentarii. CXVIII.
Geographiae mathematicae ſcriptores. CXVII.
Geometria. CCXXXV.
Germaniae hiſtoria noua ex actis publicis diſcitur. CLVIII.
Germanica hiſtoria. CLIV.
Germanicae gentis origines. CLIV.
Germanicarum prouinciarum ſingularium hiſtoria. CLIX.
Germanici regni hiſtoriae ſcriptores. CLVII.
Germani literas habuerunt temporibus antiquiſſimis. LVII.
Germanorum res literaria. CLXXXX, 1.
Germanorum ueterum hiſtoriae ſcriptores. CLV. CLVI.
Germanorum ueterum iuriſprudentia inculta. CCCXVIII.
Gloſſatores. CCCXIV.
Gothorum hiſtoria. CLII.
Grammatica linguae Germanicae publice confirmanda. LXI.
Grammatici ſunt literarum humaniorum doctores. XXXII.
Grauamina religionis. CLXX et CLXXI.
Grotius (Hugo) de iure belli et pacis. CCLVI.
Guſtus boni deſcriptio. XXXIV.
Gymnaſtica. CCCCVII.

H.

Haſſiaca hiſtoria. CLIX, 9.
Helueticae hiſtoriae ſcriptores. CLXIII, 2.
Heraldica. CXI.
ex diplomatibus et ſigillis illuſtranda. CXV.
Hermeneutica. CCXIX.
Hiſpaniae regni notitia. CCLXXXV, 2.
Hiſpanicae hiſtoriae ſcriptores. CLXV, 2.
Hiſtoria antiqua. CXLIX.
Hiſtoriae legendae regulae. CI.
Hiſtoriae neceſſitatis. XCVIII.
methodus. XCIX.
diuiſio. CII.

Hiſtorica

Hiſtorica compendia, opera et lexica. CII.
Hiſtorica fides. C.
Hobbeſius (Thomas). CCLVII.
Holſatica hiſtoria. CLIX, 9.
Hungaricae hiſtoriae ſcriptores. CLXV, 5.
Hymni eccleſiaſtici. XCVI.

I.

Idololatria. CXXXXII, CCCXCVII.
Imperatoris poteſtas. CCCXLVII.
Imperii fines. CCCXLVII.
Ingeniorum delectus habeatur. IV.
Inſcriptiones. XCVII. CXXXVIII.
Inſtitutiones iuris ciuilis. CCCIX.
Irnerii ſchola. CCCXIV.
Italicae hiſtoriae ſcriptores. CLIII.
Italorum res literaria. CXC, 5.
Itineraria. CXXI.
Iudaei. CCCLXXXII.
Iudicia imperii. CCCXLVIII.
Iudicia Weſtphalica. CCCXXX.
Iudicis officium. CCCLXVI.
Iuris anteceſſoris munus arduum. XII.
Iuris canonici inſtitutiones. CCCXL.
Iuris catecheſis commendatur. VI.
Iurisconſulti humanioribus literis eruditi. CCCXV.
Iurisconſultorum uitae. CCCI.
praeſertim Romanorum. CCCVI.
Iurisdictio. CCCLXVI.
criminalis. CCCXXXIII.
Iuris feudalis ſyſtemata. CCCLIX.
Iuris Germanici et peregrini conflictus. CCCXXIII.
Iuris Germanici et Romani differentiae. CCCXXIV.
Iuris Germanici et Romani harmonia. CCCXXIV.
Iuris et iudiciorum emendatio. CCXCVII.
Iuris Iuſtinianei anaſtaſis et uſus. CCCXVI.
Iuris Iuſtinianei fata in Italia. CCCXIII.
Iuris naturae diuerſa principia. CCLIX.
Iurisprudentia Aegyptiorum. CCCIII.
Anglorum. CCCIV, 3.

Iuriſprudentia Belgarum. CCCIV, 6.
Danorum. CCCIV, 5.
Gallorum. CCCIV, 1.
Graecorum. CCCIII.
Hebraeorum. CCCII.
Heluetiorum. CCCIV, 7.
Hiſpanorum. CCCIV, 2.
Hungarorum. CCCIV, 11.
Polonorum. CCCIV, 9.
Poruſſorum. CCCIV, 10.
Venetiorum. CCCIV, 8.
Iuriſprudentia cum linguarum ſtudio coniungatur. XXXV.
ex ſtudiis humanitatis magnam capit utilitatem. XXVIII.
literaria. CCC.
practica. CCCLX.
particularis. CCCLXX.
priuata illuſtrium. CCCLI.
Iuriſprudentiae et aliarum diſciplinarum coniunctio. XXVI.
uaria genera. CCXCIV ſq.
Iuris publici cultori conſilia quaedam ſuppeditantur. CCCL.
libri iſagogici. CCCXLIV.
methodus et ſyſtemata. CCCXLV.
Iuris ſtricti fines non ſatis certi. CCLX. CCLXI.
Ius canonicum. CCCXXXV.
ciuile. CCLXXXXI.
uniuerſale. CCLXXXXII.
criminale. CCCXXVI.
ueterum Germanorum. CCCXXIX.
diuinum poſitiuum uniuerſale. CCXCIII.
eccleſiaſticum proteſtantium. CCCXLI.
publicum. CCCXLII.
feudale. CCCLII.
Langobardicum. CCCLVI.
prouinciarum ſingularium. CCCLVII.
regnorum exterorum. CCCLVIII.
Saxonicum et Alamannicum. CCCLVII.
gentium. CCLXV.
uel natura uel pactis uel conſuetudine nititur. CCLXVI.

Ius

Ius gentium Europae. CCLXVII.
germanicum. CCCXVII. CCCXII.
graeco-Romanum. CCCXII.
hebraeorum. CCCII.
naturae. CCLV.
politicum. CCXCVI.
publicum. CCCXLIII.
particulare. CCCXLIX.
uniuerſale. CCLXIII et CCLXIV.
Romanum. CCCV.
eius hiſtoria. CCCVI.
ſociale. CCLXII.
Iuſtiniani imperatoris merita in iurisprudentiam ciuilem. CCCVII.

L.

Langobardorum hiſtoria. CLII.
Legatorum iura. CCLXVIII.
Leges XII Tabularum. CCCVI.
Leges regiae. CCCVI.
Leges ueterum Germanorum. CCCXIX.
Lex Salica. CCCXIX.
Librariae rei cura ad principem pertinet. XVIII.
Libri βασιλικῶν. CCCXII.
Libri rariores. CLXXXVIII.
Librorum cenſura iuſte exerceatur. XIX.
Librorum lectio quomodo ſit inſtituenda. XXII.
Librorum multitudo reſecanda. XVIII.
Librorum notitiae acquirendae ratio. CLXXXVI.
Lingua aulica. XLV.
authentica. XLIX.
docta. L.
domina. XLVI.
eius cultura. LIV.
occulta. LI.
uernacula. XLVIII.
ad ſcientias tradendas adhibenda. LV.
uulgaris. XLVII.
germanica ad quamuis linguam tradendam apta. LXIII.
ante ſaeculum decimum tertium nondum erat publica. LVIII et LVIIII.

Lingua

Lingua Iudaeorum hodierna hebraeo-theotiſca. LXXVII.
latina diſcenda eſt propter ius ſubſidiarium. LXVII.
eſt altera lingua publica in Germania. LXV.
in politioribus regnis eſt docta, in quibusdam uulgaris. LXVI.
naturalis, prima, uniuerſalis. XXXVII.
publica. XLIV.
imperii Romano-Germanici. ibid. et LX.
eius cultura. LXIV.
Slauica maiori ſtudio colenda. LXXV.
Linguae Gallicae uſus late patet. LXXIII.
Germanicae praeſtantia et antiquitas. LVI.
Graecae utilitas in iure monſtratur. LXX et LXXI.
Latinae ornatus in foris et negotiis publicis negligitur. LXVIII.
Latinae uſus, methodus, fata. LXIV et LXIX.
occidentis. LXXII et LXXIV.
orientis. LXXVI et LXXVIII.
Linguarum notitiam principes ſibi commendatam habeant. LII et LIII.
ſtudium. XXXV et XXXVI.
Linguas diſcendi methodus. XXXVIII.
Literaria hiſtoria. CLXXIII.
eius ſcriptores. CLXXIV.
Literariae rei conditio media aetate. CLXXX.
Literariae reipublicae ſtatus. CLXXXIII. CLXXXIV et CLXXXV.
Literarum humaniorum et iurisprudentiae coniunctio. XXVIII.
humaniorum incerta definitio. XXIX.
abuſus. XXX.
ſtudii initia. CCXXVIII.
Logica. CCV.
Ariſtotelis. CCVI.
eclectica. CCVIII.
iuridica. CCIX.
Pet. Rami. CCVII.
Logices partes. CCX.
Lotharingici regni hiſtoria. CLX.

Ludi

Ludi Scenici. XCVI.
Luſitaniae regni notitia. CLXXXV, 1.
Luſitanicae hiſtoriae ſcriptores. CLXV, 2.

M.

Macniauelli (Nicol.) princeps. CCLXXVIII.
Magia. CCXXIV.
Manuſcripti codices. CXXXVIII.
Mare. CCCLXXXIII.
Materia medica. CCCCIII.
Matheſeos praeſtantia et neceſſitas. CCXXXII, 1.
origo et hiſtoria. ibid. 2.
Matrimonium. CCCLXXXIV.
Mechanica. CCXXXVIII.
Medicina forenſis. CCCCIV.
Medicinae ſtudium. CCCCII.
Meditatio et exercitatio. XXIII.
Megapolitana hiſtoria. CLIX, 9.
Mercatura. CCCLXXXV.
Metallum. CCCLXXXVI.
Metaphyſica. CCXX.
Methodus docendi et diſcendi. VI.
iurisprudentiam tradendi. CCXCIX.
germanicam: CCCXXIV.
mathematica. CCXIV.
Militia. CCCLXXXVII et CCCCVIII.
Moderatores morum et ſtudiorum. XVII.
Moguntinenſis hiſtoriae ſcriptores. CLIX.
Monaſteriorum hiſtoria. CLIX, 2.
Monetaria res. uid. Numiſmatica.
Monetae ius. CXLVIII.
Moſcouiticae hiſtor. ſcriptores. CLXV, 6.
Muſica. CCXLI.
Mythologia. CXLII.

N.

Nobilitas. CCCLXXXVIII.
Nobilium eruditio. XXVII.
praeſertim immediatorum hiſtoria. CLIX, 12.

Nomina

Nomina ueterum Germanorum non ſatis inter ſe diſtinguuntur. LX.
Norimbergenſis ciuitatis hiſtoria. CLIX, 11.
Nouellae. CCCX.
Leonis. CCCXI.
Numaria res politice conſiderata. CXLVIII.
Numiſmata Germanica. CXLVI.
Romana. CXLV.
Numiſmatica. CXLIII.
prouide tractanda. CXLIV.
Numiſmatices regulae quaedam. CXLVII.

O.

Oeconomica. CCLXXXVI.
publica et priuata. CCLXXXIX.
hodie in academiis docetur. CCLXXXVIII.
Ontologia. CCXXI.
Opifices. CCCLXXXIX.
Optica. CCXL.
Ordines equeſtres. CCLXXXIV.
Orthographia publice definiatur. XL.

P.

Pagi Germaniae. CXX.
Palatina hiſtoria. CLIX, 5.
Pandectarum hiſtoria et commentarii. CCCVIII.
Paroemiae. XLIII.
Pax publica profana. CCCXLVI.
religioſa. ibid.
Weſtphalica. ibid.
Peregrinandi artis ſcriptores. XVI.
Peregrinatio. CCCCVIII.
Philologiae uaria definitio. XXXIII.
Philoſophandi ratio commoda. CCIV.
Philoſophia eclectica. CCI.
graeca in ſectas diuiſa. CXCVII.
Iurisconſultorum Romanorum. CXCVIII et CCCVI.
Leibnitziana. CCII.
moralis eclectica. CCL.

Philo-

Philoſophia. uaria eius themata. CCLI.
patrum eccleſiae et ſcholaſtici. CXCIX.
populorum Europae. CXCVI.
practica. CCXLIII.
eius partes. CCXLIV.
eius hiſtoria et methodus. CCXLV et CCXLVI.
cultus. CCLIII.
nexus cum iurisprudentia. CCLIV.
reformata. CC.
Romanorum. CXCVIII.
Philoſophiae notio. CXCII.
origo. CXCIII.
diuiſio. CXCIV et CXCV.
Phyſica. CCXXVI.
Phyſices principia Moſaica, Ariſtotelica. CCXXVII.
Pictura. CCCCVIII.
Pneumatologia. CCXXIII et CCXXIV.
Poematum genera uaria. XCVI.
Poeſis nititur natura et exercitatione. XCIV.
perpolitur a Germanis. XCV.
Poetices praeſtantia. XCI.
utilitas in iure. XCII et XCIII.
Politiae cura uitae ſubſidia ſpectet. CCXXX.
Politica. CCLXXIII.
eclectica. CCLXXVI.
priuata. CCLXXIX.
Politicae conſtitutiones. CCLXXX.
Germanicae. CCCXXV.
Politices themata uaria. CCLXXVII.
Polonicae hiſtoriae ſcriptores. CLXV, 4.
Polonorum res literaria. CXC, 6.
Polymathiae ſcriptores. XXV.
Pontifex Rom. CLIII.
Praeceptoris boni officium. VI.
Praxis. CCCLX.
Principes. CCCXC.
Principum inſtitutio. III.
Probabilis ueritas. CCXIII, 4.

Proceſſus

Proceſſus criminalis. CCCXXXIV.
iuris Germanici. CCCLXIV.
iuris Romani. CCCLXIII.
uaria genera. CCCLXV.
Profeſſoris officium. XI.
Pruſſicae hiſtoriae ſcriptores. CLXV, 4.
Pſeudopolitici. CCLXXVIII.
Pſychologia. CCXXV.
Puffendorff (Samuel) de iure naturae et gentium. CCLVIII.

R.

Receſſus imperii. CCCXLVI.
Reformationis eccleſ. ſcriptores. CLXX.
Regulae iuris. CCXII.
Religio uaria. CCLXXXIV.
ab imperio libera. CCCXXXVI.
Rerum publicarum notitia. CCLXXXI.
primaria eius capita. CCLXXXII. ſqq.
Rhetorica iuridica ab eloquentia uera non differt. XC.
Rhetorices natura et conſtitutio. LXXXV.
uſus uarius. LXXXVI.
partes. LXXXVII.
cultus apud Germanos. LXXXVIII.
Romanae hiſtoriae ſcriptores. CL.
diuerſae periodi. CLI.
Ruſſici imperii notitia. CCLXXXV, 7.

S.

Salisburgenſis hiſtoriae ſcriptores. CLIX.
Saltatio. CCCCVIII.
Satyra. XCVII.
Saxonica hiſtoria. CLIX, 6.
Scholae inferiores et gymnaſia uerſentur in ſtudiis propaedeuticis. VII.
Scholae iuriſperitorum. VII.
Scholae priuatae an publicis ſint praeferendae. XVII.
Scholarum hiſtoria literaria. CXCI, 2.
Scholarum utilitas uindicatur. VI.

Scriptores

Scriptores antiqui an praeſtent recentioribus. CLXXXIX.
Scriptores homonymi, pſeudonymi, anonymi, plagiarii. CLXXXII.
Sectae toleratae. CLXXII.
Seldenus (Ioh.). CCLVII.
Sigilla falſa. CXXXV.
Sigilli neceſſitas. CXXXIII.
Sigillorum iure praediti. CXXXI.
uaria genera. CXXX.
materia et forma. CXXXII.
Sinenſum res literaria. CXC, 6.
Societates literatae artibus quibusuis excolendis conſtitutae. XV.
Socratis philoſophia morum. CCXLVII.
Speculum Saxonicum. CCCXX.
Sueuicum. ibid.
Sphragiſtica. CXXIX.
Statiſtica. CCLXXXI.
Statuta ordinum imperii. CCCXXI et CCCXXII.
Auſtriaca. CCCXXII, 1.
Badenſia. CCCXXII, 6.
Bauarica. CCCXXII, 4.
Bohemica. CCCXXII, 2.
Brunſuicenſia. CCCXXII, 11.
Colonienſia. CCCXXII, 8.
Culmbacenſia. CCCXXII, 5.
Francofurtana. CCCXXII, 7.
Hamburgenſia. CCCXXII, 11.
Herbipolenſia. CCCXXII, 5.
Hohenloica. CCCXXII, 5.
Holſatica. CCCXXII, 11.
Iuliacenſia. CCCXXII, 9.
Lubecenſia. CCCXXII, 11.
Magdeburgica. CCCXXII, 11.
Marchica. CCCXXII, 10.
Naſſouica. CCCXXII, 7.

Statuta Noribergenſia. CCCXXII, 5.
Oldenburgica. CCCXXII, 11.
Palatina. CCCXXII, 8.
Saxonica. CCCXXII, 10.
Sileſiaca. CCCXXII, 3.
Suſatenſia. CCCXXII, 9.
Würtenbergica. CCCXXII, 6.
Statutorum collectiones. CCCXXII, 12.
Stili latini cultus. LXXXI.
germanici cultus. LXXXII.
principia et uarietas. LXXIX et LXXX.
Stilus cancellariae. LXXXIII.
curiae. LXXXIV.
Stipendium literariorum iuſta diſpenſatio. V.
Studioſorum iuſta aetas. XIII, 1.
officia, iura, libertas et priuilegia. XIII, 2, 3.
Suecicae regni notitia. CCLXXXV, 4.
Suecicae hiſtor. ſcriptores. CLXV, 3.
Superioritas territorialis. CCCXLVII.

T.

Tacitus (Cai. Corn.) politicis placet. CCLXXV.
mores ueterum Germanorum enarrat. CCCXVII.
Temporum diuerſa computatio in iure. CVI.
Teſtamentum. CCCXCI.
Theologia exegetica. CCCXCVIII.
irenica. CCCCI.
moralis. CCCC.
naturalis. CCCXCVI.
polemica. CCCCI.
reuelata. CCCXCVII.
ſymbolica. CCCXCIX.
ſyſtematica. ibid.
Theologiae ſtudium. CCCXCV.
Treuirenſis hiſtoriae ſcriptores. CLIX.
Trutina Europae. CCLXVIII.
Turcicae hiſtor. ſcriptores. CLXV, 7.

Turpi-

Turpitudo differt a delicto. CCLXXII.
Tutela. CCCXCII.
Typographiae literaria notitia. CLXXVII.
Typographiae artis cenſor et ſuperattendens generalis. XX.
Typographorum et bibliopolarum pernicioſa praxis coercenda. XX.

V.

Venatio. CCCXCIII et CCCCVIII.
Verſionum abuſus. LV.
Vicarii imperii. CCCXLVII.
Vitarum ſcriptores. CLXXXI.
Vocabula noua fingendi licentia cohibenda. XXXIX.
Vrbes imperiales. CCCXCIV.

W.

Wirceburgenſis hiſtoriae ſcriptores. CLIX.
Würtenbergica hiſtoria. CLIX, 9.

Digitized by Google

EMENDANDA.

pag. 45 l. 26 pro ut l. at.
p. 46 l. ult. pro *ey* l. *oy*.
p. 58 l. antepenult. l. doſtarum.
p. 92 l. 18 poſt Sadoletus &c. l. Ciceronem.
p. 96 l. 14 pro tradenda l. tacenda.
p. 99 l. 27 l. Boldonii.
p. 120 l. 10 l. add. Cluuerii.
p. 133 l. 3 poſt latina l. et Muller. Funcc. Multos Fabric.
p. 137 l. 20 l. Io. Gröning.
p. 143 l. 11 l. Vertot.
p. 153 l. 16 l. harum.
p. 168 l. 8 poſt alios l. taceam.
p. 190 l. ult. poſt ſuo l. hodiernis compluribus anteſerendae ſunt.
p. 200 l. 9 l. Reinh. Henr. Roll.
p. 203 l. 8 l. Spinoza.
p. 212 l. 5 pro definitiones l. diſtinctiones.
p. 216 l. ult. l. probe ac.
p. 225 l. 3 l. ſyſtema. l. 15 l. praeditam.
p. 271 l. 14 l. Reimari.
p. 277 l. 21 l. d'Aunoy.
p. 278 l. 20 l. Wexioni.
p. 295 l. penult. l. anteiuſtinia[illegible]
p. 300 l. 22 l. verkürzenden.
p. 329 l. 25 l. Zech.
p. 341 l. 15 pro Maſcou. l. Moſer.
p. 366 l. 26 l. archologia.
p. 383 l. 22 l. Urbinatem.

Digitized by Google

005801687

Digitized by Google

P.6